ITINERARIUM GERMANIAE, GALLIAE; ANGLIAE; ITALIAE; SCRIPTUM À PAULO HENTZNERO JC...

Paul Hentzner, Valenti Gonzaga





6
13 M I
31


BB3.

ITINERARIUM
GERMANIÆ; GALLIÆ; ANGLIÆ; ITALIÆ;



Scriptum




à


PAULO HENTZNERO JC.
Illustrissimi
Monsterbergensium ac Olßnensium
DUCIS,
CAROLI,
Sacri Rom. Imperij PRINCIPIS,
& Supremi
Per utramq; Silesiam CAPITANEI &c.
CONSILIARIO:

Cum
Indice Locorum, Rerum atq; Verborum memorabilium.

BRESLÆ,



Apud Hæredes Iohannis Eyeringii & Iohannem Perfertum.
cIↃ IↃ C XVII.



Genes. cap. 47. versic. 9.

Vita nostra peregrinatio.

Horat. de Arte Poëtica.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quâm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator, &c.


Idem Epistolarum lib. I.
Epist. XI. ad Bullatium.


TU quamcunque Deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu, nec dulcia differ in annū,
Ut quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas; Nam si ratio, & prudentia curas,
Non locus, effusi latè maris arbiter, aufert;
Cœlum, non animum mutant, qui trans mare cur-
(runt.



EPISTOLA DEDICATORIA
AD

Illuſtriſsimos & Generoſiſsimos Principes ac Dominos, Dn. JOHANNEM CHRISTIANUM, & Dn. GEORGIUM RUDOLPHUM, fratres Germanos, Lignicenſium ac Bregenſium in Sileſia DUCES, &c. Nec non Dn: HENRICUM WENCESLAUM & Dn: CAROLUM FRIDERICUM, fratres Germanos, Monſterbergenſium ac Olſnenſium in Sileſia Duces, &c. Dominos meos clementiſſimos ac gratioſiſsimos.





SEMPER IN EA FVI, Illuſtriſſimi ac generoſiſſimi Principes, & adhuc ſum ſententia, veram eruditionis & prudentiæ laudem non in libris tantùm, ſed ab uſu etiam atque experientia, tanquam rerum omnium Magiſtra, quærendam eſſe. Itaq; non ij tantùm ſapientes judicandi, qui literis inſtituti ſcientiæ titulum ſibi vendicant; Sed multò magis etiam illi, qui omnibus aliis poſthabitis, re-



rum periclitatione edocti, versatiq; in hoc mundo quasi vitæ humanæ Theatro, & diversitatem Regionum & mores hominum dissidentium, & vitæ exempla, & alia quàm plurima, quæ sese peregri, nantibus offerunt, inspexêre. Quid enim turpius? Quid homine literato vel Studioso, præsertim illustri aut Nobili genere orto indignius? Quàm semper domi sub tecto sedere, & ita in otio omni gloria & laude carente senescere, neq; cogitare aliquando ex hoc tanquam nimis opaco & circumscripto domicilio, ad rerum maximarum cognitionem acquirendam, evolandum esse.

Ad hoc autem suscipiendum, animos liberales summa debet invitare utilitas, quæ Nobiles & Illustres quidem potissimum exornat; illos verò qui originem suam à tenuibus principiis duxerunt, non solum clarissimis quibusve Viris commendat, sed sæpè etiam illis comparat. Cum enim aliquid vel audimus vel legimus de Provinciarum amœnitate & fertilitate; de benè alicujus Regni constituta Republica; de vera Religione & cultu divino; de hominibus literatis; de recta juventutis educatione & insti-

institutione; de benè deniq; moratis civibus. An non jucundum & gratum, imò etiam utile est omnibus? At multo jucundius, multoq; utilius est, res ipsas, ut sunt, contemplari & inspicere. Ea enim quæ antea nobis incerta, & tanquam umbræ fuerunt, mox oculorum fides spectataq; veritas, certissima reddit, maximamq; & voluptatem & admirationem in nobis mirificè excitat. Non igitur audiendi sunt, qui argumento maximorum & immensorum laborum, quos peregrinantes perferre oportet, moti, peregrinationes omninò omittendas esse censent. Sed quid ejusmodi idiotis respondendum putemus? Equidem homines ad laborandum, veluti aves ad volandum, natos esse existimo. Quid? Nonne Abraham itinera maxima confecit mandante & jubente DEO? At, inquiunt, filius meus, quem unicum habeo, si occumbat, omne tunc mihi sublatum est in hac vita solatium. Quid? Si tibi mors etiam domi, quæ totum terrarum Orbem perlustrare solet, eum auferat? Aut quis erit qui prosapiam tuam conservabit? Quis tibi deinceps eum restituet? Cogitandum itaq; est, mortem generi hu-

mano communem, nihilq́; perpetuum esse in hac vita, miseriæ & calamitatis plena. Sin autem domi filius tuus immortalis existeret; facilè tibi concederem, imò persuaderem etiam, cum non modò non peregrè mittendum, sed semper apud te domi retinendum esse. Quod verò, quoniam non sit, melius & multò laudabilius est, te talem habere filium, qui simul cum industria & eruditione, maximarum rerum cognitionem & experientiam conjunxerit. Id autem peregrinatione solum effici posse, quis quæso peritorum hominum est, qui non testetur? Placuit igitur ante biennium succisivis horis, quædam de Germania, Gallia, Anglia, & Italia, in peregrinatione nostra observata ac codicillis itinerariis inserta, clarissimorum virorum & amicorum hortatu, pro ingenii mediocritate perscribere, idq́; Illustriss Celsitudinum Vestrarum potissimum nomine; quibus, si placuerit DEO præpotenti, videre aliquando Regiones istas, hæc consignatio qualiscunq́; usui esse posset, & non in itinere solùm, sed in ipsis etiam Regionibus tanquam typo quodam admonerentur istarum rerum, quæ peregrinantibus præcipuè observandæ & notandæ sunt.

Nihil

Nihil præterea nunc adfero, nisi ut Celsitudines Vestras demissè cohorter, quia, quàm sint & utiles & necessariæ, cùm omnibus aliis, tùm verò illustri, nobiliq; natis loco, literæ atq; peregrinationes, intelligunt, constanter propositum suum urgeant, & quantum alii ludis, quantum conviciis intempestivis, quantum sodalitiis pravis, quantum voluptatibus tribuunt, tantum sibi ad pietatis, artium, linguarum excolenda studia sumant; Deinde aßiduis à DEO Opt. Max. precibus contendant, ut ipse susceptis peregrinationibus clementer benedicat, itineris socios sanctos Angelos addat, largiri dignetur, ut quæ honesta, utilia, fausta Celsitud. Vestris sese offerant, absint procul quæ animæ vel corpori nocent, efficiat deniq; ut, sive in aulis, sive in castris, vivere Celsitud. Vestras velit, præclarè honestèq; stare possint, neq; temporis acti unquam eas aut pudeat, aut pœniteat. B. V. *Olßnæ Silesior. 12. Maij An. 1612.*

Illustriss. Celsitud. V.

Humilimus ac devotiss.

Servus

Paulus Hentzner

Illustriss. Monsterberg. ac Olßnens. Duc. Consiliarius.



AVTOR
LECTORI BENEVOLO & candido. S.

NOtũ eſt omnibus, amice Lector, peregrinationes ad ſapientiã multasq́; res alias parandas, ponderis plurimũ momentiq́; adferre. Neq; enim, quia ad exteras Nationes nonnulli nimis præproperè & ſine judicio proficiſcuntur; quia peregrinos mores induunt; quia pro virtutibus vitia ſæpè arripiunt, aut magnis itineribus, ſumtibus immenſis, labore ſummo alia quædam parant, quæ Majores noſtri ſunt deteſtati; idcircò damnandæ prorſus atq; rejiciendæ ſunt peregrinationes. Poteſt etiam domi aliquis corrumpi, & fortaſſe citiùs quàm apud exteros. Iſtud te mihi conceſſurum minimè dubito; ad informandos hominum mores & humanitatem, nihil pere-

grina-

grinationibus, modò piè & cum judicio illæ inſtituantur, aut utilius aut neceſſarium magis eſſe.

Sunt enim revera ſuperbi, inſolentes, inhumani, alieni ab hoſpitalitate, ſui ſuorumque admiratores, impatientes & laborum & injuriarum, qui cochlearum inſtar domi ſemper hærent, aut, ſi quando limine paterno pedem extulerint, perituros illicò ſeſe opinantur, ubi fumum paternum ex oculis amiſerint; Cum interim peregrinatores modeſti ſint, & toleranter labores, moleſtiasque omnes ferant, & non ignari malorum, etiam ultrò & libenter miſeris ſuccurrere didicerint.

Non ex peregrinationibus veſtitus inſolentia; Non vitæ morumque diſſolutio; non impietas; non faſtidium rerum in patria præclararum; non alia quæ ubivis & ſine ſumtibus magnis inveniuntur, ſed variarum linguarum, artiumq; pulcherrimarum cognitio, cum pietate probatisque moribus domum reportanda,

atque

atque exempla plurimorum imitanda, qui domum, studijs atq; peregrinationibus feliciter absolutis, reversi, & sibi ipsis honori; & voluptati parentibus ac cognatis, & emolumento præsidioq́; Patriæ extiterunt. B. V.

NOTA:

In hoc Itinerario continet Annus

1596. Iter Argentinense, Badense & Friburgense.


1597. Iter Helveticum & Genevense.

1598. Iter Gallicum & Anglicum.

1599. Iter Francofurtense Cambij causa.

1600. Iter Italicum per Alpes Rheticas; & Reditum in Patriam per Comitatum Tirolensem.

In Ho-



In Hodoeporicon

Clarissimi & Consultissimi Viri PAULI HENTZNERI, Illustrissimo ac Celsiss. Principi ac Domino, Dn. CAROLO, Duci Monsterberg: & Olsnensi in Silesia, Comiti Glacensi, Domino Sternbergæ & Iaischvvits Marcomannorum, & Supremo per utramq; Silesiam Præfecto meritissimo Domino, à Consilijs.

DIversos diversa juvant, sua quemq; voluptas
Dum trahit, & pulcrum cuiq; suum esse solet.
Sunt, qui prægnantes titulos venantur honorum,
Et cupidè primis passibus ire volunt.
Sunt, quos argenti splendor percellit & auri,
Magnarumq; vigil cura fatigat opum.
Sunt, quibus adrident magè desidis ocia vitæ,
Qui Veneri & Baccho dulcia liba ferunt.
Qui benè curata cute, crassi abdomine ventris,
De grege se porcos dant, Epicure, tuo;
Quorum multa videt postremi hæc temporis ætas
Agmina, dum pecudum more licenter agunt.
Rectius his vivunt, quibus est sapientia cordi,
Qua nihil in toto pulcrius orbe viget.
Quos non ambitio, nec opum malesuada cupido,
Nec trahit in casses spurca Volupta suos.

Sed va-

Sed varios populos, multasq́; invisere terras,
Fert animus, Sophiæ ductus amore bonæ.
Hinc sibi turpe putant laribus latitare paternis,
Et nunquam Cœlo liberiore frui,
Ergò animum inducunt, per inhóspita tesqua viarum,
Per mare, per montes, longum iter indigredi.
Utq́; viatores, infracta mente, necessum est
Multa pati, & magnis dedoluisse malis:
Sic neq; qui Sophien peregrino quæritat orbe,
Ærumnas pigeat, duraq́; multa pati.
Nam quia non uno invenias sub climate Cœli
Omnia, sunt doctis multa videnda Viris.
Non igitur, si quando opus est tolerare recusant
Cum pluvijs æstus, atq; famem atq; sitim.
Aut si fortè etiam plura & graviora ferenda,
Optatæ Sophies omnia vincit amor.
Ut varios hominum mores & noscere ritus,
Et scita, & leges, priscaq́; jura queant.
Magnorumq́; domos Ducum, & alta palatia Regum
Inspicere, & multis tecta superba Viris;
Urbesq́; egregias & mœnia turribus ampla,
Quæ fossis aditus aggeribusq́; negant.
Quin & templa oculo passim sollerte tueri
Et loca culturæ structa, juventa, tuæ.
Scilicet hæc, magnæ decus est sapientiæ & artis,
Vidisse, & celeri quæq; notasse manu.
Ut quia non oculis, saltim auribus omnia captent,
Qui pedibus nequeunt extera regna sequi.
Egregiam quare laudem & decora ampla merentur,
Nomen & à docta posteritate ferunt.
Qui, quæ viderunt ipsi, dum regna peragrant
Extera, sed nostris, dissita, pulcra plagis

Non

Non dubitant alijs ſpectanda offerre tabellis
Expreſſa, & cultis arte notata libris.
HENTZNERE egregiam hanc laudem & decora ampla mereris
Nomen & à docta poſteritate feres;
Quod quæ vidiſti, loca dum peregrina petiſti,
Nunc profers celeri quæq; notata manu.
Vir bonus eſt, alijs bona qui communicat ultrò,
Quæ tenet, & ſoli non ſibi ſervat iners.
Tu quia non dubitas, alijs tua promere in uſus,
Vir bonus es, ſervet TE BONUS ipſe bonum.
I liber, & linguam Momi denteſq; Theonis
Ne metue, iſto nam vulnere liber eris.
Livor abi, terraſq; prius procul adſpice plures,
Poſtea ſi redeas, his meliora dato.

Melchior Eccardus
Chemnicenſis.

)( )(3

In Ho-



IN HODOEPO-ricon

PAULI HENTZNERI, ILLUSTRISS. DUCIS MONSTERBERG. CONSILIARII.

PLena venenatis quæ pendet aranea succis,
Roscida quæq; favis mella recondit apis,
Vtraq; sugendo detondent florida tempe,
Hinc mel nectareum hæc, Virus at illa bibit.
Præstat idem, extremis qui commeat impiger oris,
Atq; plagas varias pervolitare studet:
Huic virtus, illi virus curæ esse videtur,
Hic ibi virtutes, toxica at ille notat.
O quàm felicem hunc & laudum munere dignum,
Qui bona sectatur, qui noci tura fugit.
Nec minus (Autorem hoc quod suppeditare libello
(Conspicis) hic laudum munera digna capit.
Excurrens qui quod vidit, non invidet, ad par
Excitat ast alios sedulitatis opus.
Est decus ad celebrem virtutis tendere metam,
Majus at est, plures hanc docuisse viam.

Joachimus Hofsman P.L.
manu p.

TABEL

TABELLA DELINEANS IN PEREGRI- nationibus potissimùm observanda.

I. *DEUS inprimis invocandus, quòd nullus possit itineris esse comes expeditior & securior; atq; pia huic devotioni inter alia vota precesq;, plurimùm inservient Psal. 91. 126. 127. & 139.*

II. *REGIO, in qua consideranda nomina*
- *Vetera,*
- *Recentia;*
- *Sæpè mutata.*

III. *Nomen URBIS, & ratio nominis si extet, item Conditor, Amplificator aut Instaurator alicuius loci.*

IV. Conditio hominum
- *Superiorum.*
- *Inferiorum.*

V.
- *1. Flumina, eaq; aut*
  - *Allabentia,*
  - *Propè distantia;*
  - *Deducta.*
- *2. Mare alluens, aut Portus.*
- *3. Montes.*
- *4. Sylvæ, Nemora, vel si quid aliud insigne.*

VI. Opera, & hæc vel
- *Publica,*
  - *Sacra,*
    - *Basilicæ,*
    - *Monasteria;*
    - *Templa.*
  - *Profana,*
    - *Palatia,*
    - *Arces,*
    - *Fora,*
    - *Armamentaria,*
    - *Propugnacula,*
    - *Turres; &*
    - *Ratio munitionis.*
- *Privata, ut quæ in Civium ædibus sunt insignia, veluti*
  - *Horti,*
  - *Picturæ,*
  - *Pontes,*
  - *Statuæ.*

VII. *Ratio Gubernationis, ad quam pertinent*
- *1. Curia, in qua Senatores, & Familiæ Civium honestiores.*
- *2. Scholæ, ut ratio educandi & instituendi pueros; Item Viri docti & Bibliotheca.*
- *3. Vulgi mores, quo pertinet ratio Victus & Vestitus; Item Opificia.*



ITER ARGENTINENSE,



CVm Nobilissimus CHRISTOPHORUS à REHDIGER de Strisa, Nobilissimo patre, *Iacobo à Rehdiger* de Strisa in Zedlitz &c. (qui Año Christi 1579. Generoso & Magnifico Domino, Dn. *Philippo Pernsteinio*, Imperiali in Moscoviam Legato, comes itineris fuit) ortus, *Avium* habuerit *Nicolaum à Rehdiger* de Schlisa & Strisa &c. *seniorem*, incluti Ducatus Vratislaviensis in Silesiâ *Capitaneum*, de Repub. optimè meritum; in Superiori & Inferiori Germaniâ probè cognitum: *Patruos magnos Thomam à Rehdiger* de Schlisa, ob insignem Bibliothecam, varijs selectiss. Manuscriptorum & magnifico sumtu comparatorum libris refertam, apud literatos celebrem; *Ioannem à Rehdiger* de Schlisa, Cæsareum Pragæ in Aulâ Augustâ Consiliarium, domi forisq; conspicuum: *Patruos* habeat *Nicolaum à Rehdiger* de Schlisa & Strisa in Sponsbergk & Ruckes &c. juniorem, ob rarissimas animi corporisq; dotes & singularem multarum rerum experientiam, apud exteros æquè atq; apud incolas clarum; *Andream à Rehdiger* de Strisa in Schebitz & Campern &c. peregrinationis & omni virtutum laude eximium.

Cum, inquam, supranominatus *Christophorus à Rehdiger*, tot laudatissimis Nobilissimorum *Progenitorum ac Majorum* exemplis, ab ineunte statim ætate, veluti stimulis quibusdam ad virtutem incitatus, Olsnensi primùm, dein Vratislaviensi in Scholâ, diligenti Nobiliss. & Strenuorum Virorum, Dn. *Nicolai à Rehdiger* de Schlisa & Strisa junioris Patrui; & Dn. *Henrici à Rotkirch* de Panthē in Marschovitz &c. utpote *Tutorum* curâ; & sedulâ *Præceptorum*, potissimum autem Clarissimi Viri Dn. *M. Martini Weinrichij* privatâ & publicâ operâ, per aliquot annos in doctrina Christiana & bonis artibus fideliter institutus, &

ætate grandior ac XIIX. annorum Adolescens iam factus, uberioris culturæ gratiâ peregrè mittendus esset, & prædicti *Tutores* comitem itineris, cui simul inspectio morum ac disciplinæ demandaretur, solicitè quærerent, tandem maturè habito consilio *Paulum Hentznerum* certis conditionibus ei adjungunt.

Rebus itaq; omnibus ad iter necessarijs, ritè compositis, antedicti REHDIGERUS & HENTZNERUS, nomine DEI, votis pijs & ardentibus invocato, sine cuius numine nihil est in homine, nihil est innoxium, Anno Christi 1596. Ipsa Dominicâ Iubilate die 5. Mensis Maij coniunctim discedunt

5. 1. VRATISLAVIA, quæ totius Silesiæ Metropolis, ad viadri ripam condita, Anno Christi 1041. sub Casimiro Poloniæ Rege nomen suum exeruit, ita ut in eam, frequentiâ hominum & ædificiis iam auctam, Collegium Episcopi, quod paucos annos propter clades bellicas in oppidulo Bizinâ fuerat, transtulerit Anno 1052. illudq; pluribus reditibus donaverit. Post hunc verò, per seditionem è Regno Poloniæ eiectum, verisimile est, Vratislaum Bohemiæ Principem, cui Conradus Imperator Silesiam sub conditione tributi numerandi adiudicaverat, huic vrbi nomen dedisse. Cæterùm, cum Anno Christi 1341. tota conflagrasset, & in cinerem versa fuisset, ex lapide in eam formam ædificari cœpta est, ut hoc tempore perpaucis Urbibus Germaniæ, ordine, elegantiâ ædificiorum & amplitudine platearum cedat.

Vratislavia Silesiæ Metropolis.

Templa habet primaria: *1. Cathedrale D. Ioannis in Insulâ cum adiunctâ Schola. 2. S. Crucis in Insulâ. 3. D. Elisabethæ cum Scholâ. 4. D. Mariæ Magdalenæ, cum Scholâ. 5. D. Bernhardini, cum Scholâ.*

Monasteria: *1. S. Adalberti. 2. S. Vincentij. 3. S. Mariæ in arenâ.*

Virginum Cœnobia: *1. S. Claræ. 2. S. Catharinæ.*

Floret Rep. optimè constitutâ, Reipub. Norinbergensis æmulâ. Xenodochia, Nosocomia & Orphanotrophia habet aliquot. Item, *Armamentaria*, & *Granaria* rebus necessariis instructißima.

Portæ

Portæ ibi ſunt: *1. D. Nicolai. 2. Suidnicenſis. 3. Olavienſis. 4. Lateritia ſivè Laterum. 5. In arenâ. 6. Cæſaris. 7. Viadri. 8. Molendinaria.*

Prandij. 2. *Novoforum*, Sileſiæ oppidum in agro fertili, & Ducatu Vratislavienſi Situm. 4.

Cœnæ. 3. LIGNICIUM, vetuſtum Sileſiæ oppidũ, muris, foſsis ac propugnaculis, unâ cum *Arce* benè munitum, à *Lygijs* primis eius conditoribus & incolis ſic denominatum, ſub Lignicenſium ac Bregenſium Ducum imperio. 4.

6. 4. *Hannovia*, Sileſiæ oppidum in Ducatu Lignicenſi. 2.

Prandij. 5. *Boleslavia*, Sileſiæ Inferioris oppidum, ad Boberam fluvium in Ducatu Suidnicenſi ſitum. 3.

6. Ad pagum Seyfferſdorff Queiſſa fluvius Sileſiæ & Luſatiæ limes eſt.

Cœnæ. 7. Hohe Krich / pagus. 4.

7. 8. GORLICIUM, Luſatiæ ſuperioris oppidum elegans ad Niſſam fluvium ſitum, Gymnaſio clarum; Meminit eius Ioachimus Curæus in Annalib. Siles. mihi pag. 50. his verbis: Ætatè Boleslai Tertij, Anno 1131. Sobieſlaus Princeps Bohemorum, qui Luſatiæ magnã partem occupaverat, inſtauravit & munivit celebrem Vrbem Gorlicium, quæ prius ſæpè fuerat vaſtata. Monſtratur hîc peregrinantibus extra oppidum, ſepulchri Salvatoris noſtri Hieroſolymitani ſimulachrum, quod Henricus ab Emmerich Eques auratus magnis impenſis fieri curavit. Mons non procul hinc diſtans, Luſatiæ quaſi ſpecula, vocatur, Die Landes Cron. 1.

Prandij. 9. *Molendinum*, Vulgò die Grube. 3.

Cœnæ. 10. BUDISSINA, egregium Luſatiæ ſuperioris oppidum, ad Suevum fluvium, qui vulgò Sprea dicitur, ſitum. Templum hîc primarium æquè Catholicis Romanis atq; Auguſtanæ confeſsionis hominibus ſeruit. 3.

Sedes inſuper hîc Præſidis Provinciæ eſt.

8. 11. *Virginum Cœnobium* Morgen Stern / à ſiniſtrâ parte relictum.

14. *Gamicium*, Luſatiæ ſuperioris oppidum, ſatis excultum.

Prandij. 13. New Kirch/ pagus. 5.
14. *Künsberga*, Lusatiæ superioris oppidulum, in Misniæ finibus sub Baronis à Schellendorff potestate.
Cœnæ. 15. Schönfeldt/ pagus. 3.
9. 16. *Haganoa*, Misniæ oppidum à sinistrâ relictum.
17. *Strela*, Misniæ oppidulum ad Albim fluvium. Suggestus 4.
Prandij. hîc, ad concionandum distinatus in templo ex argillâ factus, monstratur.
Cœnæ. 18. *Wurcena*, Misniæ oppidum Episcopale ad Myldã fluvium. 3.
10. 19. LIPSIA, *M*isniæ Metropolis, ad Elstheram fluvium sita, 3.
Prandij. *A*cademiâ & Mercaturâ celebris, nomen habens à Tiliâ, quemadmodum pagus, non procul inde distans, & Germanicam appellationem à tiliâ adhuc retinens, indicat.

Templa primaria habet: *1. D. Thomæ. 2. D. Nicolai.*

Collegia aliquot, *Theologorum*, *Philosophorum*, *Iurisconsultorum* & *Medicorum* Professioni destinata.

Arx præterea ibi est munitissima.

Cum Rhedigerus hîc solenni depositionis ritu in numerum studiosorum esset receptus, & Matriculæ Academicæ, præ-
16. stito Iuramento insertus, post sex dierum lapsum, comitibus
Calend. Christophoro à Kreckowitz &c. Silesio, Mauritio à Iasmund,
Gregor. Pomerano ex Rugiâ Insulâ &c. & Bartholomæo Speccero itidẽ
6. Calend. Pomerano &c. Francofurtum versus, quod est ad Mœnum Im-
Iuliani. perij oppidum, iter rursus susceptum.
20. *Lucena*, Lützen/ Misniæ Oppidulum.
Prandij. 21. *Leucopetra*, Weissenfelß/ *M*isniæ oppidulum. 4.
22. Schellenburg/ à dextrâ relictum.
Cœnæ. 23. NAUMBURGUM, *M*isniæ oppidum Nondinis & *M*er- 2.
7. caturâ celebre, ad Salam fluvium, *M*isniæ & Thuringiæ ibi limitem, situm. Non procul inde abest *M*onasterium, *Porta* nomine, Illustri Scholæ Electorali nunc destinatum, prætereuntibus unâ cum arce Eckersbergâ à sinistrâ conspicuum.
Prandij. 24. Rodersdorff/ pagus, aliàs die Langespitzen. 4.
Cœnæ. 25. ERPHORDIA, Thuringiæ *M*etropolis, & Imperij vrbs 3.
amplis-

amplissima. Academiâ & *Campana magnâ* illustris, in agro fœcundissimo, qui herbam Isatidem tincturæ lanarum aptam, Dioscoridi lib. 2. cap. 180. glastum dictam, in magnâ copiâ producit, tempore Theodosij & Arcadij Imperatorũ condita, ad fluvium Geram, cuius etiam riuuli ferè undiq; per Vrbem se diffundunt.

8. 26. *Gotha,* Thuringiæ oppidum, circa annum Christi 923. à 3.
Prandij. Gothis, ut quidam autumant, conditum, percelebri murorum ambitu, propugnaculis firmis & fossis profundis, superioribus temporibus benè munitum. Admirandæ fortitudinis castrum habuit Grimmenstein, quod solo æquatum est Anno 1567. Imperatoris & Ordinum Imperij mandato, capitali supplicio affectis Nobilibus quibusdam, illud vi retinentibus.

Cœnæ. 27. *Isenacum*, Thuringiæ oppidum, sub imperio Ducum Saxoniæ Coburgensium. Hic olim fuisse veterum Thuringiæ Landgraviorum sedem dicit Münsterus. 3.

9. 28. *Berga*, Thuringiæ oppidulum, ad Werram fluvium situm. 4.

Prandij. 29. Gyllen See/ pagus ad limites Thuringiæ & Hassiæ.

30. Nadelöhr/ est lapis perforatus, in locum arboris olim excavatæ in mediâ sylvâ, venationibus ob ferarum sylvestrium copiam frequente, à *M*auritio Hassiæ Landgravio, ad viam positus, per quem prætereuntes ioci & vexationis gratiâ, proni perrepere solent.

Cœnæ. 31. Heerßfeldt/ Hassiæ oppidulum. 3.

Prandij. 32. Engelbach/ pagus. 4.

10. Cœnæ. 33. Elmerode/ pagus, multæ ibi auratæ. 3.

11. 34. *Gruneberga,* Hassiæ oppidulum.

35. Mörle/ Domus Hassiæ Landgravij venatoria.

Prandij. 36. Neurode oder Newherberge/ pag⁹ ad limites Hassiæ & Wederoviæ. 4.

37. Hungen/ Wederoviæ oppidum, cum adiuncta arce.

Cœnæ. 38. *Fridberga*, Wederoviæ oppidum Imperiale. Fons est ibi extra mœnia acetosus, saporis grati & salubris. 3.

12. 39. FRANCOFORDIA SEU FRANCOFURTUM, Imperij op- 6.

rij oppidum, in Franconia aut potius in extremitate eius ad *M*œnum fluvium situm, nobilissimum totius Germaniæ Emporium, ad quod bis in anno, Veris nempe & Autumni tempore, ex Italiâ, Galliâ, Poloniâ, & alijs etiam remotioribus Provincijs *M*ercatores confluere solent. Quidam Helenopolin aliquando dictum putant, ab Helena Imperatrice, Constantini magni matre. Prætorium habet illustre, vulgò Römer dictum, in quo sæpè Principes Electores, seu VIIviri conveniunt, de rebus acturi communibus, & cum vacat Imperium, Romanorum Regem sive Cæsarem eligunt. Huic Vrbi, lapideo elegantiq; ponte, haud vulgaris magnificentiæ oppidum *Saxenhausen*, id est, Saxonum domus coniungitur, propugnaculis, mœnibus, vallis & fossis, ad defensionem idoneis & necessarijs, egregiè circumdatum.

16. 40. Höchst / oppidulum Archiepiscopi *M*oguntini.

41. Nähdt / Archiepiscopi *M*oguntinensis oppidulum, à fluvio Nähdt / præterlabente, nomen habens.

Prandij. & Cœnæ. 42. *Moguntia sive Maguntia*, Vrbs vetusta, una ex *M*etropolitanis Germaniæ Civitatibus, Varianâ clade insignis, templorum magnificentiâ, privatis ac publicis ædificijs exornata, nihil habet, quod reprehendi queat, nisi vicorum arctitudinem: nomen sortita à *M*ogano fluvio; Condidisse hanc fertur *M*oguntius Troianus quidam; Olim hic Romanorum munimenta fuerunt contra Alemannos ad ipsam Rheni ripam. 4.

*M*oguntia vetus paulo remotior à Rheno fuit, quemadmodum adhuc ruinæ testantur; In loco admodum amœno iacet, ubi *M*œnus fluvius, quem alij *M*oganum vocant, ex Franconiâ descendens, Rheno commiscetur. Agrum habet ab utrâq; Rheni ripâ fœcundum & præstantissimo vino luxuriantem. *M*agna est, benè munita, populosa, ex parte quam Rhenus alluit, immensæ longitudinis. Ædes ibi amplissimæ sunt Romanorum more. Nulla est in Rheni tractu Ciuitas, quæ plura quàm *M*oguntia antiquitatis monumenta ostendat. Archiepiscopum ex Septemviratus ordine, qui aulam ibi suam habet Mœni & Rheni confluentia.

cum

cum adiuncto sacello splendidissimè exornato, Dominum agnoscit. Academiâ & Artis Typographicæ inventione, quam circa annum Christi 1440. initium suum habuisse pleriq; opinantur, claret.

17. 43. *Oppenheimum*, Palatinatus oppidum, ad Rhenum in colle positum, sub imperio Comitum Palatinorum. Quidam situm huius, cum vrbis Hierosolymæ situ comparant. 3.

Prandij. 44. WORMATIA, vetustissima & amœnissima Vangionum Civitas olim, nunc libera Imperij Vrbs, ad Rhenum sita, originem sumens, uti scribitur, à Trevirensibus, quibus aliquando etiam annuum tributum pendit; deinde Romanis ad Attilam usq; subdita, ab eo, cum multis alijs Rheni vrbibus subversa, iterum à Galliarum Rege Clodoveo instaurari cœpta, à Brunichilde Regina, venustè illustrata, ac Galliæ Regum sedes effecta est, qui castrum Regium ibidem construxerunt, eâ parte ubi nunc nova Wormatiensis Curia conspicitur, quod tempore Caroli Magni flamma in cineres redegit. Archiepiscopatus indè Moguntiam translatus est, Anno Christi 779. 5.

45. Franckenthal/ Electoris Palatini oppidum, cuius incolæ maxima ex parte hodie sunt Belgæ exules, huc tanquam coloniæ Anno Christi 1576. à Friderico Palatinatus Electore deductæ. Fuerunt hìc olim duo Cœnobia, unũ Monachorum, alterum virginum, ab Eckenberto Camerario cive Wormatiensi, nobilissimæ Camerariorum à Dalberg familiæ authore, circa Annum Christi 1119. tempore Henrici V Imperatoris cõdita. 2.

Cœnæ. 46. SPIRA, celebris admodum Imperij & Episcopalis in Germaniâ Civitas, cuius Incolæ, Nemetes olim, & Vrbs ipsa Nemetum dicebatur, ad Rhenum sita, & toti Christianorum Orbi, ob supremum Cameræ Imperialis Iudicium nota, de quâ paucula hæc Æneæ Syluij de moribus Germaniæ placuit adscribere verba: Nec Spiram quisquam contemserit, populo plenam & magnificis ædibus ornatam: Cuius nobile templum, quamvis Anno Iubilæo conflagraverit, ita tamen postea restauratum est, ut felix incendium illud fuisse videatur. In hoc templo non 3.

pauci

pauci iacent Cæſares, inter quos & Rudolphus eſt, qui Auſtriæ familiæ Author habetur. Hactenus ille. De Spira Nemetum plura infrà.

Prandij. 47. HEIDELBERGA, ad Neccarum fluvium ſitum Palati- 3.
18. natus oppidum primarium, Comitum Palatinorum Rheni ſedes, Ptolomæo, uti putatur, Budoris. Nomen oppido datum quidam exiſtimant, à Gentium Coloniâ, quæ ante multos annos hic habitaſſe multis indicijs convincitur. Vocant enim Germani, Gentilem hominem Heyden/ vel à nigrorum vacciniorum Teutonicè Heydelbeer/ multitudine; vel deniq; à montibus, quibus undiq; ferè eſt occultatum, quaſi Eydelberg. Olim Vangionum imperio ſubditum fuit. Solum habet omnium rerum ferax. Eſt & ibi florentiſsimum Gymnaſium, à Ruperto Comite Palatino, multis privilegijs, Anno 1346. donatum, cuius Cancellariatum olim obtinuit Æneas Sylvius, uti ipſemet refert de (morib. Germ.

Cœnæ. 48. Reylingen/ pagus. 2.
19. 49. Graben, Marchiæ Badenſis oppidulum.
Prandij. 50. Linckenaw/ pagus ad Rhenum. 3.
51. Mühlberg/ Marchiæ Badenſis oppidulum.
Cœnæ. 52. Raſtadt/ Marchiæ Badenſis oppidulum. 3.
20. 53. Stollhofen/ Marchiæ Badenſis oppidulum.
Prandij. 54. Lichtenaw/ Comitum de Hanauu oppidulum. 3.
Cœnæ. 55. *ARGENTINA ſeu Argentoratum*, cuius ob antiquitatem 3.
Ptolomæus. lib. 2. Eutropius, Marcellinus, & alij meminêre; Civitas eſt vetuſtiſſima ſimul & magnificentiſſima, Argentaria dicta, Alſatiæ Metropolis, propè Rhenum ſita, quam Trevirorum dominio prius ſubditam, Cæſar poſtea, cùm univerſam provinciam Helvetiorum & Heduorum perdomuiſſet, traiecto Rheno fluvio ſibi ſubiecit, ſubiectæ Conſulē & Quæſtorem dedit, qui in eâ Vrbe Cameram Romanorum, pro tributis ſolvendis erexerunt, (unde Argentariæ ſive Argentinæ nomen ei inditum eſt) & usq; ad Imperij inclinationem ibidem perſtiterunt. Tandem Attila, è Sicambrorum finibus egreſſus, primùm Illyricos invaſiſſe, deinde omni penè Germaniâ peragratâ, Argē-

tinam

tinam expugnasse, & diruto eius muro, propter viarum multitudinem quas in muro fecerat, Straßburg vocari iussisse dicitur. Vtrũq; nomen hodie retinet, inter Imperij liberas Civitates prima. Meminit eius Æneas Sylvius his verbis: *Argẽtina verò tant⁹ splendor, tantum decus, ut non abs re id nomen ei inditum fuerit; Quæ similitudinem Venetiarum exhibet, multiplicibus divisa canalibus, quæ naves in omnes fermè plateas vehunt; eò salubrior, atq; amœnior, quod Venetias salsæ & graveolentes: Argentinam & dulces & perspicuæ percurrunt aquæ; hinc Rheni brachio, indè tribus alijs fluminibus Vrbem intrantibus & triplicem murorum ordinem ambientibus. Ecclesia Pontificalis, cui Monasterio nomen est, secto lapide magnificè constructa, in amplissimam fabricam assurrexit, duabus ornata turribus, quarum altera, quæ perfecta est, mirabile opus, caput inter nubila condit. Sunt & alia Sanctorum delubra, & Monachorum Cœnobia, & amplitudine & ornatu splendidissima. Prætorium excellens, & civium ac sacerdotum ædes, quas nec Reges incoluisse piguerit.* Hactenus Sylvius. Quandoquidem verò in hac Nobilissima Vrbe, studiorum gratiâ per integrum annum nobis commorandum fuerit, placet eiusdem Reip. formam Administrationis raram & laudabilem hîc paucis subijcere.

I.

Magistratus primarius ita deligitur, ut eius tertia pars ex Nobilibus; duæ reliquæ partes ex Civibus tam Patritijs quàm Plebeis constent. Forma Reipub. Argentinensis.

Sunt *Tribus XX.* quarum singulæ suum habent Tribunum, cui adiunguntur Scabini quatuordecim; quorum consilio de rebus propriè ad suam Tribum pertinentibus, cognoscat atq; decernat.

Tribunus quotannis mutatur, ut & Scabinorum pars dimidia; in quorum locum surrogantur totidem alij; reliquis interea in suo munere perseverantibus, donec anno insequenti proximo & ipsi functione suâ liberentur, ipsisq; ut prioribus, septem alij succedant.

Ex Tribunitijs autem Scabinis eligitur aliquis *Senator*, qui Senatum, quem vocant *Maiorem*, per biennium frequentet; ita tamen, ut quarum Tribuum Senatores decem, hoc anno Magistratu abeunt; novi totidem ex earundem Scabinis delecti sufficiantur; Reliquarum Tribuum decem Senatores, qui hoc anno in functione, donec biennium compleretur, perseverârunt, consimiliter Magistratu abeunt, & novos è suis Tribubus relinquunt successores. Sic namq; fit, ut quotannis deni Senatores Tribunitij aut suâ functione liberentur, suffectis totidem alijs, aut in sequentem porrò annum, in suo munere, donec biennium compleatur, maneant. His XX. Tribunitijs Senatoribus adiunguntur X. ex Nobilibus, & sic totus Maior Senatus constat ex XXX. Senatoribus, quibus præsident Prætor, qui ex Nobilibus deligitur, & Consul, qui ex Patritijs vel Plebeis constituitur; scilicet suffragijs maioris Senatus. Penes hunc Senatũ versatur tractatio rerũ Iudicialium, tàm criminalium, quàm civilium, modò civiles causæ summam 600. florenorum excedant. Consul primum dicit suffragium & reliqui Senatores reliqua, interrogati singuli à Prætore. Consules habentur sex, quorum singuli eo ordine, quo delecti fuêre, annum integrum suo munere funguntur, immunes deinde per annos quinq;, donec unumquemq; ordo ad munus Consulare, si superstit, revocet. Si quis verò Consul intereâ diem obierit supremum, surrogatur in eius locum alius, sive ex Tredecemvirorum, sive ex Quindecemvirorum ordine, & quidem à Senatu, ut dixi, *Maiore*. Prætores quoq; ex Nobilibus sunt sex, quorum singuli Trimestres sunt; ita quidem, ut intra menses XVIII. unusquisq; ad munus suum redeat.

II.

De Quindecemviris.

Magistratus Quindecemvirorũ curam gerit rerum Vrbanarum; Sicubi sit opus alijs atq; alijs statutis, de ponderibus, mensuris, contractibus rerum ad rationem Oeconomicã pertinentibus,

bus, vectigalibus, singulorum civium censu quotannis persolvendo Magistratui, re frumentariâ, vinariâ, diversorijs &c. His præest unus quidam ex ipsis circulari ordine constitutus, qui alios, quotiescunq; opus est, convocat, & in Senatu, quâ de re agendum sit, proponit, suffragiaq; exquirit. Horum decem, vel ex Patritijs, vel ex Plebeis, sine discrimine, modò ad hanc functionem iudicentur idonei, deliguntur; Quinq; reliqui ex Nobilibus. Si quis eorum vitâ excedat, eligitur ex ipsis alius, qui defuncto sive Nobili sive Plebeio succedat, idq; fit intra octiduum; Neq; consideratur, an is in Senatu antè fuerit, vel in suâ tantum Tribu Scabini munere functus sit.

III.

De Tredecemviris.

Tredecemvirorum Magistratus propriè tractat negotia aliunde ab Impp. Regibus, Principibus profecta; Item quæ ad negocia bellica spectant vel ad Armamentariũ pertinent, & similia plura alia secretiora. Sunt in hoc ordine *quatuor Pratores, & Consules totidẽ*; qui reliquis binis in suâ functione fuerunt priores; quibus adiunguntur quatuor alij ex Civibus, qui consilio & rerum usu præstare iudicantur, atq; illi ex Quindecemviris deligi solent.

His omnibus præest in consilio Consul, qui pro tempore est in officio; sive is ex senioribus quatuor, sive ex duobus iunioribus sit Coss. Ter in hebdomade conveniunt tres illi Ordines Magistratus in Palatio; diebus Lunæ, Mercurij, Sabbathi. Tractantur ab ijs negocia, ad Urbem & Civitatem in commune pertinentia, civium etiam itemq; extraneorum audiuntur libelli supplices, querelæ, petitiones, & cuiuscunq; generis proposita, quæ ad forum Iudiciale nondum pervenêre.

IV.

De Senatu Minore.

Est & *Minor Senatus Iudicialis*, qui Senatores habet benè

multos, quorum tertia pars itidem ut in Maiori constat ex Nobilibus, reliquæ duæ tertiæ ex Plebeis; atq; hi deliguntur ex Tribuum Scabinis. Tractantur in hoc Senatu causæ Testamentariæ, Hereditatum, Possesionum Urbanarum & Rusticarum, Contractuum, Debitorum, Fidejussionum &c. Quæ si 600 florenorum summam excedant, pertinent propriè ad Senatum *Majorem*; Sin autem summa X. florenos non superet, pertinent ad judicium aliud Inferius Septemvirorum, ubi injuriæ & rixæ viliores ac tenviores componuntur, præsertim verbales; qui sunt homines Ordinis privati seu Plebei, ex Civibus prudentioribus delecti.

Est & aliud *judicium infimum*, ubi *de debitis exiguis* tantummodò dijudicatur, cui præest unus ex Civibus, quem Sculterum vulgò nuncupant.

Notandum hîc prætereà, quod Senatus Argentinensis quotannis 3. Eid. Ianuarij publicè in pegmate iuxta Cathedrale templum erecto, Iuramentum universo populo, & populus vicissim in areâ stans ipsi solet præstare.

Academia illic celeberrima est, à Iacobo Sturmio primario Senatore Anno 1538. instituta, quæ doctissimis plerumq; viris ornata, in qua privata & publica exercitia vigent, ita ut etiam ex remotissimis locis studiorum gratiâ multi eò se conferant.

Est hæc urbs undiquaq; validè munita, inprimis autem ortum versus, ubi triplici fossa cingitur; *Armamentarium* habet instructissimum, vario machinarum bellicarum apparatu, ita ut hâc in parte vix ulli in Germaniâ cedat. Monstratur in eo inter cætera Tripos æneus, capacitatis haud exiguæ, quem Tigurini, pulte calidâ plenum, spatio unius diei, *A*rgentinam usq; navè devexerunt, unde de confœderatorum utrinq; succursu, imminentis ab hoste periculi & necessitatis tempore, judicari posset. Distat autē Tigurum ab *A*rgentina XXII. milliaribus Germanicis magnis. *Granaria & Cellaria* habet publica, frumento & vino refertissima. *Pritanæum* locus hîc est, in quo Prætor Nobilis, & Consul Patritius sive Plebeius, qui Reip. clauum tenent,

quoti-

quotidiè prandent; *Ad* istud prandium omnibus & incolis & peregrinis pro certo pretio accedere licet. In areâ, quam vulgò Barfüsserplatz vocant, *Turris* quædam est, ærario publico destinata, inde *Numaria* dicta, quòd in eam singulis hebdomadis census inferri solent. Non procul hinc abest Monasterium Ordini Prædicatorum olim, nunc Collegio Academico deputatum, cui adiuncta est area satis ampla, in quâ, ceu in Theatro, Comœdiæ & Tragœdiæ quotannis exhibētur. In porticu templi Cathedralis cernitur *machina horaria* stupendi operis, quam *Ma*gistratus Vrbanus magnis impensis, autoribus Dn. Cunrado Dasypodio Argētinensi, & Dn. Davide Wolckenstenio Silesio, Mathematicis excellentibus, fieri curavit.

Portæ Urbis sunt IX.

Ortum respiciunt: { *1. Iudaorum*, *2. Piscatorum* } *Porta.*

Austrum: { *3. Nova*, *4. Laniorum*, *5. Hospitalis* } *Porta.*

Occasum: { *6. D. Elisabetha* } *Porta.*
{ *7. Turris Alba* } Cuius muris & fossæ inclusum est molendinum, habens 9. rotas.

Aquilonem: { *8. Corona Regia*, *9. Via Lapidea* } *Porta.*

Pons, qui extra Urbem Rheno, in formam propemodum literæ S. impositus, & ultimus pontium Rhenensium est, LXVII. jugis sustinetur, quorum quodlibet XXII. aut XXIII. pedes ab altero distat; Atq; constans est fama, totum illud vectigal & pedagium, quod à Publicanis in eo quotannis colligitur, non sufficere ad annuas expensas in eundem conservandum faciendas, &c.

ITER BADENSE ET FRIBVRGENSE.

ARgentinâ non procul absunt Thermarum & Acidularum fontes, magni non solùm in Germaniâ, sed etiam apud Exteros nominis; Istarum potissimum videndarum causa, antequam aliò migrandum esset, hoc iter susceptum.

Prandij. 56. Liechtenau/ Comitum ab Hanau oppidulum, de quo su- 3.
7. prà.

57. Stollhofen/ oppidulum in Marchiâ Badensi, de quo su- 1.
prâ.

58. Schwartzach/ Virginum Vestalium Cœnobium à dextris relictum.

Cœnæ. 59. BADENA, Marchiæ Badensis Metropolis est, à Thermis 2.
ita Germanicè nuncupata, & undiq; ferè montibus occultata;
8. *Arcem* in editiore loco magnificè extructam habet adiunctam, in cuius penetralibus visu digna sunt *Marchionum* Badensium *Genealogia, & depictæ effigies,* quorum primus Hermannus Marchio Veronensis & Badensis, Anno Christi 1153. cum Friderico primo Romanorum Imperatore ex Italiâ in Germaniam veniens, hanc Marchiam in feudum Imperij obtinuit & ad posteros transtulit. In Cellario huius arcis subterraneo peregrè advenientibus, solet porrigi haustus vini, quod Anno Christi 1472. natū esse perhibetur. Sed præ reliquis *fons thermarum* hîc consideratione & contemplatione dignissimus est, cuius aquæ calidissimæ & saluberrimæ, sulphur, sal & alumen secum trahentes, per tubos & fistulas non solum ad publica balnea, sed in plerasq; privatorum ædes deductæ, magno Oppidanis sunt usui & quæstui.

Cœnæ. 60. *Bihelum*, vicus *Marchiæ* Badensis. 2.

9. 61. Acheren/ }
62. Saspach/ } pagi Imperiales.
63. Renchen. }

Prandij. 64. *Ypergracia*, vulgò Oberkirch/ Episcopatus Argentinēsis op- 2.
pidulum ad radices sylvæ *Martianæ* situm. Hìc in turri quadam portæ superinstructâ verba sequentia maiusculis literis inscripta leguntur: *Christo Redemtori. S.* *Re-*

Reverendißimo ac verè inclyto Dn. Ioanni IV. Argentorat. Præsuli, Comiti Provinciali Alsatiæ, Moderatori optimo, clementißimo, prudentißimo & suo auctori &c.

QVòd municipia eorum, unà cum adhærente tractu, nexibus alienis planè libera fecerit, suoq; nitori restituta excoluerit & adornârit, quodq; Maiorum immunitates novis additis Iuribus confirmârit ac conservârit, insignibus Virtutibus eiusdem domesticis publicisq;;

Respubl. Ypergræcia, cũ sociâ communitate Nopenaviorum humilimè D D. Anno Salutiferi partus M. D. LXXXVI.

Nescit stare loco virtus.

65. Lauterbach/ pagus.

66. *Nopenavium*, oppidulum à sinistrâ relictum.

Cœnæ. & Prandij. 10. 67. *Aqua Acidula* in valle D. Petri, ubi duo fontes exiguo intervallo à se invicem dissiti, tantæ ob medendi vim sunt celebritatis, ut ex diversis, & remotioribus locis, magnus ad eos hominum ægrotorum, Veris & Autumni tempore fiat concursus: qui istâ aquâ partim bibendo, partim lauando utentes, à varijs morbis liberantur. 2.

Cœnæ. 68. *Offenburgum*, Imperij oppidum, ab Offone Anglo ex Regiâ familiâ oriundo, Anno Christi 600. ædificatum. 3.

11. 69. Küppenen/ pagus.

70. Ettenheim/ oppidulũ, ubi vectigal exigunt Argentinenses.

Prandij. 71. Kentzingen/ Archiducum Austriæ oppidulum. 4.

72. Liechteneck/ Arx Comitum à Tubingen.

73. Hochberg/ Marchionum Badensium Arx unà cum subiacente territorio.

Cœnæ. 74. Gundelfingen/ pagus. 2.

Prandij. 12. 75. FRIBURGUM Brisgoiæ sub ditione Archiducum Austriæ oppidum, à Berchtoldo Principe Zaringense, Anno Christi 1112. tempore Henrici V. Romanorum Imperatoris conditum, Academiâ, in quâ Erasmus Roterodamus olim vixit & & docuit, clarum. 1.

In

In Choro Templi primarij, quod *Monasterium* vocant, præter aquas salientes per tubos eò deductas, cernere licet Epitaphium Clarissimi ICti. Vdalrici Zasij, quod sic habet:

Huldrichio Zasio ICto. suorum temporum toto Orbe celeberrimo, huius Academiæ ornamento singulari, & Reipub. Friburgensi in restaurando Iure municipali jam olim strenuam operam navanti, alijsq; multis nominibus de se bene merito, Magistratus officij memor fieri jussit: Concessit naturæ, Anno Salutis M.D.XXXV. VIII. Kal. Decemb.

Ex adverso est Epitaphium *Henrici Glareani*, Poëtæ Laureati.

Visu dignæ quoq; hic sunt *Officinæ polionum*, in quibus Crystallinus lapis, Iaspis, & id genus alij pretiosiores purgari & expoliri solent.

Cœnæ. 76. *Brissacum*, Archiducum Austriæ oppidum munitiss. ad Rhenum fluvium in colle positum; *Fontem* habet in medio foro adeò *profundum*, ut amphora aquæ vix dimidiæ horæ spatio inde possit extrahi: In primario templo *Altare ligneum* artificiosissimè sculptum cernitur. 2.

13. Hinc Rheno secundo, nave Argentoratum descendimus, & ibi per octiduum substitimus, antequam *G*enevam versus iter ingressi sumus. 8.

ITER HELVETICVM ET GENEVENSE.

22. 77. Ehrstein/ Vicus *G*ermaniæ in *A*lsatiâ.

Prandij. 78. Matzenheim/ pagus *A*lsatiæ in Germaniâ.

79. Benfeldt/ oppidum in Episcopatu *A*rgentinensi munitiss. à sinistrâ parte relictum; 3.

Cœnæ. 80. SELESTADIUM, Imperij in *A*lsatiâ oppidum, Ptolomæo Elcebus, *A*nno Christi 1216. sub Friderico II. Romanorum Imperatore muris cinctũ, hodie vallis & fossis benè munitum. 3.

23. 81. Bercken/ oppidulum & tres arces uni colli impositæ à dextris relictæ.

Non procul abhinc oppidulum Reichenweyer/ vino generoso

roſo nobile conſpicitur, in cuius Cœmeterio tria templa vel Sacella ſtructa eſſe dicuntur, unde ſequentes Rythmi ab antiquis facti:

Drey Schlösser auff einem Berge/
Drey Kirchen auff einem Kirchhofe/
Drey Städte in einem Thall/
Ist das gantz Elsas überall.

Prandij. 82. COLMARIA, *A*lſatiæ & Imperij oppidum, in fœcundiſsimo ſolo, vino & frumentis abundante ſitum, olim *A*rgentuaria, ſive *A*rgentarina dicta, ut quidam exiſtimant. 3.

83. *Vicus S. Crucis.*

Cœnæ. 84. Pantzenaw/ pagus. 3½.

24. 85. Ottmarschen / *A*rchiducum *A*uſtriæ vicus, fano Ethnico rotundo celebris, in cuius centro deſuper ſuſpenſum fuiſſe olim Martis ſimulachrum ſeu Idolum, & inde huic loco nomen inditum, quaſi dicas, Gottmartisheim/ fama eſt. In eodem fano ſive templo XII. ſunt arcus, quorum ſinguli ſupernè laqueati, in medio annexum habent annulum ferreum, & XII. ſignis Zodiaci putantur fuiſſe deſtinati.

Prandij. 86. *Cambetis* vicus, vulgò Großkembß. 2.

Cœnæ. 87. BASILEA Rauracorum *A*uguſta, Germaniæ nobilis Vrbs, ad Rheni utramq; ripam bipartita; *M*aiore in littore Gallico; *M*inore verò in Germanico ſita; *M*aior vallem occupat à *M*eridie verſus Septentrionem, inter duos colles ad Rhenum deſinentes extenſam, fluvioloq; Byrſa irrigatam; *M*inor verò fundum habet planum. Liberrimo recreatur aëre, ſolum habet fœcundum, ſcaturigines multorum fontium, concurſus multorum amnium. Pio II. Pontifice Romano Inſtitutore, celebri gaudet *A*cademiâ. 2.

Gymnaſia duo ſunt, Superius & Inferius. In ſuperiori Galli ſuas conciones habere ſolent, ſtipendiarij in illo aluntur, & pro prytanæo in inaugurationibus Doctor. ſervit. Inferius fruitur amœniſsimo proſpectu, ponti & ſummi templi areæ vicinum, Rheno imminens. *A*ula promotionibus nova anno 1573.

data, sceleto virili, muliebri, puerili, simiæq; exornata, *And.* Vesaliensis Bruxellensis primùm, deinde Felicis Plateri Basiliensis munifica industria. Videtur quoq; insignis Bibliotheca, varijs libris manuscriptis ornata, inter quos *Compendium Grammatices,* sua magnitudine, quodlibet volumen excedit. Theologi in templo Cathedrali profitentur. In hac *A*cademia nostro tempore hæc duo rara, & omnibus professorib. alijsq; inaudita acciderunt: primum ut quidam *Burgundo-Gallus,* nomine *Iacobus Corneus,* qui nondum quatuor lustra excesserat, in utriusq; Iuris & *M*edicinæ Doctorem, summa cum laude promoverit; secundò, quod *Martino Prætorio Silesio,* qui per sedecim annos Præceptor *M*archionum Brandeburgensium fuerat, in publico actu catena aurea, à *M*archione missa & donata fuerit.

In Heluetici fœderis societatem recepta est *A*nno Christi M. D. I. & nonum inter pagos Helueticos locum obtinet. In hac urbe quondam propter ipsius amplitudinem, & magnam multitudinem Nobilium, duæ fuere societates Nobilium, quæ etiam nonnunquam hostiles inimicitias inter se exercuerunt; penes hos fuit summa autoritas, atq; ex una societate *Consul,* ex altera *Tribunus,* primæ post Consules auctoritatis deligebatur; postea tamen Nobilitas à gubernaculis Reipub. amota est, seu potius ea sponte deseruit; Et primus Petrus Offenburgius absq; dignitate Equestri Consularem dignitatem obtinuit, *A*nno 1502. Hodiè civitas in XV. tribus divisa est, è quibus quatuor, alijs nobiliores habentur, quas *Dominorum tribus* nominant. Præcipuæ dignitates perpetuæ sunt, *Consularis, Tribunitia, Senatoria,* nisi quod alternis annis nomen administrationis accipiant & Novi appellentur; Reliquæ variant. Nam cum Senatus totus è LXIV. viris constet, alternis annis vacationem muneris habent, ut scilicet XXXII. illi, quorum annus est, *Novum Senatum,* reliqui *Senatum veterem* dicantur constituere: Vetus in posterioribus Subsellijs, ea quæ Novo Senatui proponuntur audit; Subinde de rebus gravioribus seorsim deliberat, sententias latas Novus examinat, suaq; auctoritate vel ratas

tas

tas facit, vel irritas. In toto Senatu rarò aliquem invenies, qui doctrinâ & literis imbutus fuerit, & ut docti in Senatum accipiantur, minimè consultum Reipub. putant. Iudicia criminalia sub dio habentur, & reum Procurator Criminalis urbis, coram Consule & Senatu accusat, ubi cum Consul omnia suffragia & vota intellexerit, definitivam fert sententiam: De corpore interfecto semper particula aliqua reservatur, quæ deinde in publicum, dum causa tractatur, loco interfecti ponitur.

In Curia sub columma est statua L. Munatij Plancj, cum hac inscriptione:

HONORI ET VIRTVTI.

L. MUNATII P.F.L.N.L. Pron. Plancus Coss. Cens. Imp. ter VIIvir Epulonum, qui triumph. ex Rhætis, Aedem Saturni F. ex manubijs agros divisit, in Italia Benevent. In Galliam Colonias ded. Lugdunum & Rauricum: Civitas Basiliensis, ex bellicoss. gente Alemannorum in Rauracorum fines transducta, simulacrum, ex Senatus auct. dicandum statuendumq; curavit, Anno Salutis humanæ LXXX.

Videtur quoq; inscriptio inundationis Birseeæ in ænea tabula.

Horarum hic magna varietas; cum diem duodecim horis, noctem totidem discriminent, à meridie & media nocte exorsi, horarum tamen numero anticipant, ita ut prima sit Basileæ, quæ vicinis est duodecima. Id vulgus ad incertam historiam refert; Cum coniurati quidam hora XII. noctis, urbis invadendæ consilium cepissent, & divino numine horologia omnia hora unâ anticipassent, tanquam facinore detecto, animis concidêre & à pistorum pueris proditi pœnas dedêre. Sed alij has quoq; Concilij reliquias esse putant, quasi patrum conventum, horarum numero anticipando, maturare voluerint.

Concilia in hac urbe *tria* fuerunt: Primum ab Henrico I. Imp. indictum, *Anno* 1061. XXV. Octobris. Eligitur in PP. Cadolus Parmensis, Honorius dictus; Sed Alexander II. armis Pontificatum sibi vendicavit. Alterum *Anno* 1431. prima

Sept. à Martino V. PP. contra Hussitas cœptum, per Iulianum Cardinalem. Eo mortuo, cum Eugenius IV. quibus posset modis Concilium turbare vellet, neq; citatus compareret: procerum consensu Amadeus Sabaudiæ Dux sub nomine Felicis V. Pontifex creatus est, Anno 1439. Mortuo Eugenio, Nicolaus VI. Concilij Lausannam transferendi Anno 1448. auctor, Felici persuasit, ut abdicaret. Tertium Andreas Archiepiscopus Carnensis contra Sixtum IV. moliebatur: Eum, multùm licet fremente PP. Romam Basilienses mittere noluêre, liberali tantum custodia septum, Friderici III. Imp. auctoritate ad causam dicendam servavêre. Cæterùm in vinculis laqueo collum innexus, mortuus manè inventus, & cognitioni se subtraxit, & magna cura Pontificem liberavit. Fontes per totam urbem frequenter inveniuntur.

Cathedrale D. Mariæ virginis templum, in fundamentis arcis eversæ, ab incolis sub Henrico I. ædificari cæptum. Quod cum terræmotu ob Rheni viciniam gravius concussum esset, ab Henrico II. reparatum. Sensim turres geminæ additæ, maior D. Georgio, minor D. Martino sacra, quarum statuæ lapideæ additæ, anno vix demum 1490. absoluta. Anno nunc 1598. totum hoc templum sumptib. Magistratus colore rubro renovatum videtur, & ex dicta S. Martini statua, Politicam personam, Regem referentem, fecerunt: mendicum, qui S. Martino aderat, in arboris truncum commutarunt, vulgò appellatur: Der Ritter zum dürren aste. S. verò Georgij statua intacta mansit, nolentibus vel volentibus Theologis.

In primario templo, veluti & in reliquis, plurima sunt Epithaphia, visu & notatu digna, ex quibus hæc tantum hìc asscribere placuit;

I. CHRISTO SERVATORI. S.

Des. Erasmo Roterodamo, Viro omnibus modis maximo, cuius incomparabilem in omni disciplinarum genere eruditionem, pari coniunctam prudentiâ, posteri & admirabuntur & prædicabunt; Bonifacius Amerbachius, Hieronymus Frobe-

nius.

nius, Nicolaus Episcopius, hæres, & nuncupati supremæ suæ voluntatis vindices, Patrono optimo, non memoriæ, (quam immortalem sibi editis lucubrationibus comparavit, ijs tantisper, dum Orbis terrarũ stabit superfuturo, ac eruditis ubiq; gentium collocuturo) sed corporis mortalis, quo reconditum sit ergò, hoc Saxúm posuere. *M*ortuus est IV. Eid. Iulij, jam septuagenarius, Anno à Christo nato. M.D.XXXXVI.

Saxo sepulchrali hæc insunt:

Des. Erasmum Roterodamum amici sub hoc saxo condebant.

Hæc tria sequentia Epitaphia coniuncta & unico lapidi inscripta sunt, hisce verbis:

II. Deo Opt. Max. et Christo Servatori.

1. Dn. *Iacobum Meierum* huius inclytæ urbis consulem prudentissimum, consultissimumq;, pietatis sanè cultorem ac Promotorẽ primarium; omnis honestatis, quod in ipso fuit, instauratorem diligentissimum, lapis subiectus contegit.

2. Dn. *Io. Oecolampadius*, Professione Theologus, trium linguar. peritiss. auctor Euangelicæ doctrinæ in hac urbe primus; & templi huius verus Episcopus; ut doctrina, sic vitæ sanctimonia pollentissimus, sub breve saxum hoc reconditus est.

3. Dn. *Simoni Grynæo*, almæ huius *A*cademiæ Rectori, & laude & memoria sempiterna, ob linguarum Latinæ, Græcæ, & Ebraicæ peritiam, omnisq; Philosophiæ ad miraculum usq; cognitionem, ob Theologiæ veræ scientiam & usum, digno, monumentum hoc dicatum est. *A*nno Sal. M.D.XLII.

Sub his tribus monumentis talis rythmus legitur:

So Ehr/Gut/Kunst/hülffen auß Noht/
Wer keine von diesen Dreyen todt.

III. Trinuni. S.

Franciscus Hottomannus ex antiq. & nobil.
Ottomannorum famil. apud Siles. German. popul.
Lutet. Parisior. natus,

Pius, integerq; Iuris Iustitiæq; Antistes
Ius. C. Rom. Script. illust. Valent. Cavat. Avarici Bitur.
Ann. mult. docuit,
De Summâ Repub. consultus sap. respondit,
Legation. German.
Sub Karolo IX. Franc. Reg. prospere gess.
Patriam ob civile bell. sponte liqu.
In patria ceu patr. alt. concess.
Principibus ob scient. & prob. acceptiss.
B. A. LXV. M. V. D. XX.
Θ. A. cIↃ IↃ Xc. Eid. Febr.
cIↃ IↃ. Xc. Id. Febr.
Ioan. f. amiciq; Basileæ.

IV Videtur postea antiquum Sepulchrum hac inscriptione:

Hic iacet arte Plato, Cato vita, Tullius ore:
Vermes corpus alit, Spiritus astra colit.

1. In *Maiore Basilea*, inter cætera, visu digna quoq; est *Domus Martia*, amplâ magnificaq; structurâ; inferiore loco tormentis bellicis asservandis; superiore autē Annonæ accumulandæ usibus serviens, quô ingravescente necessitate tenuioris fortunæ cives, inopsq; plebecula sublevari possit; unde non immeritò nec ineptè *Martis* & Cereris contubernium dici meretur. Domus Martia.

2. Huic contiguus est *Lucus SanctoPetrinus*, plano & gramineo solo, prati instar undiq; virens, tilijs eleganti ordine, binisq; fontibus irriguus, iugerum circiter trium, æstivo tempore amœnitate suâ mirificè blandiens; Quò fit, ut festis potissimum diebus atq; vespertinis horis, quibus à laboribus missio datur, tàm viri quàm adolescentes eò confluant, deambulandi, saltandi, ludendi, vel alijs modis corporis exercendi gratiâ. Ibidem etiam viri atq; juvenes, quibus sagittas impellere neruo volupe est, locum designatum habent. Locus SanctoPetrinus.

3. Quin etiam *Quercus* illic *annosissima* spectatur, ex cuius vasto robore, trunci decem, singuli justæ arboris magnitudine, non in altum erecti, sed in latum undiquaq; diducti, ita explicantur, Quercus memorabilis.

ut triplici columnarum ſuſtentaculo egeant, quarum initima ſeries hexagonum, media octogonum, extrema ſedecagonum repræſentat, peripheriâ 112. greſſuum, tam patulo ramorum frondiumq; tegmine, ut naturæ ſimul & humanæ induſtriæ ſpectabile opus oculis obijciat, quanquam ante pauculos annos Ædilium incuria damni nonnihil acceperit.

4. In Cœmeterio Cœnobij Dominicanorum, quos notiore nomine Prædicatores appellant, elegans pictura ſpectanda proponitur, vulgò *chorea mortuorum* dicta, univerſi humani generis, cum Morte colluctantis fragilem ſortem, longâ ſeriê repræſentans, quâ lege ipſa omnis ſexus, ætatis & cõditionis perſonas avocet, deducat, volentes nolentesq; ſub umbras trahat, ſceptraq; ligonibus æquet. Ei haud multò ante hæc inſcriptio adiecta eſt: Chorea mortuorum.

A. O. C.

Sebaſtiano Doppenſtenio,
Caſparo Clugio Coſs.
Bonaventurâ à Bruno, Iacobo Rudio Tribb. Pl.
Hunc mortalis chorũ Fabulæ, temporis injuriâ vitiatum,
Lucas Gebhart, Iodoc. Pfiſter,
Georgius Sporlinus,
Huius Loci Ædiles,
Integritati ſuæ reſtituendum Curavâre,
Vt qui Vocalis Picturæ Divina Monita ſecuri audiunt;
Mutæ ſaltem Poëſeos miſerab. Spectaculo
Ad Seriam Philoſophiam excitentur.

5. *Ambitus Baſileæ Maioris* eſt à Portâ D. Ioannis, ad portam D. *Albani*, *ad duo millia paſſuum*, perpetuo muro ſemicirculi inſtar, & portas habet: Ambitus Maioris Baſileæ.

I. *Albanam*, qua itur ad domum rubram, das Rothe Hauß vel Robhauß/ vulgò enim receptaculum Prædonum extitiſſe perhibent.

II. *Cineream*;

III. *Lapideam*, ex qua parte Rudolphus Habſpurgenſis olim Civitatem obſedit. Sunt ibi Cataractæ Byrſæ, & locus ſupplicij eorum, qui gladio puniuntur. *Spale-*

IV. Spaleam; Circa hanc est domus Bombardariorum cum piscinâ, item alueolus è piscinâ Vrbem intrans, sordibus abluendis inserviens:

V. D. Ioannis, quâ ad Cambetas via est, pagum ab *Antonino* quoq; celebratum, vulgò Kembß.

A porta D. Iohannis usq; ad Lapideam cervi in fossis exterioribus aluntur.

In Minore Basileâ, quæ Maiori ponte Rheni sublicio, DC. pedum, septem lapideis, totidemq; ligneis pilis innitente, jungitur, multa quoq; spectatu digna sunt, utpote templa, Cœnobia, illustrium hominum memoriæ, & id genus alia. Verùm inter cætera, *Carthusianorum Monasterium*, amplum magnificumq; sumtuosis structuris facilè primum locum obtinet; De Basilea Minore.

In quo claustra tam venustè & artificiosè ædificata sunt; ut quilibet monachus hortos & alia necessaria illis adiuncta habeat. In hypocausto illìc, lacunar ligneum unico clavo ferreo suspensum est. Templum varijs sepulchris magnorum virorum exornatum est, qui in Concilio Basiliensi peste absumpti, sunt sepulti illic:

Alfonsus de Curilla Card. Anno 1434.
Ludovicus Patriarcha Aquileiensis Anno 1439.
Thomas Vigorniensis Episcopus Anglus Anno 1433.
Snederus Traiectensis Episcopus.
Joannes Langdon Roffensis Episcopus alijq;.

Ambitus Basileæ Minoris Tetragonus oblongus est, *passuum circiter trium millium.*

Portas habet duas: *I. D. Blasij. II. Riechemiam.*

27. 88. *Augusta*, Rauracorum quondam caput & *Metropolis*, nunc verò in pagum ignobilem conversa, vetus nomen Augst retinet; Vestigia eius, quæ in campis undiq; supersunt, Urbem hanc minimè exilem fuisse docent. Nam ad utriusq; amnis & *Aergitiæ* & Rheni ripam, amplo circuitu terra effossa, rudera, murosq; ostentat, ita ut non solùm numismata multa, sed aliæ etiam antiqui operis res quandoq; inveniantur, possentq; multò plu-

tò plura Romanæ Antiquitatis in lucem proferri, si quibus altius terram scrutari liberet, quæ alioqui sepulta latent. *Montes*, qui à Basilea Genevam usq; pertingunt, *Iura sive Iurassi montes* generali vocabulo appellantur, licet pluribus in locis, varia sortiantur nomina.

89. *Rhinfeldia*, Archiducum Austriæ elegans oppidulum, cui supra veteris Augustæ ruinas, uno milliario distanti, eius nominis Comites aliquando imperasse notum est, è quibus Rodolphus Sueviæ Dux, contra Henricum IV. in Romanorum Regem electus prodijt.

90. *Sacconium*, vulgò Seckingen / proximum supra Rhinfeldiam oppidum, sub Archiducum Austriæ patrocinio, insulã Rheni occupat, unde nomen fortè suum, quasi in sacco situm, traxit.

Prandij. 91. *Lauffenberg*, Archiducum Austriæ, ad Rheni ripam, oppidum cum arce munitiss. monti impositâ, quam tractus illius Præses Austriacus incolit. Nomen idem quod Cataractæ sive Castrum, siue Montem sonat. Rhenus enim eo loci inter saxa conclusus multisq; scopulis impeditus, ingenti murmure de rupe cadẽs mirè tumultuatur, adeò ut naves superiore loco exonerare, vacuasq; funibus demittere necesse sit; ijs tamen aliquando nonnulli, vitam nihili facientes, sese committunt, unde idiomate nostro Waghälß appellantur. *Sacellum* ibi *in Ponte Rheni* est, per quod via regia peregrinantes ducit. 3.

92. Hohensteg / Arx à sinistrâ conspicitur.

Cœnæ. 93. Waldtshut / Archiducum Austriæ oppidum, in extremis Rauracorum finibus ultra Rhenum sub Hercyniâ Sylvâ situm. Nomen à custodiâ duxisse videtur, cuius illic contra sylvam constituendæ magna est opportunitas. 3.

Prandij. 94. Bettmettingen / pagus in loco salebroso & valdè impedito. 2.

28. 95. Villingen / Archiducum Austriæ oppidum, in Abnobæ siue Danubij valle à Berchtoldo IV. Principe Zaringensi conditum. Nomen à Villâ factum plærisq; videtur, quamvis alij aliter sentiant.

Cœnæ. 96. *Vicus Eschingiacus*, quem vulgò Doneschingen vocant, sub 2.

ditione Comitum Furstenbergicorum, ubi propius ad a·cem *fontem Danubij* spectari res ipsa comprobat. Terra unde fons il- Danubij le profluit, plana est neq; montibus iugosa, nisi Cœmeterium, fons. sub quo exit, clivum leniter sese attollentem non prærupte repræsentat; Sed fontanæ illius aquæ rivus, non admodum longè infra vicum è quo prolabitur, rivum alium se paulò maiorem, quem accolæ *Brygen* vocant, eidemq; alterum, magnitudine planè comparem *Pregenam* excipit, utrumq; sanè ex Herciniæ sive *Martianæ* Sylvæ, quam Nigram, & idiomate nostro Hartzwaldt sive Schwartzwaldt dicimus, iugis delabentem. Tractus iste, & viciniores quædam convalles. *Barij sive Borij*, prout accolis pronunciandi mos est, vulgò in der Bar oder Bor/ hoc est, Bariensis tractus appellatur.

29. 97. Wartenberg/ } *Arces* Comitum Furstenberg. à dextrà
98. Furstenberg/ } conspectæ.
99. Groß Rohr/ pagus, ibi primus pons Danubio impositus est.
100. Geisingen/ Comitum Furstenbergicorum oppidulum.
101. Hohehebe/ *Arx* à dextris conspecta.
102. Ehingen/ oppidulum, quondam Comitum Hohenbergensium, nunc *Archiducum Austriæ*.
103. Hohe vnd } Stofflen/ arces à dextrâ.
104. Nieder }
105. Hohe Aach/ oppidulum à sinistrà relictum, ad quod *Aa* fluviolus oritur, valdè piscosus, ab ipso statim fonte, qui postea in lacum Cellensem vel Venetum influit.
106. Hohen Twiel/ latinè Duellium, *Arx* Ducum Wirtenbergensium, natura & arte munitiss. monti celsissimo ac vino & frumentis fertilissimo imposita, à dextris relicta.
Cœnæ. 107. Bühren/ pagus.
30. 108. Rühdingen/ arx à dextris conspecta. 3.
109. Zell/ Latinè *Cella Ratolfi*, *Archiducum Austriæ* oppidum, ad lacum inferiorem sive Venetum situm.
110. Alenspach/ Vicus *Abbatis* Reichenaviensis.
Prandij. 111. CONSTANTIA, Imperij quondam, nunc *Austriæ Ar-* 3.
chiducum

chiducum oppidum, ad *lacum Acronium* omnium amœniſs. quem Rhenus fluviorum noſtrorum Rex tranſiens ſincero curſu, uti fertur, undasq; ſuas virides, easq; integras retinens, neq; auctus nivibus vel imbribus, craſsiorem materiam relinquens prope urbem, hic lætabundus, magnâ feſtinatione, ad deſtinatum curſum, longè lateq; perficiendum (qui 140. milliatia Germanica à ſcaturigine usq; ad Oceanum excedit) erumpit. Hunc lacum *A*mmianus Marcellinus appellat Brigantiæ lib. 15. Sic inquiens: Inter montium celſorum anfractus, impulſu immani Rhenus diſcurrens, extenditur per Lepontios, perq; deciduas Cataractas inclinatione pernici funditur, ut Nilus torrēte, ab ortu protinus primo genio copijs aquarum proprijs, irruenti curſu ſimplici: Iamq; adiutus nivibus liquatis ac ſolutis, aliaq; divortia riparum adradens, lacum invadit rotundum & vaſtum, quem Brigantium accola Rhetus appellat, perq; quadringenta, & ſexaginta ſtadia longum, pariq; penè ſpatio latè diffuſum, horrore ſylvarum ſquallentium inacceſſum (niſi quà vetus illa Romana virtus & ſobria, iter compoſuit latum) Barbaris & naturâ locorum, & cœli inclementiâ refragante. Hanc ergo paludem ſpumoſis ſtrependo vorticibus amnis irrumpens, & undarum quietem permeans pigram, mediam velut finali interſecat libramento; & tanquam elementum perenni diſcordiâ ſeparatum, nec aucto nec imminuto agmine quod intulit, vocabulo & viribus abſoluitur integris, nec contagia deinde ulla perpetiens, Oceani gurgitibus intimatur. Quodq; eſt impendio mirum, nec ſtagnum aquarum rapido transcurſu movetur nec limoſâ ſubluvie tardatur properans flumen, & confuſum miſceri non poteſt corpus; quod ni ita agi doceret ipſe aſpectus, nullà vi credebatur poſſe diſcerni. Hactenus *A*mmianus. Hic *lacus* etiam *Podamicus* dicitur, fortaſſis ab *arce Podman*, ut pleriq; putant, unde eum Germani Podmen See/ vel Boden See/ paucis quibusdam literis mutatis appellant. Viſu dignus hic eſt, intra portas Heglinger & Geltinger Thor/ qua parte ad Heluetios itur, in prato Briel nominato, locus, in quo, durante Concilio

Constantiensi, *Anno* Christi 1414. sub Sigismundo Romanorum Imperatore, *Ioannes Huß & Hieronymus Pragensis Bohemi*, hæretici per sententiam declarati, combusti fuerunt, gramine prorsus carens, quod ceu ominosum alij aliter interpretari solent. Tractus iste inter Constantiam & Tigurum, à Turio amne *Turgavium* nuncupatur, Germanicè das Turgaw.

112. Reichau/ *sive* Reichenau/ *M*onasteriũ dives, in *A*ngiâ maiore, Rheni insulâ, à S. *Priminio* Episcopo, & Carolo *M*artello, circa annum Christi 724. conditum; à dextris conspicitur.

113. Narzwerck.
114. Sallenstein.
115. Sandeck.
} Arces à sinistrâ conspicuæ.

Cœnæ. 116. Steckbohren. Abbatis Reicheuaviensis oppidulum.

1. 117. Feldtbach/ Monasterium à dextrâ relictum.

118. Newburg/ arx à sinistrâ conspecta.

119. Stein/ oppidulum, sub Tigurinorum Iurisdictione; Arx vicina monti imposita Klingen appellatur.

120. Wisthofen/ *M*onasterium ad Rhenum à sinistra conspicuum.

Prandij. & Cœnæ. 121. SCAPHUSIA, quondam, regnante Friderico II. Romanorum Imperatore, Imperij oppidum, ab *A*riete aut Scapha, ut quidam volunt, ita denominatum, ad dextrum Rheni latus in Germanico solo situm, tertio Rheni ponte Heluetiorum terræ coniungitur. Rebus omnibus necessarijs, & limpidissimis abundat fontibus; Ad Heluetici fœderis perpetui societatem receptum est Anno Christi M.D.I. & duodecimum inter pagos Helueticos obtinet locum. Temporibus Henrici III. Imperatoris à Nellenburgijs Comitibus Cœnobium eo loco conditum, huic oppido primam originem dedisse creditur, sicut multa alia Germaniæ oppida, Cœnobijs suam originem acceptam ferunt. *A*lteram occasionem & causam incrementi præbuit ei Rhenus, qui aliquot millia passuum infrà, per ingentia saxa maximo impetu fertur, & tandem ex altissimis rupibus horrendo sonitu & spumis nebulæ instar, in altum sparsis, præcipitatur, ita ut nul- 2.

Cataractæ Rheni propè

lius

lius generis naves illic transire possint; quare omnes quæ ex Scaphu-
Acronio & Veneto lacu secundo Rheno descendunt, hìc exo- siam.
nerari necesse est, & ob hanc causam creditur huic oppido nomen impositum, ut vel à scapha Scaphusia, vel etiam à navis Germanico nomine Schiffhusia nominaretur.

1. *Propugnaculum* habet fortiss, ex quo tota Civitas facilè defendi potest.

2. *Templi primarij molem* XII. columnæ lapideæ sustinent, *A*postolorum nominibus insignitæ, quarum quælibet 17. pedes alta, vel longa, & 9. pedes rotunda est, inter quas ea quæ Iudæ proditori assignata perhibetur, rimosa & scissa conspicitur.

3. Eò loci, ubi cives diebus feriatis sagittas nervo impellere solent, aqua per tubos, supra *tiliam explicatam*, & adeò *amplam*, ut 17. mensas capiat, deducta, aspectu jucundissima est.

122. Rheinau/ *M*onasterium ditissimum, quod Rhenus ter circumfluit, à sinistra conspicuum.

123. Eglisaw/ Tigurinorum oppidulum, in angustijs & faucibus montium, ad *A*rolam fluvium positum, difficilimi transitus.

Prandij. & Cœnæ. 124. TIGURUM, Æneæ Sylvio de *M*oribus Germaniæ, mihi pag. 1053. Turegum, unum ex antiquissimis Heluetiæ oppidis, sedecim annis post Trevirorum Urbem, ut domestici annales tradunt, ad lacum, quem *Limagus fluvius* efficit, conditum, principem locum inter pagos Helueticos obtinet, in Comitijs, Legationibus, alijsq; publicis actionibus, licet quinto demum loco Heluetico fœderi accesserit, *A*nno Christi 1351. *M*ense *A*prili. Tigurinorum celebris mentio est in Romanis historijs, quia & cum Cimbris adversus Romanos militarunt, & Cassium Consulem profligarunt, & postea à Iulio Cæsare bello Gallico victi ac cæsi sunt, & ab eo tempore usq; ad *A*lemannorum irruptionem, sub Romano Imperio fuerunt, pòst in Francorum Regum potestatem, & inde ad Imperium Germanorum pervenerunt. Sunt à Regibus Francicis *duo Collegia, virorum unum, alterum fœminarum*, Tiguri instituta, penes hæc olim maxima ex parte oppidi imperium fuit: In arce quæ ad Limagum 4.

edito loco sita aliquando fuit, Francicorum Regum Præfecti habitarunt, qui Collegiorum & Urbis advocati erant, pòst sub Germanis Imperatoribus, itidem Præfecti dati sunt, non tamen qui in *Arce* habitarent. Cæterùm illis temporibus, Civitas nihilominus suum consilium habebat virorum XXXVI. è quibus duodecim quadrimestri tempore imperabant; Fuit hæc forma Reip. circa *Annum* Christi 1100. & duravit usq; ad *Annum* 1336. quo tempore mutata est, quæ res multorum motuum caussa & præcipua occasio fuit, se Helueticis pagis fœdere iungendi.

Jn Templo primario structuræ vetustiss. tale, sine *Anno* & die legitur Epitaphium;

Hic est sepultus Petrus Medici Sacerdos & huius Ecclesiæ vicarius.

Turris, quæ ibi speculæ instar in introitu Limagi posita sola videtur Wiellenberg nomine, publici carceris locus, adiunctum habet *pontem sublicium*, quem nullus eques transire audet, sub pœna amissionis equi.

5. 125. Wettingen/ *Monasterium*, prope quod hippagone Limagus traijcitur.

Prandij. 126. BADA *sive Badena*, oppidum ad Limagum fluvium, nomen habet à calidis aquis, quarum illic plures sunt fontes, ad quos plurimi mortales utriusq; sexus confluere solent ex varijs locis, unde quidam Thermopolin, alij Castellum Thermarum alij aquas Helueticas veterum consuetudine nominant, quibus moris fuit, huiusmodi loca, in quibus calidi fontes sunt, *Aquarum* nomine appellare. *Habuit antiquitus duas Arces*; alteram in editâ rupe sitam, vulgò den Stein zu Baden dictam, hodie in ruinis jacentem; alteram ad pontem positam, quam nostrâ ætate Præfecti ab Heluetijs eò missi incolunt. *Ab Austriæ* Principib⁹ ad Heluetios Bada pervenit Cõstantiensis Concilij tempore.

Porrò, publicus & legitimus *pagorum Senatus, quotannis* Senatus pagorum Heluetici.
more Maiorum circa Solstitium Badæ habetur. Oppidum enim hoc multas cõmoditates ad publicos conventus illic peragendos habet;

habet; nam ædificijs optimè excultum & diverſorijs lautiſſimis refertum eſt; ſitus loci amœnus, & ſalubris, vicini deinde fontes calidarum aquarum non tantum voluptatem præbent, ſed magnam hominum frequentiam ex diverſis. Regionibus huc attrahunt; Itaq; vicini, lucri & quæſtus ſtudioſi, omnis generis annonam magnâ copiâ advehunt, unde fit, ut rebus ad victum neceſſarijs abundet. Poſtremò in mediâ ferè Helvetiâ ſitum eſt, ut ferè pari itineris ſpatio extimi quiq; pagi huc convenire poſſint. corum, ubi & quo ordine, quot annis habeatur.

Ordo agendi in publicis conventibus hic ſervatur: Vbi conſtituta dies venerit, quo Senatus legitimus haberi debet, pridiè eius, Legatus Tigurini pagi apparitorem publicum, quem Subpræfectum Badenſem vocant, in ſingula diverſoria mittit, ſciſcitatum quorum pagorum Legati venerint, & hic publico nomine Legatos ſalutat & excipit, ac in craſtinum in Senatoriam domum ſeu Curiam Badenſis oppidi illos convocat. Quod ſi omnium pagorum Legati venerunt, omnes convocantur & cauſæ communes, quæ ad univerſos ſpectant, tractantur; *At*, ſi conſtitutâ die aliqui, ut plærunq; fit, è pagis recentioribus, ut Baſilienſes aut Scaphuſiani aut Salodorij, vel Friburgij abſint, ſeptem vel octo pagi conveniunt, & cauſſæ duntaxat ad hos pertinentes aguntur. Conſident autem Legati in Senatu juxta Pagorum ordinem & numerum, ita ut primum locum teneat Tigurini pagi Legatus, editiore ſubſellio Menſæ aſsidens proximum locum Bernas habet, poſt hunc Lucernas, & deinceps reliqui juxta pagorum ordinem. Vbi conſedêre, tum Tigurini pagi Legatus, ſalutatis alijs, & de re ex more pauca præfatus, exponit, quid proximo conventu Legati in Receſſibus deliberandum acceperint; plærunq; enim Conventus his de cauſſis indicuntur: quòd ſi alia fuerit cauſſa Senatus habendi, eandem ſimiliter proponit, addit poſtea, quid de eo capite, quod propoſitum eſt, à Magiſtratu ſuo in mandatis acceperit; idem faciunt ordine reliqui Legati, & ſuorum *M*agiſtratuum mandata exponunt. Poſtquam verò ex ordine ſinguli Senatores, quid in mandatis habeant ex-

ant expoſuerint, Præfectus Badenſis, ex quocunq; pago is fuerit, ſententias ex ordine rogat; Primus ſententiam dicit Tigurini pagi Legatus, & poſt hunc reliqui, ſinguli ſuo loco & ordine; Sententijs dictis ab eodem ſuffragia numerantur, idq; juxta pagorum, non autem Senatorum numerum; Nam pagi nonnulli duos Legatos mittunt, quibus Senatui quidem intereſſe & ſententiam dicere licet, ſed unum tantum ſuffragium habent; Et hæc quidem agendi ratio eſt in publicis cauſſis.

In privatis autem eadem ratio eſt ſententiæ rogandæ & ſuffragij ferendi; Sed hi qui cauſſas habent, quas coram Senatu agant, primùm à Tigurini pagi Legato petunt, ſibi Senatum dari, is diem illis conſtituit; ac nomina eorum in *A*lbo *C*uriæ annotat. Cæterùm ubi coram Senatu cauſſæ agendæ ſunt, alij quidem ipſi cauſſas ſuas agunt, alij Cauſidicis utuntur. Diſceptantur autem ab his cauſſæ, non ex Romano Iure & Reſponſis Iureconſultorum, ſed ex æquo & bono, & Legibus atq; conſuetudinibus ſingulorum pagorum.

127. Mellingen/ *Mellinga*, exiguum Heluetiæ ad *Ruſam fluvium* oppidulum, *A*uſtriæ quondam Principibus paruit, nunc octo veterum pagorum imperium agnoſcit.

128. Brauneck/ *A*rx Bernatum, à dextro latere conſpicua.

129. *Lentzburgum*, vulgò Lentzſchburg/ Bernatum oppidulum unâ cum *A*rce.

Cœnæ. 130. *Arovium*, vulgò Arau/ Bernatum oppidulum ad *A*rolam fluvium ſitum. 2.

131. Oltten/ Solothurenſium oppidulum.

Prandij. 132. Herchingen/ pagus. 2.

4. 133. Wittelsbach/ vicus.

Cœnæ. 134. SOLOTHURUM, vulgò Solothurn/ unum ex præclaris & vetuſtiſſimis Heluetiæ oppidis, *ad Arolam fluvium auriferum*, in agro plano, culto, & fertili ſitum, paulò poſt Treuerim conſtructum, in Itinerario *A*ntonini ſic dictum, ab antiquâ turri, quæ adhuc in medio Civitatis conſpicitur, ut ſit idem, quod *Solis turris*, 2.

Dieſer

Dieser Thurn gebawt ward ohngefahr/
Vor Christi Gburt fünffthalbhundert Jahr.

Cæterùm sub Germanis Imperatoribus, semper fuit in numero Urbium Imperij; Sic tamen ut præcipuis privilegijs & immunitatibus frueretur Collegium Canonicorum, cuius eadem, pariaq; cum Tigurino privilegia esse traduntur.

Anno 1351. cum Bernatibus fœdus perpetuum fecit, cæterorum etiam confœderatorum amicitiam magnâ fide coluit; Itaq; bello Austriaco, quo Leopoldus cæsus est, finito, paribus conditionibus ac cæteri confœderati, pacem & fœdus cum Austrijs fecit, & in tabulis fœderis confœderatis coniungitur, & cum ijsdem communi consilio, leges militares statuit, & jureiurando sancivit. Demùm verò finito Burgundico bello, in quo fortiter & strenuè omnium judicio se gessit, unâ cum Friburgo in pagorum numerum ascriptum, & à confœderatis Civitate quasi donatum est, Anno Christi 1481. undecimum inter confœderatos locum obtinens.

In Celtis nihil est Soloduro antiquius, unis
Exceptis Treviris, quorum ego dicta Soror.

Kein Elter Platz in Gallien ist/
Dann Solothurn/zu dieser frist/
Außgenommen Trier allein/
Drumb nennt man sie Schwestern gemeln.

5. 135. Frawenbrunn/ Monasterium à sinistrâ relictum.

Prandij. & Cœnæ. 136. BERNA, Civitas Heluetiorum celeberrima, à Berchtoldo Zaringiæ Duce, eius nominis V. & ultimo, in longitudinem secundum loci oportunitatem constructa, & ab Urso in venatione capto sic denominata, ad Heluericum fœdus, Anno Christi 1352. vel 1353. ut quidam volunt, admissa, secundum inter pagos Heluericos locum obtinet. Situs eius quasi peninsula est, quam facit Arola fluvius. Ab obitu Zaringij Principis, qui Anno Christi 1218. mortuus est, Fridericus II. Imperator, nomine Imperij Præfectum ei dedit Otthonem Ravenspurgium, sed aliquot annis pòst, propter fortem & fidelem operam, quam Ci- 2.

E ves

ves huius Imperatori navârant, à Iure Præfecti exemta, & multis privilegijs ac immunitatibus donata est. Porrò ex eo tempore, quo in libertatē se vindicavit, ita fines suos ampliavit, ut *quadraginta circiter oppida & 60. Præfecturas* imperio suo subiecerit, unde de potentiâ ipsius facilè judicari potest; Neq; mirum sit, quod de eâ, Æneas Sylvius de situ & moribus Germaniæ, jam suo tempore scripserit his verbis: Est memorabile oppidum in Helvetijs, quod Bernam vocant, cujus Consulatus, quoties in bellum progreditur, facilè in armis *viginti millia pugnatorum* exhibet. Hactenus Sylvius.

6. 137. Filschberg/ Xenodochium Bernatum.

Prandij. 138. Arberg/ lat. *Arburgum*, Bernatum oppidulum. 1½.

139. *S. Blasij* Monasterium à dextrâ conspicitur.

Cœnæ. 140. NEOCOMUM, German. Newburg Gall. *Neouchastel*, oppidum in Aventicis jacet ad lacum, qui inde nomen habet, & Neocomensis dicitur. Adjunctus Oppido est Comitatus, qui à Neocomensibus Comitibus hereditate pervenit ad Hochbergios Comites, Rotelini Dominos, ab his ad Longovillanos Duces in Galliâ. Bello autem exorto, inter Ludovicum XII. Galliarum Regem & Helvetios, Bernates communi Helvetiorum nomine Neocomum, totumq; Comitatum occupavêre, & Præfectum huic imposuêre; idem fecêre cæteri ordine, exceptis Tigurinis, qui cum primùm præteriti fuissent, debebant, ubi vices ad ipsos redijssent, duplici annorum spatio imperare. Sed ubi tempus id venisset, Ioanna Hochbergia Longovillani Ducis vidua, per internuncios tantum effecit, ut sibi Comitatus ab Helvetijs, certis pactionibus restitueretur, Anno Christi 1529. Cæterùm ante hoc tempus, Comitatus certis conditionibus & pactis conjunctus fuit Bernatibus, Lucernatibus, Friburgensibus, & Solothurensibus, quæ in hâc restitutione confirmata sunt; & Domini huius Comitatus nostrâ ætate Bernatibus peculiari fœdere obstricti sunt. 3.

Non procul ab hoc oppido, in Vico quem vulgò Gallicè, La *Serriere*, appellant, est scaturigo ad radices montis, tantam

aquæ

aquæ copiam ebulliens, ut exiguo intervallo, alijs quibusdam aquis aucta, non modò officinæ ferrariæ, sed etiam varijs generis molendinis abundè satisfaciat: Totum autem spatium ab hoc fonte, ad lacum usq; Neocomensem, in quem devoluitur, globo sclopetario facilè superari potest. *Hic incolæ linguâ Gallicâ uti incipiunt.*

10. 141. *Gransonium*, vulgò *Gransen*, Bernatum oppidum, navigantibus in lacu Neocomensi Ebrodunum versus, à dextra conspicuum, & ob cladem, quam Carolus *Audax* Burgundiæ Dux ab Helvetijs ibi accepit, clarum.

Prandij. & Cœnæ. 142. *Ebrodunum*, vulgò *Yverdun*, vel Yfferdon/ Bernatum oppidum, ad caput lacus Neocomensis positum; Fluvius qui in lacum hìc influit, La Coursisse vulgò appellatur; Cum ibi essemus temporis fallendi gratia, extra oppidum exspatiati sumus, comitante nos quodam nobili, nomine Monsieur du Prè, qui ostendebat nobis, in loco planè declivi, fontem aquâ sulphureâ scatentem, ubi olim thermas fuisse perhibetur. 6.

11. Prandij. & Cœnæ. 143. *Morsee*, Bernatum oppidum, ad lacum Lemannum, in quem Rhodanus fluvius influit, in illoq; veluti delitescit, donec ad Genevam, celeri cursu egrediatur. De hoc Solinus cap. 8. Amnis hic, inquit, præcipitatus Alpibus, primò per Helvetios ruit, occursantium aquarum agmina secum trahens, auctuq; magno, ipso, quod invadit, freto turbulentior, nisi cum fretum ventis excitatur. *Meminit* eius etiam *Ammianus Marcellinus* lib. 15. Gallis dicitur Morges. 5.

12. 144. *Sempry*,
145. *Nyon*, Lat. *Noviodunum*: Oppida Bernatum, *Genevam* versus navigantibus, à dextrà in conspectu sunt.
146. *Coupet.*

Cœnæ. Hecales. 147 In sinistro lacus littore, ad *Dunovium* Gallis *Thonon*, vulgò *Dunoy*.

Multa præterea oppida vidimus, partim à Sabaudis, partim à Genevensibus diruta.

13. Prandij. 148. GENEVA, extremum oppidum est *Allobrogum*, cuius 7.

& Cœnæ. inter veteres Iulius Cæsar meminit lib. 1. de bello Gallico, magni hodie nominis & sui Iuris, proximum Helvetiorum finibus, in editiore loco ad lacum Lemannum situm, quâ is flumen Rhodanum emittit. Antiquitatem eius non tantùm Iulij Cæsaris verba, sed vetusta quoq; monumenta, quæ plurima illic reperiuntur, indicant. Ac plura invenirentur, si non sæpè ab hostibus vastatum fuisset, posteà etiam gravibus incendijs penè perijsset. Etenim in veteribus Chronicis traditur, Heliogabali tempore, tantum incendium Genevæ exortum, ut nulla ferè domus illius expers fuerit: Aurelianum item Imperatorem eam vastatam instaurasse, Iura & privilegia magna concessisse, & propter situs oportunitatem Ius Nundinarum atq; Imperij ei tribuisse, Aurelianam quoq; suo nomine appellasse, verùm illo mortuo vetus nomen retinuisse. Posteà barbaris nationibus in Galliam irrumpentibus, easdem calamitates cum alijs Urbibus passa est, quibus maxima pars eius perijt. Episcopatus huius ampliss. privilegia & immunitates habuit: Civitas nihilominus proprias libertates, & pacta perpetua cum Episcopis, à Maioribus accepta, studiosè conservavit. Fuêre autem libertati eius graves Sabaudiæ Principes, contra quos fortiter sua Iura & Privilegia asseruit; Atq; Anno M. CCCC. XX. cum *Amedeus Sabaudiæ Dux*, Ius Superioritatis, ut vocant, in Civitatem Genevensem à Papâ Martino, permutatione quadam impetrare conaretur, *Ioannes à Petra scissâ Episcopus*, cum Civibus pactus est pro se & suis successoribus, se nunquam ulli permutationi aut alienationi libertatis Genevensis consensurum; si secus aut ipse, aut aliquis ex successoribus faciat, tum civibus Ius fore illos in proditorum & perduellium numero habendi. Posteà verò cnm *Maximilianus I. Imperator* Philibertum Sabaudiæ Ducem generum suum, Vicarium Imperij in illis Regionibus declarasset, denuò ipse ac frater eius Carolus Genevam novi huius Iuris titulo sibi subijcere conati sunt, prætendentes Privilegia Vicariatus, à Carolo IV. olim Principibus Sabaudis data, qui tamen omnem actionem, potestatem, Iurisdictionem, præeminentiam in Civitate

Gene-

Genevensi, & eius territorio, Amedeo Comiti ademerat. Inter has igitur insidias & odia vicinorum Principum, Genevenses Helvetiorum amicitiam studiosè coluerunt, & fœdera nonnunquam in certos annos cum Bernatibus & Friburgensibus fecerunt. Postremò perpetuum fœdus seu Ius Civitatis cum Bernatibus pepigerunt, idq; arctius firmârunt Anno Christi M.D.XXXVI. quo tempore propter mutatam Religionem Sabaudiæ Princeps, & Episcopus Genevensis eos bello persequebâtur, Bernatibus illis auxilium ferentibus; Idem fœd9 posteà quoq; denuò renovatum est, & aliquoties actum, ut Geneva publico fœdere pagis Helvetiorum jungatur, quod tamen hactenus confici non potuit.

Cæterùm *forma Reipub. Genevensis Aristocratica* est, in qua Optimates ex virtute creantur, & quàmprimum aliquis ex Optimatibus moritur, alius Optimatum suffragio creatur, modò domicilium originis hìc habeat. Nam si Senator Sanctioris vel Secretioris consilij XXV. Virorum, qui cum perpetuâ potestate totius Reip. arcana tractant, occubuerit, is qui ordine & antiquitate prior est, in Senatu LX. virorum demortui locum occupat, ac vicissim antiquissimus reliquorum Optimatum Concilij CC. Virorũ, migrat in Senatum LX. Virorum; Deniq; ex Plebe unus suffragijs in CC. Collegium cooptatur, qui aut virtute aut dignitate præstet, aut certè qui nulla sit vitæ turpitudine infamis; id enim potissimum spectatur. Atq; hæc est verissima Aristocratia, quæ optimos quosq; ad imperium accersere consuevit, sive tenves, sive locupletes, sive Plebeij, sive Nobiles sint, quo fit, ut, cum honorum ac imperij aditus interclusus sit nemini, præterquam ei, qui dignitatem suam ac decus turpitudine aliquâ violârit, nullæ Plebi cum Optimatibus de honoribus & imperio contentiones existere possint; Præterea isto modo, legibus optimis ac virtutibus erit in Repnb. locus. Hoc item optimum, quod in eâ Republicâ censura fit Patrum singulis annis, ne aut ij qui simulatione virtutis, ad honores provecti sunt, diu latere possint, aut qui fiduciâ potestatis impotenter se gesse-

Forma Reipublicæ Genevensis.

gesserint, cum dedecore ac infamiâ sempiternâ deijciantur. Verum istud *observatione* hìc *dignum est*, quod populus jubendæ legis, ac *M*aiorum *M*agistratuum creandorum, ut sunt Quatuor-Viri, sive Syndici, qui *M*agistratus annvos gerunt, præter eos, qui privatis ac publicis judicijs præsunt, tum etiam Pacis ac Belli Ius sibi reservavit, quæ propriè ad Iura Majestatis pertinent.

Porrò cum nulla Resp. bene constituta, sine *censura morum*, diu consistere queat, *G*enevenses pro Censoribus, Decem-Viros, quos ipsi *A*ntiquos appellant, quatuor quidem ex Senatu LX. Virorum, reliquos ex Senatu CC. Virorum creare solent, quasi Magistros morum, qui tantâ severitate vitia castigant, ut vix ullum scelus tam occultum sit, quod inultum reperiatur; Nec dubitandum est, quin Rempublicam, si non armis & opibus, certè virtutibus ac pietate florentem habituri sint, quamdiu Decemvirorum potestatem tuebuntur. His autem Decemviris & *C*ollegio sacro (*consistorium vulgò nuncupant*) *M*orum Præfecturam sine censu, sine imperio, sine Iurisdictione mandant; Censorum tamen coërctio illa gravis est admodum & efficax; Nam qui Collegij Sacri decreto non paruerit, huic omninò interdicitur sacris; interdictiones aspernantem persequitur apud Iudices Religionum Procurator; Vnde fit, ut rara ibi Ebrietas, rara fornicatio, raræ saltationes sive choreæ, imò nullæ, rari mendici, rarissimi otiosi. Videas enim puellas sex aut septem annorum, tam eleganter, tamq; artificiosè acu pingere, ut in admirationem sui te rapiant; adultiores in ducendis filis sericis, & texendis telis sunt occupatæ.

Censura morum apud Genevenses.

In *C*uria conspiciuntur appensi Crocodilus cum Ichneumone, item duodecim urnæ cinerum, quas invenerunt, cum fossas urbis amplificarent.

Templa sunt in Maiori Geneva:

1. *Summum, sive primarium D. Petri* vetustissimum, ad quod fulciendum, cum ruinam fortè minaretur, *A*nno Christi 1510. *A*ntes facti sunt ex materiâ pontis saxei Rhodano olim impositi & à Iulio *C*æsare rescisi, ut idem *C*æsar refert lib. 1. de bello Gallico, mihi pag. 5.

In

In hoc templo prope suggestum tale Epitaphium legitur:

Parce precor lachrymis, fatum, Germane, quod urges;
Omnibus hìc solido est scripta *A*damante dies.
Pulvis & umbra sumus, tantùm post funera Virtus
Nomen inextinctnm sola superstes habet.
Nil aurum, nil pompa juvat, nil sanguis avorum,
Excipe Virtutem, cœtera mortis erunt.
Hanc cole & ante oculos imitanda exempla Parentum
Pone; sed interdum sit tibi cura mei.

2. *D. Magdalenæ.*

In Minori Geneva:

3. *S. Gervasij.*

Portas habet *M*aior Geneva:

1. *Novam,* vulgò *la porte Neufe,* Meridiem versus, Curiæ contiguam.
2. *Ripalem,* vulgò *la porte de la rive,* Ortum & Septentrionem versus.

Minor Geneva:

3. *Ad S. Gervasium,* Occidentem versus, *la porte de Cornevni,* vulgò dictam, quà in Helvetiam & Burgundiam iter est. Et circa has, muris, fossis ac propugnaculis optimè munita est; *A*c licet reliquum latus munimentis nudatum sit: Lacu tamen Lemanno, omnis generis piscibus optimi saporis abundante, & limpidissimo tanquam validissimo muro cingitur, ut hinc non facilè ei hostile quid metuendum sit.

Cum piscium Lacus Lemanni hìc facta sit mentio, observatu dignum, quod Piscatores, *nullos pisces vivos,* sed omnes enectos in forum venales deferunt, solis truttis vel auratis exceptis, quas in vivaria recondere solent; *A*tq; docet experientia, pisces eo modo necatos, & per unum atq; alterum diem, in Cellarijs Genevæ asservatos, multò sapidiores & friabiliores esse ijs, qui ex aquâ vix allati statim coquuntur. *Truttæ,* quas in hoc lacu capiunt interdum ultra triginta libras ponderant.

Arma-

Armamentarium habent Genevenses satis amplum, armis, vexillis & spolijs Sabaudo detractis abundè refertum, quamvis ipsi quoq; non diffiteri possint, multa id genus durante bello, sibi erepta.

Exercitia hæc habent; quæ sunt Sphæristeria & ludus, ubi malleolis globuli lignei verberantur, quæ *pallemale* vocant; Item exercitium equestre omnium elegantissimum, cui Rehdigerus per aliquot menses operam dedit; In nundinis postea solent Cives tractare & se mirum in modum exercere in armis, ubi per totam urbem singulis in plateis militari ordine, cum Capitaneis & vexillis incedunt, postea in campo illo quem *plaimpalais* vocant, velitarem pugnam exercent; Et per eiusmodi exercitia ita animosi redduntur, ut nullo modo hostem timeant vel expavescant.

ANTIQVITATES GENEVENSES. Antiquitates Genevenses.

In Templo D. Petro Sacro;

1. Q. Iulio Sergio Memoriæ eius F. VI. Lon. Iustinus & Terentia Bejatur Læti Vi Macrinus Patrono Heredi faciendum curavêre.

Ante portam Novam, in muro Oppidi & Curiæ.

2. Imp. Cæs. M. Aurelio Antonino; Pio; Felic. Aug. Pont. Max. Trib. Potest, Cos. Civitas Equestrium.

In Collegio;

3. Sexto Attio Carpophoro III. Vir. Auc. Eria Costu.
4. Memoriæ Æternæ Colus Astutus Verrutrulæ Conjug. incomparabili F. C. Et Sub Asce DEO.

In Castro S. Gervasij.

5. Senuccio Secundo Albus Frater D. S. D.

Ad portam veterem S. Gervasij:

D. M.

Papiriæ

6. Papiriæ Poleræ, quæ vixit Annos VIIII. Menſ. II. Dies XII. Magna Frequentia, LeG. XIII. El. Eſt

L. Papirius C. F. Probus Trib. Milit.

Ælia, Æliana,
Par. Moer.
Fil. Mer.

P. C.

7. C. Valerio T. F. An. Tr. Mil. Leg. II. Patrono Optumo Genevenſ. Provincia B. M. P. Vixit An. LX. M. II. Dies XVII.

8. Vixi ut Vivis; Morieris ut ſum mortuus; Sic Vita truditur; Vale Viator, & abi in rem tuam.

9. T. Iul. Tit. Fil. Corn. Valeriano Patrono Colon. IIVir. Ær. VIIVir. Locor. Perſequendor. Trib. Milit. LEG. VI. Vict. Præf. Ær. V. Flam. Aug. Pontifici.

Iulia T. F. Vera Patri optimo.

D. M. S.

10. Veturiæ C. F. Bellæ,

Heu Poſitæ Gnatæ Triſtes poſuêre Parentes;
C. Veturius Q. F. C. N.
OVF. Iuliana J. F. Scapt.
Libb. Ner.

D. M. S.

11. C. Iulius Cæſar Longinus,
D. Cil. C. Iuli Leibertus.

Perruptis Montibus huc tandem veni, ut hic locus meos contegeret Cineres, Apollo tuam fidem;

Vixit Annos XLI. Menſ. III. Dies XIII. Hor. Nu. T. Fulvius D. D. L. Commilito Commilit. Vale Longine Æter.

S. T. T. L.

Ultra fluvium Arvæ, videntur adhuc rudera & foſſæ cuiusdam propugnaculi, ex quo ſe Genevenſes viriliter adverſus Carolum Emanuelem Ducem Sabaudiæ Anno 1589. defenderunt.

ITER GALLICVM ET ANGLICVM.

21. COmites huius Itineris nobis fuêre Nobilis Bohemus *David Stzrela â Rockitz*, cum Præceptore suo *Thobia Salandro* M.D.

Cœnæ. 149. *Gaium* Sabaudiæ oppidulum, vulgò *Gez*, in bello Genevensi planè dirutum. Hinc per salebrosam & difficilimam *Montis* Iuræ viam ad vicum 2.

22. Prandij. 150. *Sancto Claudium*, in Comitatu Burgundiæ situm, transcendendum fuit; Ubi veram effigiem Sancti Claudij exsculptam eiusdemq; reliquias in arcula quadam argenteâ inclusas, videre licet; ad hunc locum Reges Galliæ, magna quondam devotione, ut patet ex Cominæo, accessêre. 4.

Cœnæ. 151. *Moirant*, Comitatus Burgundiæ oppidulum. 3.

23. 152. *Vire Chasteau*, Arx ad sinistram conspecta, ubi Dayim fluvius traijcitur.

Prandij. 153. ORGELIUM, vulgò *Orgelet*, Comitatus Burgundiæ elegans oppidum, mercimonijs florens; Incolæ sunt industrij & negotiosi, lanificio operam dantes; *Ager* minimè ferax, quia assiduis collibus & rupibus asper. 3.

Cœnæ. 154. *Leon le Saulnier*, q. d. Lugdunum Salinarium, Principatus Vraniæ oppidum, ad Ducatus & Comitatus Burgundiæ fines. 3.

24. Prandij. & Cœnæ. 155. LOVANIUM, Ducatus Burgundiæ oppidum, vulgò *Lovan*, ad fluvium *Seilam* positum. Hinc cùm sumto prandio, nobis ulterius progredi constitutum omninò esset, à Gubernatoris Vxore, cuius maritus peregrè tum fortè aberat, per Locumtenentem, in mediâ viâ revocati, atq; in oppidum reducti, insidias Latronum (qui in vicino castro Cuisseiye in præsidijs erant) quas ipsi nobis jam struxerant, per DEI gratiam effugimus. 5.

25. Prandij. & Cœnæ. 156 *Tornovium*, vulgò *Tornu*, Ducatus Burgundiæ oppidum, ad Ararim fluvium situm. Huc antequam ventum esset, duo Equites ex latronum numero, qui pridie nos spoliaturi erant, Capitaneum Provincialem, equo insidentem, nobis à Guberna- 4.

toris

toris Lovanienſis Uxore adjunctum, & ictu ſclopeti nos antecedentem, adoriuntur ex improviſò, quærentes, quinam & unde eſſemus? Cumq; re exploratâ intelligerent, nos ſcholares ut vocant, & Germanos eſſe, atq; Comites itineris habere *Arcibuſarios* 18. & duos Capitaneos Provinciales, unâ cum Gubernatoris Lovanienſis Locumtenente, ipſi cauſæ diffidentes nos intactos dimiſerunt. Salui itaq; & incolumes DEI beneficio, ad oppidum Tornu pervenimus, quamvis Comitatu admodum charo; Vltra 50. enim Coronatos, uno die in illos impendere opus fuit, Poſtridiè igitur conſultius eſſe duximus, unâ cum equis navem conſcendere, ubi ad utramq; *Araris* ripam hæc viſu fuêre digna.

26. Prandij. 157. *Matiſcona*, Cæſari quondam Æduorum Civitas, Ducatus Burgundiæ oppidum, vulgò *Maſcon*, ad dextram Araris ripam, pontem habet XIII. arcuum ex ſecto lapide ſtructum.

158. *Toiſſij*, oppidum & *Arx* Sabaudiæ Ducis egregiè munita, in territorio, quod vulgò La Breſſe vocatur (Lat. Sebuſiani & Seguſiani) à ſiniſtrâ conſpecta.

Cœnæ. 159. *Belle Ville*, oppidulum ad dextram *Araris* Ripam. 9.

27. 160. *Beau Regard*, arx à ſiniſtrâ conſpicua.

161. *Ville Franche*, oppidum à dextra.

162. *Trevou*, Regionis Donbes in *G*alliâ Metropolis, ad Ducem *M*ompenſerium pertinens, à ſiniſtrâ *A*raris parte.

163. *Vinrij*, oppidulum à ſiniſtrâ.

164. *Cuſon*, pagus à dextrâ conſpicuus.

165. *Inſula*, in medio Araris flumine unâ cum *A*bbatia, vulgò *l' Isle*.

Prandij. & Cœnæ. 166. Hic nave egreſsi & conſcenſis equis LUGDUNUM, vulgò Lyon, totius Galliæ Celticæ Emporium longè celeberrimum ingreſſi ſumus, à quo iſta pars *G*alliæ Lugdunenſis dicta eſt, à L. Munatio Planco, dum *G*alliæ Comatæ præeſſet, conditum in colle ſupra confluentem Rhodani & Araris imminente, ubi etiam hodie non obſcura antiquæ Urbis extant veſtigia. Habuit hæc Urbs *Templum inſigne*, communi *G*alliæ 5.

totius impensâ extructum, & Cæsari Augusto consecratum eâ parte, ante Urbem, ubi amnes confluunt; ibiq; ara dignitatis eximiæ erat, gentium LX titulo insignis, dicatis ibi totidem gentium Simulacris. Ad hanc aram à Caligulâ Cæsare (ut in Vitâ eius cap. 20. testatur Suetonius) institutum fuit certamen Latinæ Græcæq; facundiæ, idq; eâ lege, ut victoribus victi præmia conferrent, eorumq; laudes componere cogerentur; Qui verò maximè displicuissent, scripta sua spongiâ, linguâve delere cogebantur, nisi ferulis verberari, aut flumine proximo mergi maluissent. Quamobrem salsè Iuvenalis Satyra 1. eorum metum irrisit, dum inquit:

Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Hæc autem Urbs, tàm insignibus, totq; egregijs ornamentis nobilitata, teste Senecâ in Epistolis, sub imperio Neronis, centesimo Anno, à quo fuerat condita, unâ nocte conflagravit. Hodiè in plano sita est, magnâ sui parte Rhodano & Arari fluminibus inclusa; Ac postquam ab Amadæo 1. Sabaudiæ Duce, per testamentum ex Legato Franciæ Regibus cessit, Gubernator ei præficitur, qui & Urbem & eius Provinciam, quæ satis latè patet, administrat. *Ferax solum & amœnum*, commodumq; situm habet.

Nam fructiferis duobus collibus, quibus Castella sive propugnacula fortissima imposita, ab unâ parte cingitur; alteram *duo præstantes fluvij* supradicti alluunt; *Araris*, qui quàm lenissimè ex Sequanis defluens, mediam intersecat, & ponte lapideo IX. arcuum utramq; eius ripam jungit; Et *Rhodanus*, qui rapidissimo cursu ex Alpibus per Allobroges ad ortum mœnia Urbis adlabitur, *ponte* quoq; *lapideo* XIX. arcuum insignis. *Ædium elegantiâ*, tùm structurâ, tùm hortis præstat. *Opibus* autē sic floret, ut nulli alij facilè cedat, quarum causam nonnulli fluvijs illis præcipuam tribuunt; Quia cùm multas Urbes isti obeant, seq; in Ligustici *Maris* sinum exonerent; *hac* verò *Vrbs*, Europâ prope in mediâ, sita sit, & *quasi Franciæ cor* putetur, facultatem quæcunq;, quâ

quâ libeat, exportandi, tum etiam importandi præbent, etiam ex præcipuis Europæ Nationibus, haud procul dissitis. Sola enim Sabaudiâ interjectâ, hæc Urbs & Italiam & Germaniam attingit. Eò accedit, quod quater in anno *M*ercatores undiq; gentium eò commeant, publicarum nundinarum, quæ varijs ad negotiationem firmandam privilegijs insigniuntur, gratiâ. Quæ res ab exteris incredibile lucrum atq; decus, non solum huic Urbi, sed etiam toti eius tractui, reliquæq; Galliæ conciliat, & eam insuper hominibus replet, omnis generis artificiorum peritis. Neq; facilè alia Urbs reperietur, Trapezitis, librarijsq; officinis refertior.

Habuit hæc Urbs clarissimos in literis Viros; Nam *L. Plotius*, in eâ natus est, is, qui Suetonio de Claris Oratoribus teste, Romæ primus, Rhetoricam Latinam docuit, longævusq; fuit; *A*b hoc, Cicero se puerum cum Q. fratre, primùm esse institutum commorat. L. Plotius Lugdunensis Orator.

Susceptâ demùm in hac Urbe, sub Antonino Vero Imperatore, Christianâ Religione *Ireneus* Polycarpi *M*artyris auditor hîc Euangelium Christi docuit; Sed secutâ persecutione, martyrio coronatur is Anno Christi 175. Irenæus Lugdunensis Episcopus.

Templa habet multa & egregia, inter quæ *Cathedrale* sive primarium *ad D. Ioannem*, quatuor turribus inclusum est, atq; in hoc est chorus marmoreus cum hac inscriptione:

Quod Bell. Civil. Licentiâ fœdè disjectum fuerat, D. O. M. Propitio Can. & Com. Lug. Rest. CC. An. M. D. LXXXV.

Est inter Ararim & Rhodanum in ipsa Urbe, *area* quædam aspectu jucundiss. & ampliss. vulgò *Belle Couit*, appellata, in quâ tàm à viris, quàm adolescentibus, varij corporis exercentur lusus, vespertinò potissimum tempore. Area lusoria Belle Couit, vulgò.

Extra Urbem visu dignus est *hortus Itali* cuiusdam amœnissimus, cum fonte salientis aquæ, cui hoc distichon inscriptum;

Hâc ornans clarâ, claram clarissimus undâ,
Cuncta facit clarus, quò sua clara forent.

In Armamentario optimè instructo, videbantur fortè tum temporis, præparationes quædam ignium missilium, factæ, propter pacem inter Henricum IV. Galliæ Regem, & Philippum II. Hispaniarum, paulò pôst publicandam. Propugnacula duo sunt, alterum nominatur Pierre scise, alterum Bastillon S. Iean, & hoc præfertur alteri.

28. 167. *Ad* secundum ab hac Urbe lapidem, est oppidulum *S. Gemi* vulgò dictum, ubi horti aureis & citreis pomis insignes & statuæ ex candidissimo marmore sculptæ ac magno pretio æstimatæ, præter alia multa visu digna, monstrantur. 2.

Iunij. 11. Lugduno nave discessimus, ubi *notatu dignum* quod paululùm infra oppidum, *A*raris cum Rhodano se miscet, incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat Araris, judicari non possit. Araris & Rhodani confluentia.

Cœnæ. 168. *Vienna* in Galliâ, antiquum & illustre Delphinatus oppidum, cuius *Mela* meminit lib. 2. *Vienne en Daulphiné* vulgò. Conspicitur ibidem extra oppidum *Pyramis* antiquissima, quam Pilatum, Iudææ Procuratorem à Romanis constitutum, Lucæ 3. qui Christum morti adjudicavit, Matthæi 27. & Lucæ 3, construxisse fama est. 5.

12. 169. *S. Valoir*, oppidulum Delphinatus.

170. *Turnonium* vulgò *Tournon*, Delphinatus oppidum, Collegio Iesuitarum celebre. Obviam hic fit navigantibus, *domus Pilati*, structuræ antiquissimæ; item lapis in medio Rhodani eminens, quem tabulam Regis vulgò appellant. Domus Pilati.

Cœnæ. 171. *Valentia*, vulgò *Valence*, Delphinatus oppidum, Episcopatu & *A*cademiâ clarum. 12.

13. 172. *La Voulte*; 173. *Monte Limar*; 174. *Viviers*, } oppida ab utraq; Rhodani ripa.

In hoc tractu circa montes plurima conspiciuntur Oliveta.

Prandij & Cœnæ. 175. *Pons S. Spiritus*, vulgò *Pont. du S. Esprit*, elegans Aquitaniæ oppidum, sic à ponte denominatum, qui ex saxis quadra- 14.

tis

tis rectâ quasi ad regulam perpendicularem Rhodano impositus est, habens arcus XXII. passus, M. & IX.

14. 176. *Ludun*, Aquitaniæ oppidulum.

177. *Rockemauro* }
178. *Castel à l'air*, } *Arces in insulis & rupibus Rhodani.*

*A*d arces Rockemauro & Castel à l'air, ob fluminis angustiam, prænavigantes facilimè transitu prohiberi possunt.

179. *Castrum Papa*, vulgò *Chasteau du Pape*, in Comitatu *A*venionensi.

180. *Castellum S. Andrea*, vulgò *S. Andrè* in rupe excelsâ *A*venioni rectà oppositum, & ad Regem *G*alliæ pertinens; Monstratur in eo templum vel *S*acellum potius, à Carolo *M*agno olim conditum.

181. Non procul abhinc abest oppidulum *Ville neufe* vulgò dictum, quasi novum oppidum, in paululùm depressiore loco situm.

Prandij. & Cœnæ. 182. AVENIO, vulgò *Avignon*, in Galliâ Provinciæ oppidum, quod Ioanna Siciliæ Regina, Clementi VI. Pontifici Romano vendidit, miras habet vetustates; In eo etenim *septem* sunt *Palatia, septem Parochia, septem Hospitalia*, sive Xenodochia, *septem Sacrarum Virginum Monasteria, septem Collegia, septem Monachorum conventus, & septem Porta*. Vnde apparet, primos eius Conditores, ad optimum eius statum respexisse, qui tanto studio septenarium in eo numerum observarunt, ut perfectiss. quia ex toto impari & ex toto pari constat. Sedem Pontifici Romano septuaginta annos præbuit, quæ cum pro receptâ consuetudine Romam iterum esset translata, perpetuus ab eo tempore Legatus ibi resedit, ipsam Pontificis auctoritatem repræsentans. Eius est penes Cardinalium Consistorium collatio, ad quam præcipuæ dignitatis Virum, qui reliquos auctoritate, experientiâ, doctrina & pietate prælucet, evehere solent. 8.

*A*gri bonitate gaudet, pannorum & bysi tincturâ, papyraceis quoq; molis; Nam aquis eiuscemodi negotiationi opportunis est dives. Vniversitate deinceps inclarescit, quæ olim quando

quando Romani Pontifices ibi residebant, florentissima fuit, optimisq; privilegijs ornata.

Huic multum splendoris attulit *Paulus Castrensis* ICtus, ut eius commentaria in Ius civile, quæ prælectiones *Avenionicæ* vocantur, declarant. Paulus Castrensis.

Andreas quoq; *Alciatus*, cum propter bella in Galliam venisset, sexcentorum aureorum stipendio conductus docuit, ut in Oratione ad Ticinensis Academiæ alumnos profitetur. Andreas Alciatus.

Præter jam enumerata, commemoratione dignum est, quòd uno eodemq; pretio æstimantur hæc tria subsequentia:

1. *Pons supra Rhodanum* ultimus arcuum XXII. maioris tamen altitudinis & latitudinis, quàm Pons S. Spiritus.

2. *Muri circa oppidum* elegantiss. ordine structi, turribus hinc, inde pari intervallo dispositis.

3. *Palatium Pontificis*, quatuor turribus inclusum, cum templo D. Virginis Mariæ: Atq; hæc omnia ex quadrato lapide sumptuosissimè extructa sunt,

In templo ad D. Magdalenam tale legitur
Epitaphium:

Unser Leben / vnd Ende /
Steht alles in Gottes Hände.

D. O. M.

Hic iacet Clarus & Nobilis *Wilelmus Theodorus Nothafft* de Homberg, ex Nobili Illustriq; Nothafftor. de Homberg Germanorum familiâ ortus, cui summo quodam desiderio, Gallorum Vrbes ac mores cognoscere cupienti, cum propè *Muros Avenionenses*, inopinata æstuantis Rhodani, & funesta inundatio, supremum diem infeliciter attulisset, incredibile reliquit sui desiderium, & acerbum dolorem suis omnibus, præsertim cum peregrè extincto posse justa persolvere, pro sua piâ voluntate diffiderent; Veruntamen defuncti, pietatis & Nobilitatis inprimis conspicuæ, atq; etiam Patriæ dulcis memor, Nobilis *Bartholomæus Solighofferus* Sancto Gallensis, suus popularis, postremum

ſtremum illi amicitiæ officium & funis curavit, atq; in S. Stephani ad D. Magdalenam templo, hoc monumentum familiæ inſignitum ſtemmatis, parentum impenſis poſuit, & F. F.

Obijt Anno Domini M. D. XCVI. die XI. Iunij. Ætatis verò ſuæ XX In templo D. Auguſtino conſecrato, *muri absq; columnis* laquearia ſuſtinent.

Bombycum, qui ſericum texunt, in hoc tractu magna eſt copia.

Deniq; *à Iudæis*, quorum hîc multi ſunt, & magnis privilegijs gaudent, *bene eſt cavendum*.

17. Prandij. 183. Rimon, pagus. Vno milliari abhinc aſpectu & conſideratione dignus, eſt *Pons Gardius*, vulgò *Le Pont du Gar.* à fluvio Gardon nomen habens, antiqui & ſtupendi operis, triplici ſerie, mirâ induſtriâ fornicatus, quarum prima eaq; ſuperior arcuum XXXV. latis & quadratis ſaxis tecta, Aquæductum ſuſtinet. Altera arcuum XI. Tertia & infima arcuum VI. hominibus jumentisq; tranſitum præbet. Atq; in hoc opere vero Romanæ magnificentiæ ſimulachro, mirum quod lapides quadrati, molis immenſæ, nullâ calce compacti; tamen cohæreant. Prope hanc molem, in Monte excavato, Spelunca eſt, centum equorum capax, in qua Henricus IV. Galliæ Rex modernus, pranſus eſſe dicitur. 4. Pons Gardius.

Th. Beza de hoc ponte ita cecinit:

Montibus impoſitos cantavit Græcia montes,
Pyramidum oſtentat barbara Memphis opus:
Plus eſt quod cernis, triplicis conjungere pontis
Fornicibus, montes ſic potuiſſe duos.
Et plus eſt, (victam quo ſe natura fatetur)
Impoſuiſſe ipſis flumina fluminibus.
Et rurſum hoc plus eſt, contempto laudis honore,
Artificem nomen ſubticuiſſe ſuum.
Mire opifex, quod tu feciſti, ſit licet ingens,
Quod non feciſti, plus ego miror opus.

184. NEMAUSUM, vulgò *Nismos*, Galliæ Narbonensis oppidum, olim florentissimum, utpute quæ IV. & XX. Vicorum fuerit Metropolis, nomen atq; originem à Nemauso, Herculis filio habere perhibetur. Eo est situ, quo ex Italia, in Hispaniam itur, miram undiq; vetustatem redolens. Aliquot siquidem pervetustæ in eo videntur statuæ & pulcherrima summorum hominum Epitaphia; *Amphitheatrum* spaciosum, antiquissimi operis, ex quadratis lapidibus, sine calce compactis, extructum, cuius Arca ab oppidanis, ita habitabilis est reddita, ut vicum jam referat. 3.

Amphitheatrum Nemausense.

D. *Hadriani Basilica*, quam vulgò *la maison quarrée* vocant; alij Capitolium ex lapidibus, magnà arte & industriâ sculptis.

D. Hadriani Basilica.

In plateâ quadam *statua virilis* conspicitur, magnæ altitudinis, habens quatuor pedes, & *aquilas* ex marmore, sed *abscissis capitibus*, quod in despectum Romanorum Gotthos fecisse pleriq; arbitrantur. Tametsi verò plurima vetustæ Antiquitatis ibi reperiantur monumenta, tamen ob exiguum temporis spacium hæc saltem describere licuit.

1. L. Iulio. Q. F. Vol. Nigro; Aurelio Servato, Omnibus Honoribus in Coloniâ suâ Functo IIIIIVIRI. Corporat; Nemausenses Patrono, Ex Postulatione Populi;
L. D. D. D.
D. M.

2. D. Passon; Paterni; Sex; Passon Paternus Patri Optimo & Servia Serverina Marito Rarissimo.
D. M.

3. ValerI; PrimiLT: Iun. Triphosæ Vivæ Fec,
D. M.

4. Valeriæ, Munatiæ. L. Munatius Titullus, Sorori; & Munatia Marcella Aulæ.
Manibus.

Sex.

5. Sex. SpurilI; Sex. Fruol, SilvInI.
Eucharistus & Germanus Lib: IIIIIIVir. Aug.
D. M.

6. Vlpiæ M. Fil, Theodote, C. Pantuleius Anatellon.
Et M. Vlpius Successus Heredes Fœminæ Rariss. Exempli.

Floret Nemausum nunc Academiâ celebri sub primo Rectore *Iulio Pacio* ICTo excellentissimo.

Est & *templum* hic *Cathedrale* D. Virgini sacrum, in quo pavimentum vermiculato Emblemate tessellatum, mirâ suavitate videndi sensum oblectat.

Extra oppidum in colle videtur *turris* quædam *vetustissima*, quam aliqui turrim magnam, aliqui verò Romanam nominant, in quâ præsidium olim habuerunt Romani. Ad radicem huius Collis sunt rudera Templi Dianæ, inter quæ columnæ tantum aliquæ hodiè sunt residuæ; Contigua huic est *Abyssus*, sive Aqua perennis & limpidissima, quam specum aut lacum haud ineptè dixeris, cuius fundum nemo mortalium invenit, oppido sufficientem aquam per tubos, eò deductam subministrans; Putant nonnulli istum fontem per subterraneum meatum ex Rhodano originem habere; Verum hac de re cuilibet liberum esto judicium.

Porrò, testantur veterum murorum ruinæ, oppidum hoc olim fuisse satis amplum & magnum.

Oliva & *Ficus*, in hoc & vicino territorio, adeo sunt frequentes, ut earundem ramis ad muscas ab equis nostris abigendas, sæpissimè uteremur;

Incolæ Regionis huius, ob summum solis ardorem, & graminis inopiam boves & vaccas alunt perpaucas, unde *lacticinijs* ferè carent, sed *oleo abundant*. In campo odoriferæ herbæ multæ, Rosmarinus videlicet, Nardus & id genus similes. *Imbres* hic *rari*; Verùm noctu pluvia quædam tenuis vel ros decidit, qui fructus herbasq; humectat, & refrigerat. Hortulani fervente Sole, propter siccitatem immensam ita solent irrigare hortos: Asinus tympanum trahit, quod circumactum aquam modulis

Hortos irrigandi modus.

 haurit

haurit & erogat, quæ aqua ex vasculis decidens per aquagium, sulcum ei contigium implet; isto impleto hortulanus terram ligone obtrudit, ut illa aqua, ad alterum se vertat, & hoc impleto ceteros eodem modo implet.

19. 185. *Lunell.* Galliæ Narbonensis oppidulum. 4.

Prandij. 186. MONS PESSULANUS, Galliæ Narbonensis oppidum; 4.

Cœnæ. Agatho quondam, sive Agathopolis, nunc vulgò *Montpeslier* dicitur; In agro admodum fertili positum, decem milliaribus à Mari Mediterraneo distat. *Episcopatu & universitate* celebratur; in qua olim Iurisprudentia, nunc Medicinæ studium floret. Amplissimo Medicorum Collegio nitet, quod ab Vrbano V. Romano Pontifice, Anno Christi 1196. fundatum, & copiosissimis est exornatum reditibus. Aliud etiam non minus elegans atq; præclarum Collegium Regium ab Henrico Gallorum Rege erectum, ibidem cernitur. Quin & *tertium Collegium* est, *Duvergier* vulgò dictum, quod optimæ spei adolescentibus, studiorum victusq; necessaria in decennium præbet. Scribit Petrus Rebuffus, in tractatu de Privilegijs Scholarium, tantam Rectoris in hàc universitate esse auctoritatem, ut studiosi honoris gratiâ egredientem comitari teneantur. Ante bella Religionis causâ in Galliâ excitata, templum hic fuit, D. Petro sacrum, magnificè extructum, cum adjunctâ sede Episcopali, cuius rudera hodiè tantùm supersunt.

Vinum gignit hæc terra valdè *generosum* in magnâ copiâ, cuius haustum, si quis in diversorijs poscat, primâ vice ei aqua limpidissima in vitro porrigitur de quâ quantum lubet, effundit, reservans reliquum ad vinum diluendum sive miscendum; quod si totum non ebibatur, residuum in aquarium vel terram projicitur. Frequentius autem vinum rubrum quam album apponitur.

Trituratio Frumenti in Gallia Narbonensi.

Frumentum hic non in horreis, sed sub dio, non flagellis, sed Mulis & Bobus, mergetibus in circulum positis *trituratur*.

Perdicũ & Coturnicum abundantia.

Perdicum & Coturnicum, tanta in hàc Provinciâ est *abundantia*, ut quotidiè & in prandio & Cœnâ assæ convivis apponantur.

Scor-

Scorpiones hîc adeò ſunt frequentes, præſertim campe- Scorpionũ multiduto.
ſtres, ut pueri in uſum Pharmacopolarum ex horum collectione quæſtum faciant.

187. Duobus à Monte Peſſulano milliaribus fuit olim *Magalonenſium Civitas*, Epiſcopi Montis Peſſulani ſedes, nunc domus tantum cum templo in medijs ſtagnis, vulgò *Magelone*. 2.

Hic vidimus lacertas prægrandes & mirè virides, quæ obliquato capite homines contemplari ſolent, vehementerq; delectantur eorum adſpectu.

25. 188. *Gigean*, Galliæ Narbonenſis oppidulum à dextris conſpicuum.

Prandij. 189. *Loupian*, Galliæ Narbonenſis oppidulum, ad quod *Mons* 5.
Setius conſpicitur, & à ſiniſtra relinquitur. Mons Setius.

190. BOETERRÆ, Galliæ Narbonenſis oppidum, *Septimanorum olim* (à legionis ſcilicet Romanæ numero) Colonia; 6.
Hôcq; eſſe verum nomen, vel ex Elogio, Marmori quod illic viſitur, inſculpto apparet, hiſce verbis; *M. Iunio Philippo Nobiliſs. Cæſari Principi Inventutis Septimanorum Baterr.*

Quare illa Bætiræ, Bicteræ, Bleterræ &c. tanquam corrupta quorundam judicio ſunt reijcienda, vulgò *Beſiers*.

26. *Atax*, Galliæ Narbonenſis fluvius, hic traijciendus, ex Pyrenæis montibus deſcendit, & in mare Mediterraneum ſe effundit, atq; Narbonem perfluit, vulgò Aude; Lucan. lib. 1. Atax Galliæ Narbonenſis fluvius.

Mitis Atax gaudet, latias non ferre Carinas.

Prandij. 191. *Narbo* ſive *Narbona*, vulgò *Narbone*. Galliæ Narbo- 4.
nenſis oppidum primarium, cognomento Martium, olim ampliſsimum fuit Galliæ Braccatæ Emporium, teſte Strabone. lib. 4. hodie tutiſsimum Galliarum adverſus Hiſpanos propugnaculum à quo tota ea pars Galliarum, quæ olim Romanorum fuit Provincia, nomen accipit. Martia autem Narbona ex eo dicta putatur, quod eò Cæſar ex Martia Legione colonos deduxerit. Martianus Narboneſiam vocat.

In Templo Cathedrali, ſtructuræ Eximiæ, præter multo-

rum loci istius ArchiEpiscoporum monumenta magnifica, sequens hoc saltem ob temporis angustiam notatu dignum visum est;

Sepultura Bonæ Memoriæ Philippi quondam Francorum Regis Filij Beati Ludovici, qui Parpigniani calidâ febre ab hâc luce migravit III. Non. Octob. Anno M. CC. LXXI. Tabulæ Curiæ affixæ versiculi hi inscripti leguntur.

Nata Genevensi, nutritaq; bellua stagno,
Te Duce & his armis colla secunda dabit,
Sedibus æthereis posthac Astræa redibit,
Almaq; pax terras, Relligioq; colet.

Circa muros urbis multæ antiquitates visuntur, sed lectu difficilimæ.

Cœnæ. 192. *Lesignan* Galliæ Narbonensis oppidulum. 3.

27. 193. *Donzel*, Galliæ Narbonensis oppidulum. 3.

Prandij. Cœnæ. 194. *Carcassum* sive *Carcasso*, Galliæ Narbonensis oppidum Episcopale, hodiè Carcassonam vocant, vulgò *Carcassonne*; Dividitur per Atacem fluvium in duas partes, quarum altera propugnaculum habens munitissimum, vocatur, Civitas vulgò *La Citè*, altera Carcassonne; Populus hic linguâ non purè Gallicâ, neq; purè Hispanicâ utitur, ob Regni Hispaniæ vicinitatem, cuius limites vix quinq; milliaribus hinc distare dicuntur. 2.

Sunt hîc in propinquo *Montes Pyrenæi* qui Hispaniam à Gallijs dirimunt; Hispani vulgò, *Los Pirenós* vocant, à Pyrene Sobricis Regis filiâ, ijs in montibus ab Hercule compressâ, ac postea à feris laniatâ, ibidemq; sepulta, sic dicti; Alij tamen, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, hoc est, ab igne, nomen hoc deducere malunt; sive quod crebris fulminum ignibus feriantur, sive quod horum sylvæ, injecto à Pastoribus igne, olim universæ conflagraverint, Strabo lib. 3. Diodorus lib. 6. Montes Pyrenæi.

28. Prandij. 195. *Alsonne*, Galliæ Narbonensis oppidulum. Mortuus hic fortè efferebatur, magno cum clamore, & planctu, Ethnico planè, ut nobis visum est, more, quem omnibus in funeribus incolæ observare solent. 3.

Ville

196. *Ville Penitle*, Galliæ Narbonensis oppidulum, à dextrâ conspectum.

Cœnæ. 197. *Castel Novo d'Ari*, Galliæ Narbonensis oppidulum. Hic virgines hinc inde per plateas, miris gesticulationibus saltabant. 3.

198. *Ville Franche*, Galliæ Narbonensis oppidulum, transeundum.

29. 199. *Vasiege*, pagus.

Prandij. 200. *Castanet*, Galliæ Narbonensis oppidulum transeundum. 1.

Cœnæ. 201. TOLOSA. Galliæ Narbonensis oppidum primarium, quod alij, totius Aquitaniæ vel Occitaniæ, quæ Gallis vulgò, *Languedoc* appellatur, Metropolin constituunt, vulgò *Toulouse*, dictum, aliquando quoq; Tectosagum, unde Tolosates, Tolosani, & Tectosagi. Tradunt nonnulli, Tolosam, ante bellum Troianum ædificatam fuisse; alij, Deboræ prudentis illius fœminæ Iudaicæ temporibus conditam volunt; Vt ut sit, multa supersunt hic vestigia Romanæ Antiquitatis, & Gotthicorum Regum. Ager Suburbanus, opimus est ac fertilis, abundans frumento, vino, fructibus, glasto & Isatide, Gallis vulgò *Pastel*, lanâ & alijs rebus multis ad victum humanum necessarijs. Nobilis est hæc Civitas supremo Senatu, quem *Parlamentum* vocant, nec non ArchiEpiscopatu, & senescalli Curiâ tum Gymnasio, quod habet totâ Europâ celeberrimum; Cavendum tamen diligenter à studiosis, qui peregrè eò venientes mirè vexant, ac sæpenumero minis pecuniam pro pauperũ Eleemosynâ, & faciendis Missis, ab ijs extorquent, quam postea convivijs, vulgò *Morfle* nuncupatis impendunt. Gladijs utuntur adeò longis, ut justam viri altitudinem excedant. 3.

In Capitolio sive Curiâ Vrbanâ, distichon hoc, picturæ VIII Virorum, qui vulgò *Capitouls* appellantur subscriptum est.

Eligit octoviros Urbi Catharina quotannis,
Et stringit nodi, Relligione sacri.

Templa sunt hic multa, & magnifica, inter quæ S. *Stephani*, & D. *Serini*, sunt præcipua, & hoc quidem posterius, ob Sanctorum

ctorum Reliquias, ibi asservari solitas, cæteris omnibus præfertur, in quo tabulæ cuidam sequentia leguntur inscripta:

Omnia si lustres aliena climata terræ,
Non est in toto Sanctior orbe locus.

Precatio vel Oratio.

Propitiare quæso Domine nobis famulis tuis, per Sanctorum tuorum, Iacobi, Simonis & Iudæ, Philippi & Iacobi, Barnabæ & Bartholomæi, Saturnini & Exuperij, Papputij & Ægidij, Georgij, Claudij Nicostrati, Simphoriani, Castoris, Cirici & Iulitæ, Ascisceli, & Victoriæ Simplicij, Hilarij, Syluij, Honorati, Gilberti, Aimondi, Honesti, Susannæ & Catharinæ, aliorumq; Sanctorum tuorum, quorum corpora & reliquiæ in præsenti Ecclesiâ habentur, merita gloriosa, ut eorum piâ intercessione, ab omnibus semper protegamur adversis, per Christum Dominum nostrum Amen.

Ædes privatorum *ex lateribus coctis* ut plurimum hic constructæ sunt, tectis humilioribus.

Habentur hic singularis artificij *Molendina*, in quibus, vi fluminis Garumnæ, (quod in Pyrenæis montibus nascens, Celtasq; ab Aquitanis dividens & per Santonum fines in Oceanum influens) rotæ nostris multò minores capsulis unicum tantum orificium habentibus inclusæ, per transversum circumvolvuntur velocissimè: Vbi farina, non ex loculis decidit, sed fæminæ pastillorum impulsione contra arcam molitoriam eam exigunt, ac postea cribratione sedulâ purgant. Non longè abhinc fundamenta Pontis Lapidei jacta jam erant, supra *Garumnam* fluvium, vulgò *La Garonne*, qui ad ipsam Urbem incipit esse navigabilis. Molendina Tolosana. Garumna fluvius.

Rustici in hoc tractu *Calopodia* gestant, quæ vulgò *Sabottes* appellantur; Et Ricina sive pallia Hispanica, ex albo sago filis versicoloribus intermistis ab Opilionibus plerunq; texta. Rusticorum Habitus.

Porrò silentio prætereundum non est; *Aurum habet Tolosanum*, Proverbium in eum, qui magnis ac fatalibus afficitur malis, Aurũ habet Tolosanum.

malis, natum ex direptione templi Tolosani, quemadmodum refert A. Gell. lib. 3. Noct. Atticar. cap. 9. Sed & hodie experientia testatur, certis eos sese immergere malis & periculis, qui à bonis ecclesiasticis manus suas non abstinent.

Hîc si quem conspexerint peregrinæ gentis, qui cultu dignitatis nonnihil præ se ferat, in hunc intenti sunt omnes, defixis oculis contemplantes, quasi novum aliquod animantis genus adductum sit ex Africâ, adeò ut postquam mensæ adcubuerint, reflexo in tergum vultu, continenter adspiciant, nec dimoveant oculos, cibi immemores.

5. Hinc nave constratâ discessuri, Garumnæ fluvio nos commisimus, qui propter adjacentes, in utraq; ripa vicos, oppida, nemora & prata est amœnissimus.

202. *Castellum S. Michaelis*, ad sinistram relictum.

203. *Blugnack* oppidulum ad dextram.

204. *Granada*, oppidum ad sinistram.

Prandij. 205. *Berdun* pagus. 4.

Cœnæ. 206. *La Ponicte de Mussagk*, pagus. 5.

Hic fluvius *Tarne* Garumnæ se jungit; & in propinquo est Territorium Querey. Tarnæ fluvius.

6. 207. *La Magistere* Vicus in Gasconia. 3.

Prandij. 208. *Clairmont, Claremontium superius*, Gasconiæ sive Vasconiæ oppidum à dextrâ conspectum.

209. *Agenna*, sive *Aginum*, vulgò *Agen*, oppidum Episcopale in Gasconiâ egregium; Rudera pontis lapidei ibi conspiciuntur.

210. *Claremontium* inferius, vulgò *Clairmont*, Gasconiæ oppidum in colle situm à dextrâ relictum.

Cœnæ. 211. *Portus S. Mariæ*, vulgò *Port du S. Marie*, Gasconiæ oppidulum. 5.

7. 212. *Aquillon*, quasi dicas Latinè Stimulus sive Aculeus, oppidulum Gasconiæ, in planitie situm à dextrâ conspictum.

213. *Thounneius*, Gasconiæ oppidulum. 2.

214. *Le Mas ou Matr d' Agenois*, q. d. Malus Agednæ Provin-

ciæ in Galliâ Aquitanicâ Anglis olim concessæ, oppidulum Gasconiæ à sinistra relictum.

215. *Comum*, vulgò *Coumont*. Arx egregia Gasconiæ in Colle sita, à sinistrâ conspecta.

216. *Marmande*, Gasconiæ oppidulum, à dextrâ quoq; relictum.

217. *La Reole*, Gasconiæ oppidulum à dextrâ quoq; relictum.

218. *Castois*, Arx Gasconiæ egregia à sinistrâ conspecta.

219. *S. Macaire*, q. d. S. Macarij oppidum, in Gasconiâ Collegio Iesuitarum celebre. Huc usq; naves onerariæ perveniunt, propter Maris Aquitanici refluxum, qui Gallis vulgò Flus & Reflus, vel la Marèe dicitur.

Cœnæ. 220. *Lingon*, Gasconiæ oppidulum.

8. 221. *Cadillac*, Gasconiæ oppidulum à dextrâ conspectum.

Prandij. 222. *Sabotthe*, pagus. Visu dignum hîc est *Sacellum Eremitæ* 5.
cum adiunctâ ædiculâ in rupem incisum, in quo Altaria, Suggestus, gradus, fenestræ, Ianuæ, & reliqua omnia tam affabrè elaborata conspiciuntur, ut quemvis in admirationem facilè trahant. Sacellum Eremitæ.

223. Ex opposito huius, *Insula* quædam est D. *Georgio sacra*, 1.
in qua Cœmeterium fere totum, feralibus Urnis lapideis repletum est, in quas cadavera mortuorum imponere, easq; calce firmiter obturare solent, ne fœtor aliquis inde oriri, & quo citius cadavera consumi possint. Insula D. Georgij in Gasconia.

Cœnæ. 224. BURDEGALA alias Burdigala, vel Burdigalia, vulgò 3.
Burdeaux oppidum vetustum & egregium, in paludibus, quas exundans Garumna efficit situm, meritò universæ Gasconiæ constituitur caput, tum quia miram vetustatem ostentat, tum quia ædibus est decoratum magnificis, tum deniq; quia situ munitum, Arx & propugnaculum Galliæ habetur. Fatebuntur hoc Angli, qui gravi obsidione illud presserunt, hâc spe, ut fortissimâ Galliæ Arce expugnatâ, reliquarum Urbium paruo negotio victores fierent; Quorum conatus fortis magnusq; indigenarum animus, & bene munita Civitatis mœnia frequenter everterunt

teruut eosq; in Insulam suam, quo marinis cincti limitibus sua sorte contenti viverent, remiserunt. Primam eius formam quadrangularem fuisse ex muris antiquis conspici potest. Amplificato deinde, ob hominum frequentiam oppido, eam quam nunc habet, consecutum est faciem.

Duo *templa* sunt hic primaria; Alterum *D. Andreæ*, ex quadratis lapidibus, ab Anglis Provinciæ quondam huius Dominis, nitidè & mundè in crucis formam extructum; Alterum *D. Michaëli* sacrum, in cuius Cœmeterio turris ex quadratis saxis, à templo, per exiguum quoddam spatium sejuncta, conspicitur. Æramenta bona templis hic desunt; Nam Anno Christi 1548. Rebellionis causa, factæ propter Vectigalium exactiones ipsis inter cætera jussu Regis omnes Campanæ à Connestablio ablatæ sunt.

Floret *Archi Episcopatu* & *Parlamento* hoc oppidum celeberrimo & *insigni Academiâ*, in quâ omnium artium & scientiarum Professores Iuventutem instituunt ita ut verè dici possit Musarum domus, aut potius bonorum omnium Copiæ cornu; Nihil enim est in cæteris Urbibus Commendatione dignum, quod Burdegala non abundè possideat, sive Annonæ vilitatem spectes, sive armorum gloriam, seu Negotiationis ac mercaturæ frequentiam ac inprimis literarum studia.

In Curiâ Civitatis, *tres statuæ marmoreæ* videntur, quarum media cum capite & sine manibus, reliquæ verò duæ absq; capitibus & manibus conspiciuntur, his inscriptionibus superadditis.

Druso Cæsa — Rufi. F. nici Cæsaris Ca; Augusto. Aug. N. Divia Aug. Pont. Max; Præfect. Urbis; ɔ. II. P.P. Gustal. C. Iujius.

Ex alterâ parte in columna quædam talis est inscriptio;

Augusto Sacrum & Genio Civitatis Bit. Vir.

Ad portam Curiæ Vir & uxor exsculpti videntur cum hac inscriptione; D. M.

Tarquiniæ Faſtinæ, M. Calluen. Sabinianus Viv. Sibi & conjugi.

Extant iſthic adhuc præclara antiquitatis monumenta, in quibus eſt *Tutela Palatium*, quod Belleforeſtus Urbis Genio Divisq; Tutelaribus, olim dedicatum fuiſſe arbitratur; Ex cuius reliquijs, hodie ad dexteram ſeptem ingentes columnæ ſaxeæ conſpiciuntur, quibus ſex arcus impoſiti; ad ſiniſtram octo columnæ & ſeptem arcus, Antrorſum vero tres columnæ cum duobus arcubus. Præterea ſunt in eodem loco & viriles & fœmineæ ſtatuæ *columnis omnibus* ſtriatis ſupradictis inſculptæ, quarum quidem XV. intra Palatium, extra verò XVI. tantum conſpicuæ, reliquas ædiculæ contiguæ occultant. Fama eſt vulgata, ædificium iſtud ob hanc cauſam fuiſſe conditum ut obærati ad illud, tanquam ad ſacram anchoram, confugerent, ne quod aliàs fieri ſolebat, eorundem uxores & liberi, à Creditoribus captivi, in perpetuam ſervitutem abducerentur. Tutelæ Palatium.

Portus multarum navium capax negotiationi idoneam, opibusq; florentem Bordegalam efficit, quæ etiam ortu Auſonij Poëtæ nobilitatur, qui ita de ſua Burdegalà loquitur. Clementia (hic) cæli Mitis & irriguæ larga indulgentia terræ &c. Portus Bordegalenſis. Auſonij Poëtæ Patria.

Anglis non licet in hunc portum appellere cum tormentis, ſed illa in arce Blaye relinquere coguntur.

Ad portam S. Germani extra oppidum cernuntur *reliquiæ Amphitheatri* ovali figurâ ex coctis lateribus intermixtis quadratis ſaxis conſtructi, quod Galieni Palatium vocant. Later coctus in longitudine duas habet ſpitamas, cum digiti articulo; in latitudine ſpitamam unam cum articulo; in craſsitie duos digitos. In hoc Amphitheatro duæ ſunt Portæ, quarum quælibet arcus quinq; habet, alterum altero ſemper demiſſorem; A dextro latere ubi rectà ex oppido eſt ingreſſus, ſunt XXXIII. arcus, qui mediam tantummodo Amphitheatri partem conſtituunt; Nam à ſiniſtro latere omnia funditus everſa & diruta ſunt. Galieni Palatium.

Non procul hinc abeſt templum D. Severini, in cuius Cœmeterio

meterio *tumba lapidea* cernitur aquâ repleta, quæ secundum Luнæ augmentum vel decrementum, crescit & decrescit; ita autem obserata est ferramentis, ut aperiri nequeat, sed per rimam sequidigito latam, culmo vel virgulâ insertâ mensurari oportet, quantum aquæ nisit. Tumba lapidea Lunaris.

Duæ hic sunt *Arces*, quarum Altera *Ha*, altera *Frompette* vulgò dicitur.

Aedes hic ferè Germanico more constructæ, cum tectis pectinatis.

Allium in Gasconiâ in magnâ copiâ & in delicijs habetur.

11. 225. Nave conscensâ, discedentibus obtulit se primùm *Blage*, Arx à dextris Santonum promontorium.

Cœnæ. 226. *Rocque de Thau*, pagus.

Cum noctu ulterius obliquato cursu progressi essemus, orti sunt ex improviso maximi turbines ita, ut per aliquot horas in anchoris stare cogeremur; posteà tamen ad portum Vici

12. Prandij. 227. *Maiche*, pervenimus, navemq; istam reliquimus. 17.

Cœnæ. 228. Equis hinc conductitij ad pagum *Ribero* profecti sumus, 2.

& Prandij. 229. videntes à dext à arcem *Songen* ad fluvium *Sudre* sitam.

Nave rursum conductâ cum refluxu Maris hinc discessum, &

13. 230. *Morniack* Castellum egregium à sinistrâ visum.

Hic inter navigandum *Delphini*, (Gallis Porcilles dicti, propterea, quod Porcellorum instar in aquâ circumvolutentur) conspecti sunt in magnâ copiâ, singulari cum voluptate quidem, sed qui procellas & tempestatem denunciabant, quemadmodum paulò post experientia docuit; Etenim post horam vix elapsam, tanti fluctus exoriebantur, ut maximo cnm labore, & non sine discrimine ad litus adniteremur, ubi per XVIII. horas anchoris insistere coacti, cum nos fames admodum urgeret, tandem ex casulis quibusdam proximis, ægrè panem furfuraceum, Vinum subacidum & sordidum, & cochleas marinas obtinuimus. Cœnâ hàc paupertinâ absolutâ, alius in hunc, alius in alium se conijciebat angulum, & Neptunum placidiorem expectabamus; Deniq; magnâ cum difficultate ad oppiduli Delphini Pisces Marini.

14. Cœnæ. 231. *Marene* portum appulimus, ubi copiosè Dracones & Aselli marini capiuntur; Dracones isti valde venenatum habent aculeum, quo icti, ac si venenum lethale hausissent, mori coguntur. 4.

15. Prandij. & Cœnæ. 232. Equis conductitijs usi sumus usq; ad pagum *Chastein*. 1. Hic *Astacum*, sive gammarum marinum duos pedes longum comedimus, qui patinam haud exiguam, solâ carne replebat integram, vulgò *l' escreviße de la Mer.* Est & aliud genus cancrorum marinorum, qui sub lapidibus latere solent, quos Galli chancres, nos Meerspinnen appellamus.

Astacus sive Gammarus marinus.

Porrò sunt in hoc tractu plurimæ *Salinæ*, in quibus sal hâc ferè ratione conficitur: Fiunt foveæ quadrangulares, pedum trium altitudine, in quas per aquæductus aquæ marinæ, quantum sat est, immittitur, quæ sic inclusa per sex aut septem dies insolari & inde sal confici solet; De Salinis in Italiâ circa Cerviam oppidulum, vide infra.

Salinæ in Santonibus.

Postquam hic integrum diem commorati essemus, ventum nacti secundiorem, tertiâ vice Rupellam versus, noctu navem

16. conscendimus, usi Nauclero gnaro & gnavo, qui nos intra spatium septem horarum, ad portum Rupellensem ferè deduxit, quem tamen propter ventum contrarium diu ingredi nequivimus, sed obliquato cursu, per quatuor horas & ultrà hinc inde fluctuavimus, donec tandum aurâ flante prosperiore, & divinâ adiuti gratiâ, salvi & incolumes cum refluxu maris appulimus.

Prandij. & Cœnæ. 233. RUPELLA, vulgò *Rochelle*, in Santonibus oppidum, 12. Maris Vicinitate nobile, quod plerìq; Ptolomæo Santonium fuiße existimant, quasi solum totius Santoniæ Provinciæ Portus, magnâ opportunitate conspicuus, asylum & *propugnaculum*, viribus humanis *inexpugnabile* existat. Altero latere Mari, altero paludibus & uliginosis locis, tertio muris, fossis, & turribus, ad hostiles insultus propulsandos, idoneis, firmum. Admirabile sanè ac mirum, quanto robore ac fortitudine præstet, quàm validis sit munitionibus vallisq; firmatum, quam commoda

moda loci, ſitusq; ratio, pro dignitate expendi diciq; ſatis non poteſt. Nam præter reliquam eius fœlicitatem, ipſum Mare pulchrè collatum eſt juxta oppidum, illiq; ſinum mirum in modum commodum facit, & tranquillam portus protectionem navigantibus exhibet; Adeò quidem, ut etſi pleræq; in Gallia inveniantur Urbes magnitudine celebriores, paucæ tamen imò nullæ ſituræ ſunt, ſitus, munitionum, & propugnaculorum robore præſtantiores. A Galliæ Regibus excitatum videtur hoc oppidum, vel ob commodam portus conditionem, vel, ut eorum hinc frangerentur furores, qui pyraticam in Mari exercebant. Vnde magnificis Regum Privilegijs & immunitatibus, præ cæteris Galliæ Urbibus & oppidis ornatum eſt; Etenim Civibus ea data eſt facultas, ut ex ſuorum ordine Maiorem atq; ſcabinos deligant, qui eo modo Politiæ præſint, ut nullam unquam Gubernationem externam, nulla militaria præſidia, imò ne caſtrum quidem ad ſui defenſionem aut tutelam admittant, præter unicam illam turrim, quæ armorum cuſtodiæ deſtinatur. Alijs inſuper gaudet Privilegijs, rei maritimæ permultum indulgentibus, quibus à Carolo Galliarum Rege eius Nominis V. Anno partæ ſalutis, M. CCC. LXII. auctum fuit; Cum nimirum Rupellani effrenatam Anglorum evitantes Tyrannidem, pulſo eorum ac profligato præſidio, Præfectis etiam contumelioſè ejectis, Regi ſuo ſe ſubmiſerunt, certis pactis & conditionibus, quibus tantam Privilegiorum immunitatem ſunt conſecuti.

Circa Annum Christi M. D. LXXII. & LXXIII. Rupella, Religionis cauſâ, à Caroli IX. Galliarum Regis fratre Andegavenſium Duce, per IX. menſes obſeſſa & graviter oppugnata eſt, ſed cum fortiſſimè ſe defenderent oppidani, tandem pace factâ Privilegia & immunitates ſuas, ſalvas & integras retinuerunt.

Templa ſunt hic aliquot, ſed nunquam ferè aperta; Conciones enim & Religionis Ceremoniæ Eccleſiaſticæ, in ædibus privatorum, ad hanc rem deputatis haberi conſueverunt: Plateæ

teæ & angiportus oppidi omnium ſordium genere adeò inquinati, & fœtentes, ut vix ullo in alio Galliæ loco.

Forum piſcarium piſcibus marinis, ſalſamentis & cochleis eſt refertiſſimum.

In ſolo ſita eſt Rupella valdè ſalebroſa, ita ut multi exiſtiment, à rupibus ei nomen eſſe inditum.

Ad introitum Portus oppidani duæ turres ſunt fortiſsimæ quarum una ab alterâ navis unius onerariæ duxtaxat latitudine diſtat, ita ut hoſtes copiâ navali inſtructi propius accedere nequeant.

Molæ alatæ ſive pnevmaticæ, in hâc provinciâ ſunt frequentes, Hydromylæ verò ſeu aquaticæ raræ, ob aquæ fluviatilis penuriam; Invenerunt tamen Rupellani modum, quo aquâ marinâ ad farinam pinſendam commodè utantur. Extructa habent prope Molas, ex ſaxis quadratis, diverticula, ſeu receptacula quædam ſatis ampla, in quæ, quoties Mare reciprocat, quod interdiu unâ vice, noctu alterâ, quotidiè contingere ſolet, ianuis patefactis, aquam marinam immittunt, ac poſteà decreſcente Mari Molis impendunt, & ita naturæ beneficium artis adminiculo dextrè juvant.

Ex oppoſito Rupellæ, *duæ* conſpiciuntur *Inſulæ*, quarum altera, Regis Inſula, vulgo *l' Iſle du Roy*, appellatur, quæ vini ferax eſt, altera vulgò *Oleron*, Uliarus Plinio, lib. 4. Natural. hiſt. cap. 19.

Equis conductitijs Rupellâ diſceſsimus.

19. Prandij. 234. *La Nivoyre* pagus, *al Neufoire.* 5.

Cœnæ. 235. *Nyortt*, Galliæ oppidulum in tractu Pictavienſi. 5.

20. Prandij. 236. *S. Maixant*, ſive *Maxene* Galliæ oppidulum in tractu Pictavienſi. Hic ante portam, murum ex lapidibus tam appoſitè ſtruere & lapides conjungere juxta regulam vidimus, ac ſi Calx fuiſſet adhibita, quæ tamen non aderat. 4.

Cœnæ. 237. *Luſignan* oppidulum Galliæ in tractu Pictavienſi, hic ante diverſorium propè erat fons ſalientis aquæ limpidiſſimus. 4.

21. Prandij. 238. PICTAVIS ſive *Pictavia*, Ptolomæo *Auguſtoritum*, vulgò 4.

vulgò *Poictiers*, Pictavorum seu Pictonũ Metropolis, summam antiquitatis laudem meretur. Sunt qui Agathirsis atq; Gelonis filiorum Herculis successoribus (qui Picti à Poëtis vocantur) eius fundationem, attribuunt; Hi etenim ob concitatas seditiones domesticas patriâ pulsi in Angliam devenerunt, inde numero & multitudine aucti, novis quærendis sedibus, in Galliam traiecêre, ubi à suo nomine Pictones populos, hanc quoq; Civitatem condidisse feruntur. Aliter alij scribunt, cum ex Pomponio Melâ & Plinio constet multò ante quàm hi ex Angliâ venerint, Pictonum extitisse memoriam. Alluit hanc Clanius fluvius, vulgò *Clain*, qui ex propinquo stagno promanat, & in Viennam delabitur. Episcopatus eam commendabilem reddit, cui maximâ cum laude præfuit *D. Hilarius*, doctrinâ ac pietate singulari Antistes, qui Arianæ factioni invictum se Antagonistam opposuit, ac præclaros illos & nunquam intermorituros, de S. Trinitate libros XII. magno tùm ingenio tùm eloquentiâ conscripsit. D. Hilarius Episcopus Pictaviensis.

Vniversitatem etiam Pictavia habet, in quâ non solummodò humaniores disciplinæ, sed etiam Iurisprudentiæ studia vigent. Cui Sebast. Münst. lib. 2. suæ Cosmograph. cap. 49. secundum ab Academiâ Parisiensi locum attribuit.

Templa sunt hic *duo primaria*; alterum D. Petro Apostolo sacrum, cui domus Episcopi adjuncta; alterum ad S. Mariam, quod priore vetustius esse, statua Constantini Imperatoris lapidea coronata, equo insidens atq; gladium in manu gerens, cum hac inscriptione docet.

Quam Constantino Pietas erexerat olim. 340.
Ast hostis rabies straverat Effigiem. 1562.
Restituit Veteres cupiens imitarier huius
Vidus Eques Templi Cœnobiarcha pius. 1592.

Ad templum *Monternu* vulgò, pyramis conspicitur sexangularis, in summitate concava.

Episcopus huius loci ArchiEpiscopo Tolosano subest.

Sunt in hac Provinciâ Pictaviensi, 1200. *Diœceses*, aut po-

tius Paroeciæ, sub tribus Episcopatibus, Pictaviensi nempe, Lucionij, & Maillezris, ut vulgò sonant.

Præterea Pictavis omnium Galliæ Urbium post Lutetiam, quò ad ambitum amplissima censetur, licet magnà ex parte, pratis, agris, & hortis referta, ac non admodum populosa nunc sit, ut olim, forsitan ob recentiores Religionis causâ excitatas turbas, & Civium dissensiones, in quibus etiam D. Hilarii manuscripta, thesauri loco hic recondita, mutilata atq; corrupta esse dicuntur.

Antiquitatem huius satis testantur, *Theatrum*, vulgò Arenas, Palatium Galieni & *Aquaductuum fornices*, quæ supersunt, Imperii Romanorum in hoc loco vestigia, quamvis ante horum adventum, alibi oppidi huius aream fuisse ex Ammoinij & Adonis scriptis quis suspicari posit; Hi enim loci veteris Pictavi dicti meminêre, in quo, inter Carolomannum & Pipinum Reges Francorum Regnum divisum fuisse narrant.

Ad dextram Portæ, *S. Ladre* vulgò dictam, vestigia Arcis ab Oppidanis dirutæ conspiciuntur, ex quibus tres adhuc turres, murorum munitioni inservientes supersunt.

Porrò Provincia Pictaviensis hodiè in Inferiorem & superiorem dividitur; Inferiorem appellant, quæ versus occasum in Oceanum Aquitanicum desinit; Superiorem quæ orientem respicit, ad Turones usq; & Bituriges.

Tellus est frugum, pecorisq; fertilissima vino, frumentoq; dives, & piscium abundans. Sed *avium* & *ferarum* inprimis hic *ingens* est *copia*, eoq; venatio & aucupium frequens. Epit. Theatri. Ortel. in descript. Pictaviæ.

Antequam Pictaviâ discederemus, ab hospite & Gallis convivis, qui eodem diversorio, tum fortè utebantur, consilium de ulteriori profectione instituendâ expetivimus; Ibi quot capita, tot sententiæ. Res ea admodum mira nobis est visa, præsertim cum nobiscum reputaremus, nobis peregrinis multò fore difficilius statuere eâ de re, de quâ ne quidem inter incolas, & ijs in locis natos conveniret; sepositâ tamẽ hâc curâ, & sumptâ in ma-

in manus chartâ chorographicâ, ipſimet conſilium ex tempore
23. capientes, progreſsi ſumus ratione ſubſequenti; Equo conducti-
tio, quem vix obtinuimus, ſarcinas noſtras impoſuimus, atq; ipſi
pedites eum comitantes, in magno æſtu Viâ ſabuloſa & impedi-
Cœnæ. tâ, ſudando & anhelando usq; ad oppidum *Chaſteleraut* ægrè 7.
veſperi pervenimus. Situm eſt hoc oppidum in tractu Pictavienſi ad Viennam fluvium, vulgò Vienne, qui illud quidem dividit, ſed ponte rurſum lapideo, ex quadratis ſaxis novè conſtructo IX. arcus habente, jungitur; Celebre eſt, propter cultorum fabricam; Urceolos hic, quemadmodum & in toto confinio in coronis tectorum affigere ſolent, in quibus paſſeres nidificare poſſunt, tecta enim ſcandularia, in quibus aliâs nidos ſtruere ſolent, non ſunt frequentia in Galliâ. Adjacentem habet ſylvam valdè amœnam.

24. Bigis hic & duobus mulis conductis, Turones usq;, iter inſtitutum perſecuti ſumus.

Prandij. 240. *Port de Pisles*, pagus in tractu Pictavienſi, fluvio Viennâ ad ſiniſtram relicto. 4.

Cœnæ. 241. *S. Maure*, oppidulum in tractu Pictavienſi. *Nux juglans* in hâc provinciâ in omnibus fermè agris ad Turones usq; eſt *frequentiſſima*. 3.

25. Prandij. 242. *Montbazan*, Provinciæ Turonenſis oppidum, ad fluvium *l'Vndre* vulgò, ſitum. 4.

Cœnæ. 243. TURO, vulgari idiomate *Tours*, Provinciæ Turonenſis, vulgò *Touraine*, in Galliâ Metropolis, non modo opibus ædificiorumq; præſtantiâ, verum etiam *Ligeris* nobiliſſimi fluvij vicinitate celebris; qui in Avernorum finibus oritur, Heduosq; à Biturigibus dividit, & ab Oceano ſurſum navigabilis, varias merces humanæ Vitæ neceſſarias in hanc Civitatem invehit, ac non procul à Pictonibus in Oceanum Britannicum delabitur, vulgò *Loire*. Mercaturâ, ſerico & lanificio claret; cumq; rerum multarum opulentiſſima ſit habita, tum vel maximè ob incredibilem Regionis amœnitatem, & ob placidiſſimam aëris benigni conſtitutionē, totius *Galliæ hortus & pomarium* vocatur. Agrum 3.

etenim fertilem habet atq; jucundum, varijs herbarum & lætissimarum arborum generibus perornatum, qui non tantum ea, quæ hominum brutorumq; usui, sed ea, quæ delicatulis satisfaciunt ex se largissimè fundit. Huius fundationem Britannorum Chronica Trojanis asscribunt.

ArchiEpiscopalis in ea sedes XI. Suffraganeos habet; in quâ complures Antistites doctrinâ ac sanctitate præstantes vixêre; inter quos *S. Martinus* unicum Ecclesiasticorum decus, lumen atq; exemplar fuit, quemadmodum Severus Sulpitius tribus de eo libris testatur; Celebris quoq; pietatis fuit alter eiusdem Urbis Antistes Perpetuus.

S. Martinus Episcopus Turonensis.

Perpetuus Turonensiũ Episcopus.

Duo olim in hoc oppido fuerunt habitu *Concilia*; I. *Oecumenicum* sub Alexandro III. Roman. Pontifice, qui Fridericum Barbarossam Imperatorem excommunicavit; II. *Provinciale*, in quo tempore Papæ Nicolai Berengarij de Cœnâ Domini error damnatus est, ut traditur in cap. Ego Berengarius 42. de consecratione distinct. 2. Catalogo Testium veritatis Tom. 2.

Fridericus Barbarossa excommunicatus.

Berengary error damnatus.

Templa sunt hic primaria 1. *Cathedrale* D. Martino sacrum in cuius honorem quoq; ex quadrato lapide extructum & quatuor turribus inclusum est, ad quod magnâ cum devotione, certis anni temporibus, magnus est hominum concursus. Fama est, posteros Pharamondi Regis, si vel de pace vel matrimonio certi quid tractare & statuere vellent, ad D. huius tumulum & reliquias, quæ tamen in proximis bellis civilibus, ab Hugonotis crematæ esse feruntur id confecisse & obsignasse.

II. *S. Gratiani*, vulgò au S. Gartiain, cui duæ turres adjunctæ cum eleganti horologio.

III. *S. Saturnini* templum cum una turri, quæ cæteris formâ & pulchritudine planè correspondet; Vnde pleriq; existimant à multitudine turrium huic oppido nomen esse datum.

Porrò Ligeri, cui paulò infra oppidum, *Cher* fluviolus se conjungit, hic pons lapideus impositus est, arcuum XIIX. exiguæ tamen latitudinis.

Hinc

26. Hinc nave conducta Ligeri adverso, commodè usi sumus, & ad utramq; ripam magno numero vidimus ædiculas, in ipsas rupes litorales incisas & excavatas, ac undiq; vitibus quasi coopertas.

244. AMBACIUM seu *Ambasium*, oppidum Galliæ in Turonensi Provincia, quod Ligeris amnis alluit; propter summam loci amœnitatem, est Francorum Regum Basilica, præsidijs munitiss. vulgò *Amboise*, educationi & disciplinæ Iuventutis Regiæ plærunq; destinata, Gregor. Turonensis lib. 10. cap. 31.

Pons hic supra Ligerim est *XIV. arcuum* cum molis aliquibus.

27. 245. *Mare* pagus in Turonensi provinciâ. 9.

Cœnæ. 246. *Chaumont*. q. d. Calvus mons, arx à dextris conspecta.

247. *Escue*, pagus à sinistrâ relictus.

Prandij. 248. *Suru* pagus. 4.

Cœnæ. 249. BLOESÆ, vulgò *Bloys*, elegans Galliæ & celeberrimi nominis oppidum, cum propter vetustatem, tum quod augustiss. multorum Principum & Illustrium virorum procreatrix fuerit. Ligeris fluminis ripam situ partim collibus in æquali partim plano exornant; quà de caussâ plærisq; in locis deambulandi quandam difficultatem præbet, quam tamen incommoditatem gratiss. soli, aërisq; felicitas, non mitigat modò sed & infinitis parasangis superat. Tanta siquidem ex suaviss. aëris temperamento, huius loci, omnium & judicio & experientiâ, salubritas nascitur, ut permulti summæ dignitatis homines, in eo sibi tutioris & diuturnioris vitæ gratiâ domicilia deligant. 4.

Agrum habet tam amœnum, vitibus pulcherrimis, omni frumentorum genere, fructiferisq; arboribus Luxuriantem, ut nulli in universâ Galliâ uberrimo tritici, ac præstantiss. vini proventu cedat. Est etenim locus universus, ob miram elegantiam, spectatu jucundissimus, in quo nihil eorum desideres, quæ vel necessitas, vel ultra eam voluptas requirat. Ea est amœnitas, & aquarum dulcissimorumq; fontium, hoc situ erumpentium, rivulorum item sinuosis flexibus gratissimo murmure delaben-

tium, ut maxima hic aëris oriatur salubritas, quem permollem & placidissimum universa hæc regio habet, adeò quidem, ut magnifici potentesq; homines, sanitatis amissæ recuperandæ gratiâ, huc ex Medicorum consilio, sese recipiant. Quare *Regum Ducumq; filij*, hâc in Urbe & Ambasij, ut plurimum *educantur*, & ipsi etiam Galliæ Reges in eâ potissimum resident, unde Civitas Regia vulgò cognominatur. Et quanquam tanta sit Urbis, agriq; vinici venustas, non est tamen Urbs ipsa veterum historicorum monumentis celebrata, qui de ijs potissimum gentibus & Civitatibus scripserunt, quæ ipsis armorum præsidijs restiterunt, quas aut obsidione cingere aut expugnare cogebantur. In ipsâ porrò Civitate castrum in rupe, eleganti situ, & ab oppido separatum conspicitur, sedem Regi præbens, unde prospectus est suavissimus, cum in ipsam Urbem, tum in agrum vicinum amœnum atq; compascuum. *Duæ* hic *magnificæ* sunt *Ecclesiæ*; Altera in ipso Castro S. Salvatori dicata, & à comitibus & qui his successerunt Regibus, amplissimis dotata reditibus; Altera D. Iacobo sacra. *Duæ* item *Abbatiæ*; Altera S. Lomerij Anno Salutis 927. à Rudolpho Burgundione, Galliæ Rege dotata & constructa; Altera, Nostre Dame de Bourgmoyne, vulgò dicitur. Sunt insuper passim in hoc oppido *Aquaductus varij*, qui effossis magno spatio intimis terræ visceribus, structisq; opere lateritio fornicibus, magno quoq; fastu visendos se præbent, idq; tanto spatio & altitudine, ut tribus equitibus junctis facilè transitum concedant. Cives porrò & incolæ, suavi quadam & politicâ sympathiâ, cum miti aëris clementiâ agriq; bonitate conveniunt. Iungitur huic Urbi per pontem lapideum *oppidulum* quoddam, *Vienne* vulgò dictum. In ponte leguntur hæc;

Utilitati publicæ bellorum Civilium injuriâ collapsum, magnâ ex parte, seu potius dirutum pontem, Henr. III. Rex opt. instaurari ac restitui voluit, Anno M. D. LXXXIV. Philip. Hualt. Chevennio Provinciæ Munus Proregis gerente.

Propè hunc pontem est *fons* limpidissimæ & frigidissimæ

aquæ,

aquæ, *ex octo fistulis ebulliens*, aspectu jucundo. Anno Christi 1588. regnante Henrico III. Galliarum Rege in arce sive Castro Blœsensi, de quo supra facta est mentio, duo Guisij, Dux & Cardinalis, fratres, miserè periêre.

Notandum præterea est hic, quod in Blœsensis oppidi agro, *terra sigillata* effoditur, quæ hactenus in solà insulâ Lemno inveniebatur eiusdem planè conditionis & naturæ, cuius est Lemniaca ab Eruditissimo Viro, & rerum abstrusarum summo admiratore D. Francisco Guerino primum observata & inventa, unde non immeritò vel à loco Blœsiaca, vel ab Inventore *Guerinensis* vocatur, quo perpetua tanti beneficij, apud posteros perseveret memoria. Theat. Urbium.

28. 250. *Bogensi* Galliæ oppidum in dextrâ Ligeris ripâ, Pons hic est lapideus XXII. arcuum.

251. *Meun*, Galliæ oppidum in dextrâ Ligeris ripâ, nobis adverso flumine ascendentibus à sinistrâ conspicuum.

29. Cœnæ. 252. *La Capelle sainct Momeing* pagus. 16.

Prandij. 253. AURELIA, vel ut alij *Aurelianum*, vulgò *Orleans* Civitas est, omnium Galliæ Celticæ nobilissima, quondam *Genabum* dicta, ad fluvium Ligerim sita Qui eam condiderit certò affirmari non potest. A multis creditum est, ab Aureliano Imperatore fundatam esse, atq; inde nomen sortitam, sed cum constet, eam multò antè, quam Aurelianus esset, extitisse Genabi nomine, fieri non potest, ut ab eo fundata sit, Genabum verò de quo Cæsar meminit Comentariorum suorum de bello Gall. lib. 7. ipsam Aureliam esse, cum ex ipsâ Cæsaris & Strabonis lib. 6. eius descriptione, colligi facilè, tùm ex Aimonis historiâ, & aliorum scriptis apertè demonstrari potest. Quapropter *Franciscus Belleforestius*, in novâ suâ Galliæ descriptione, ait, verisimile videri ab Aureliano Imperatore, ei nomen inditum, qui vel auxerit eam, vel Genabenses, Aurelianenses à se vocari voluerit, quod apud eos per Druydes, de imperio suo prædictum fuerit. Ligeris fluvius totâ Galliâ nobilissimus hanc præterlabens magnam illi commoditatem ad mercaturam faciendam 1.

præ-

præstat; Vnde non sine caussâ etiam olim unicum quasi Carnutum forum fuit. Agrum circumquaq; fertilissimum habet omniumq; rerum abundantissimum, ut non minus pro horreo totius Galliæ habeatur, quàm quondam Sicilia Romæ. *Vina* eius territorium præstat *nobilissima*, quæ inde & in Galliæ, & in alias Europæ partes, magnâ copiâ exportantur, nomen ab Urbe consecuta, Vin d' orleans vulgò, Quapropter mirum non est, Cives ei magno numero opulentissimos & ditissimos esse, cum & merces naturæ benignitate habeant, & ad eas aliò exportari curandas, egregiam commoditatem. Loco est paulò editiore ædificata, eâ maximè parte, qua Lutetiam Parisiorum respicit, atq; unde se Templum S Crucis, quod olim fuit omniũ magnificentissimum, non ita pridem per sectarios dirutum ostentat. Aëre gaudet puro atq; salubri. Peropportunus certè & maximè idoneus Universitati locus, quæ isthic, inter cæteras Galliæ Academias clarissima Anno Christi M. CCC. XII à Philippo pulchro Galliæ Rege erecta est, Iurisprudentiæ imprimis alumna & conservatrix. Nam cum *Philippus Rex* in animo haberet, hoc loco, totius Provinciæ summo Senatui, sedem figere, qui etiamnum isthic est, necessitatem postulare facilè judicavit, esse oportere, unde veluti ex Equo Troiano, prudentes ad Ius populo dicendum atq; administrandum, rem omni mortalium societati, uti maximè necessariam, ita digniss. evocari haberiq; possent; quam ad rem nihil erat Academiâ tali commodatius, Linguâ hic utuntur vernaculâ adeò purâ ut Gallis Aurelianismum esse adfirment, quod Græcis quondam fuit Atticismus. Quare profectò multæ sunt caussæ, cur externi homines huc frequentes confluunt. Alij enim mercandi causa, alij studendi, alij linguæ addiscendæ gratiâ, multi proculdubio, utramq; ob caussam, ut videlicet & studia prosequantur & linguam simul purè discant. Vnde Germanis inprimis moris est, huc filios suos domo paternâ ablegare, qui multis hìc gaudent privilegijs; Proprium enim habent Procuratorem, cuius dignitas trimestris est, Coram eo componuntur omnes controversiæ inter Germanos

ortæ;

ortæ; Pertinet ad ipsum inspectio Bibliothecæ & Ærarij Nationis, item inscriptio novè advenientium, qui semper honorarij aliquid hoc nomine pendere solent, in Bibliothecæ auctionem & alios Nationi necessarios usus. Ex ista Bibliothecâ cuilibet Germano, libros, quamdiu commoratur, utendos mutuo sumere licet. Habet *Natio Germanica* vexillum, in quo Aquila Sacri Romani Imperij insigne, depicta est, quo singulis ferè annis, festum Collegij celebrans, & ordine militari incedens uti, & peractâ hâc soleuni pompa ac Missâ in Templo auditâ convivia agitare solet.

Qua ratione inde ab origine Aurelia gubernata sit, cum nemo scriptorum quod sciam posteritati mandârit, non est facilè dictu; Colligere tamen licet, ad Leges Druydum ab initio sub indigena Principe istic Remp. administratam; Postea Romanis rerum potitis eorum imperio, uti præscriptum fuit, haud dubiè paruisse; Iis inde vel ejectis, vel conventione factâ, in Italiam reversis, tandem ad Regni titulum evecta est, eo scilicet tempore, quo Clodoici filij Galliam inter se partirentur, *primusq; Rex* eius *Clodomirus* fuit; Hoc & prole suâ mortuis, *Clotarius* in Regno successit, qui idem etiã Galliæ universæ Monarchiam fratribus omnib⁹ absq; prole extinctis adeptus est. Posteà Galliæ Coronæ restituta, ab eâ usq; ad imperij Valesiorum initium, non est divulsa. *Ioannes* enim *Valesius Rex*, ut erat à Philippo patre jussus, eam Ducatus titulo ac perpetuo quasi Regni feudo, cum omni ditione ei adhærente, fratri Philippo, tum Comiti Valesio, contulit; Vnde deinceps Ducatus titulum retinuit. Eo iterum sine masculâ prole An. Christi M.CCC.XCI. Vitâ defuncto, secundò ad Gallicum Regnum redijt; Nec enim in huiusmodi feudum, præter mares, quisquam succedit, non magis quam in ipsum Galliæ Regnum. Postremo *Carolus*, eius nominis *Quintus*, Galliæ Rex, qui *sapiens* cognominatus fuit, perpetuâ lege sanxisse videtur, ut semper Aurelianensis Ducatus, Galliarum Regis filio secundogenito, quemadmodum primogenito Delphinatus cedat. Quondam ab Attilâ, qui se DEI

K flagel-

flagellum appellabat, obsessa legitur, verùm strenuâ civium defensione repulsum, irrito conatu referre pedem oportuisse.

Ædificia habet Aurelia privatorum elegantia, *cœnacula* in ijs munda, stramineis stragulis vestita; *Plateas* amplas & nitidas, parvis quadratis lapidibus constratas.

Ligeri fluvio, pons lapideus hic est impositus satis latus, in quo visu dignissimum est monumentum memorabilis obsidionis eius, quâ Carolo VI. ejus nominis Galliæ Rege, Anno Christi 1428. Aurelia ab Anglis cincta fuit, & miraculosè ab *Ioannâ Lotharingâ Virgine* belli Duce liberata, vulgò La pucelle d' Orleans; in cuius honorem & rei præclaræ gestæ perpetuam memoriam, octavo die Maij, quotannis, totus Urbis Magistratus, universa plebs, & omnes Ecclesiasticorum ordines, generali processione gratulabundi civitatem obire consuevêre, & hoc trophæum ex solido ære erexêre; *Virgo* calcaribus cincta, tota armata, crinibus passis & genibus flexis culcitræ impositis *conspicitur*; Cui ex adverso Carolus est Rex Galliæ cataphractus in genua quoq; procumbens; In harum statuarum medio est *imago Christi* Crucifixi, cum effigie *Mariæ Virginis*, eum vulneratum & sepulturæ jam destinatum in gremio gerentis.

Ligeris amnis licet ubiq; ferè, tamen hic potissimum, maximâ molendinorum sive molarum navalium abundat copiâ.

Episcopum quoq; Aurelia habet peculiarem, quem de suo nomine Aurelianensem nuncupat.

Augusti. Aurelia conductitijs equis digressi fluvium, Olivet vulgò,
1. qui se Ligeri hic jungit, ponte transivimus.

Prandij. 254. *Montereau* pagus, abundat hic tractus, qui *Solloigne* vulgò dicitur, pecoribus & sylvis, vino verò caret. 5.

Cœnæ. 255. *Pierrefitte*, pagus ad fluvium Sudre. 5.

2. Prandij. 256. *Neufuoij* pagus. Hinc magna fuit transeunda sylva, vulgò Alloignij dicta. 6.

Cœnæ. 257. BITURIGES, vulgò *Bourges*, Galliæ Aquitanicæ oppidum nobilissimum quondam ab Eurà flumine Avaricum appellatum, totius Ducatus Bituricensis Metropolis, Archiepiscopatu 6.

patu insignis: Situm est in agro plano & amœno, ac non modò omnium ferè frumentorum atq; leguminum, verum eitam vinorum præstantissimorum, pecorum, piscium fluviatilium, Volucrumq; & quorumvis penè fructuum, victui humano accommodatorum feracissimo. A quo primò conditum sit, non satis constat, tametsi sint, qui Græcis eius originem attribuant. Veteris Urbis situs, quæ *Avaricum* olim nominata fuit, ad paludes vergit, cuius etiamnum muri propemodum integri, hinc inde extant; Extenduntur à turri, quam ab insolitâ crassitudine magnam vocârunt, vulgò *la grosse tour*, per medium D. Stephani templum & plateam D. Ioannis campestris portamq; Gordianam usq; ad portam novam, olim S. Andreæ dictam, inde per plateam Amphitheatri, vulgò *des arenes*, nuncupatam, ad portam Turonensem usq;; hinc porrecto ambitu versus portam D. Pauli paulatim magnam turrim repetunt. Porrò hoc oppidum posteà aliquoties auctum est, *Carolus Magnus* XXIII. Francorum Rex, & Romanorum Imperator, cuius Regni initium incidit in Annum à Nato Christo D. CC. LXXIX. idem amplificatum novis muris cinxit, à portâ videlicet Borboniâ, anguloq; ArchiEpiscopalis Curiæ, usq; ad eam, quam *Carolettam*, Gallico diminutivo, ex Caroli nomine facto, denominârunt; inde continuato muro, qui adhuc dum videri potest, ad ingressum usq; in Urbem *Eura* minoris fluvij, qui unum est ex tribus Euræ fluminis brachijs, vulgò quoq; Gallico diminutivo *Eurette* vel *Aurette* vocati, mœnibus inclusit, totum S. Fulgensij suburbium, item magnam illam plateam, quam vulgò, d' Auron vocant, aliamq; vulgari nomine Montcheurij dictam, quâ ad Abbatiam S. Sulpitij iter est, usq; ad Clementiam turrim, unde porrò ad exitum eiusdem Euræ minoris, eadem mœnia pertigisse, adhuc dum videri potest. Necesse verò fuit ad hunc mœnium ambitum constituendum, multis fossis aggeribusq; paludum, aquas à consueto cursu detorquere, quò flumen Arionium, vernaculè, d' Auron dictum, quod Urbis mœnia ab occasu lambit, isthuc allaberetur. Eâ enim ratione studuit firmiorem

14. anæ. 231. *Marene* portum appulimus, ubi copiosè Dracones & Aselli marini capiuntur; Dracones isti valde venenatum habent aculeum, quo icti, ac si venenum lethale hausissent, mori coguntur. 4.

15. randij. & anæ. 232. Equis conductitijs usi sumus usq; ad pagum *Chastein*. Hic *Astacum*, sive gammarum marinum duos pedes longum comedimus, qui patinam haud exiguam, solâ carne replebat integram, vulgò *l' escreviſſe de la Mer*. Est & aliud genus cancrorum marinorum, qui sub lapidibus latere solent, quos Galli chancres, nos Meerspinnen appellamus. 1. Astacus siveGammarus marinus.

Porrò sunt in hoc tractu plurimæ *Salinæ*, in quibus sal hâc ferè ratione conficitur: Fiunt foveæ quadrangulares, pedum trium altitudine, in quas per aquæductus aquæ marinæ, quantum sat est, immittitur, quæ sic inclusa per sex aut septem dies insolari & inde sal confici solet; De Salinis in Italiâ circa Cerviam oppidulum, vide infra. Salinæ in Santonibus.

Postquam hic integrum diem commorati essemus, ventum nacti secundiorem, tertiâ vice Rupellam versus, noctu navem conscendimus, usi Nauclero gnaro & gnavo, qui nos intra spatium septem horarum, ad portum Rupellensem ferè deduxit, quem tamen propter ventum contrarium diu ingredi nequivimus, sed obliquato cursu, per quatuor horas & ultrà hinc inde fluctuavimus, donec tandum aurâ flante prosperiore, & divinâ adiuti gratiâ, salvi & incolumes cum refluxu maris appulimus. 16.

randij. & anæ. 233. RUPELLA, vulgò *Rochelle*, in Santonibus oppidum, Maris Vicinitate nobile, quod pleriq; Ptolomæo Santonium fuisse existimant, quasi solum totius Santoniæ Provinciæ Portus, magnâ opportunitate conspicuus, asylum & *propugnaculum*, viribus humanis *inexpugnabile* existat. Altero latere Mari, altero paludibus & uliginosis locis, tertio muris, fossis, & turribus, ad hostiles insultus propulsandos, idoneis, firmum. Admirabile sanè ac mirum, quanto robore ac fortitudine præstet, quàm validis sit munitionibus vallisq; firmatum, quam commoda 12.

moda loci, situsq; ratio, pro dignitate expendi diciq; satis non potest. Nam præter reliquam eius fœlicitatem, ipsum Mare pulchrè collatum est juxta oppidum, illiq; sinum mirum in modum commodum facit, & tranquillam portus protectionem navigantibus exhibet; Adeò quidem, ut etsi pleræq; in Gallia inveniantur Urbes magnitudine celebriores, paucæ tamen imò nullæ situræ sunt, situs, munitionum, & propugnaculorum robore præstantiores. A Galliæ Regibus excitatum videtur hoc oppidum, vel ob commodam portus conditionem, vel, ut eorum hinc frangerentur furores, qui pyraticam in Mari exercebant. Vnde magnificis Regum Privilegijs & immunitatibus, præ cæteris Galliæ Urbibus & oppidis ornatum est; Etenim Civibus ea data est facultas, ut ex suorum ordine Maiorem atq; scabinos deligant, qui eo modo Politiæ præsint, ut nullam unquam Gubernationem externam, nulla militaria præsidia, imò ne castrum quidem ad sui defensionem aut tutelam admittant, præter unicam illam turrim, quæ armorum custodiæ destinatur. Alijs insuper gaudet Privilegijs, rei maritimæ permultum indulgentibus, quibus à Carolo Galliarum Rege eius Nominis V. Anno partæ salutis, M. CCC. LXII. auctum fuit; Cum nimirum Rupellani effrenatam Anglorum evitantes Tyrannidem, pulso eorum ac profligato præsidio, Præfectis etiam contumeliosè ejectis, Regi suo se submiserunt, certis pactis & conditionibus, quibus tantam Privilegiorum immunitatem sunt consecuti.

Circa Annum Christi M. D. LXXII. & LXXIII. Rupella, Religionis caussâ, à Caroli IX. Galliarum Regis fratre Andegavensium Duce, per IX. menses obsessa & graviter oppugnata est, sed cum fortissimè se defenderent oppidani, tandem pace factâ Privilegia & immunitates suas, salvas & integras retinuerunt.

Templa sunt hic aliquot, sed nunquam ferè aperta; Conciones enim & Religionis Ceremoniæ Ecclesiasticæ, in ædibus privatorum, ad hanc rem deputatis haberi consueverunt: Pla-

teæ

teæ & angiportus oppidi omnium sordium genere adeò inquinati, & fœtentes, ut vix ullo in alio Galliæ loco.

Forum piscarium piscibus marinis, sallamentis & cochleis est refertissimum.

In solo sita est Rupella valdè salebrosa, ita ut multi existiment, à rupibus ei nomen esse inditum.

Ad introitum Portus oppidani duæ turres sunt fortissimæ quarum una ab alterâ navis unius onerariæ duxtaxat latitudine distat, ita ut hostes copiâ navali instructi propius accedere nequeant.

Molæ alatæ sive pnevmaticæ, in hâc provinciâ sunt frequentes, Hydromylæ verò seu aquaticæ raræ, ob aquæ fluviatilis penuriam; Invenerunt tamen Rupellani modum, quo aquâ marinâ ad farinam pinsendam commodè utantur. Extructa habent prope Molas, ex saxis quadratis, diverticula, seu receptacula quædam satis ampla, in quæ, quoties Mare reciprocat, quod interdiu unâ vice, noctu alterâ, quotidiè contingere solet, ianuis patefactis, aquam marinam immittunt, ac posteà decrescente Mari Molis impendunt, & ita naturæ beneficium artis adminiculo dextrè juvant.

Ex opposito Rupellæ, *duæ* conspiciuntur *Insulæ*, quarum altera, Regis Insula, vulgo *l'Isle du Roy*, appellatur, quæ vini ferax est, altera vulgò *Oleron*, Uliarus Plinio, lib. 4. Natural. hist. cap. 19.

Equis conductitijs Rupellâ discessimus.

19. 234. *La Nivoyre* pagus, *al Neufoire.* 5.

Prandij. Cœnæ. 235. *Nyortt*, Galliæ oppidulum in tractu Pictaviensi. 5.

20. 236. *S. Maixant*, sive *Maxene* Galliæ oppidulum in tractu 4.
Prandij. Pictaviensi. Hic ante portam, murum ex lapidibus tam apposite struere & lapides conjungere juxta regulam vidimus, ac si Calx fuisset adhibita, quæ tamen non aderat.

Cœnæ. 237. *Lusignan* oppidulum Galliæ in tractu Pictaviensi, hic onte diversorium propè erat fons salientis aquæ limpidissimus. 4.

21. 238. PICTAVIS sive *Pictavia*, Ptolomæo *Augustoritum*, 4.
Prandij. vulgò

vulgò *Poictiers*, Pictavorum seu Pictonũ Metropolis, summam antiquitatis laudem meretur. Sunt qui Agathirsis atq; Gelonis filiorum Herculis successoribus (qui Picti à Poëtis vocantur) eius fundationem, attribuunt; Hi etenim ob concitatas seditiones domesticas patriâ pulsi in Angliam devenerunt, inde numero & multitudine aucti, novis quærendis sedibus, in Galliam traiecêre, ubi à suo nomine Pictones populos, hanc quoq; Civitatem condidisse feruntur. Aliter alij scribunt, cum ex Pomponio Melâ & Plinio constet multò ante quàm hi ex Angliâ venerint, Pictonum extitisse memoriam. Alluit hanc Clanius fluvius, vulgò *Clain*, qui ex propinquo stagno promanat, & in Viennam delabitur. Episcopatus eam commendabilem reddit, cui maximâ cum laude præfuit *D. Hilarius*, doctrinâ ac pietate singulari Antistes, qui Arianæ factioni invictum se Antagonistam opposuit, ac præclaros illos & nunquam intermorituros, de S. Trinitate libros XII. magno tùm ingenio tùm eloquentiâ conscripsit. D. Hilarius Episcopus Pictaviensis.

Vniversitatem etiam Pictavia habet, in quâ non solummodò humaniores disciplinæ, sed etiam Iurisprudentiæ studia vigent. Cui Sebast. Münst. lib. 2. suæ Cosmograph. cap. 49. secundum ab Academiâ Parisiensi locum attribuit.

Templa sunt hic *duo primaria*; alterum D. Petro Apostolo sacrum, cui domus Episcopi adjuncta; alterum ad S. Mariam, quod priore vetustius esse, statua Constantini Imperatoris lapidea coronata, equo insidens atq; gladium in manu gerens, cum hac inscriptione docet.

Quam Constantino Pietas erexerat olim. 340.
Ast hostis rabies straverat Effigiem. 1562.
Restituit Veteres cupiens imitarier huius
Vidus Eques Templi Cœnobiarcha pius. 1592.

Ad templum *Monternu* vulgò, pyramis conspicitur sexangularis, in summitate concava.

Episcopus huius loci ArchiEpiscopo Tolosano subest.

Sunt in hac Provinciâ Pictaviensi, 1200. *Diœceses*, aut potius

tius Paroeciæ, sub tribus Episcopatibus, Pictaviensi nempe, Lucionij, & Maillezris, ut vulgò sonant.

Præterea Pictavis omnium Galliæ Urbium post Lutetiam, quò ad ambitum amplissima censetur, licet magnâ ex parte, pratis, agris, & hortis referta, ac non admodum populosa nunc sit, ut olim, forsitan ob recentiores Religionis causâ excitatas turbas, & Civium dissensiones, in quibus etiam D. Hilarii manuscripta, thesauri loco hic recondita, mutilata atq; corrupta esse dicuntur.

Antiquitatem huius satis testantur, *Theatrum*, vulgò Arenas, Palatium Galieni & *Aquaductuum fornices*, quæ supersunt, Imperii Romanorum in hoc loco vestigia, quamvis ante horum adventum, alibi oppidi huius aream fuisse ex Ammoinij & Adonis scriptis quis suspicari posit; Hi enim loci veteris Pictavi dicti meminêre, in quo, inter Carolomannum & Pipinum Reges Francorum Regnum divisum fuisse narrant.

Ad dextram Portæ, *S. Ladre* vulgò dictam, vestigia Arcis ab Oppidanis dirutæ conspiciuntur, ex quibus tres adhuc turres, murorum munitioni inservientes supersunt.

Porrò Provincia Pictaviensis hodiè in Inferiorem & superiorem dividitur; Inferiorem appellant, quæ versus occasum in Oceanum Aquitanicum desinit; Superiorem quæ orientem respicit, ad Turones usq; & Bituriges.

Tellus est frugum, pecorisq; fertilissima vino, frumentoq; dives, & piscium abundans. Sed *avium* & *ferarum* inprimis hic *ingens* est *copia*, eoq; venatio & aucupium frequens. Epit. Theatri. Ortel. in descript. Pictaviæ.

Antequam Pictaviâ discederemus, ab hospite & Gallis convivis, qui eodem diversorio, tum fortè utebantur, consilium de ulteriori profectione instituendâ expetivimus; Ibi quot capita, tot sententiæ. Res ea admodum mira nobis est visa, præsertim cum nobiscum reputaremus, nobis peregrinis multò fore difficilius statuere eâ de re, de quâ ne quidem inter incolas, & ijs in locis natos conveniret; sepositâ tamẽ hâc curâ, & sumptâ

in ma-

in manus chartâ chorographicâ, ipsimet consilium ex tempore
23. capientes, progressi sumus ratione subsequenti; Equo conducti-
tio, quem vix obtinuimus, sarcinas nostras imposuimus, atq; ipsi
pedites eum comitantes, in magno æstu Viâ sabulosâ & impedi-
Cœnæ. tâ, sudando & anhelando usq; ad oppidum *Chastelcraut* ægrè 7.
vesperi pervenimus. Situm est hoc oppidum in tractu Picta-
viensi ad Viennam fluvium, vulgò Vienne, qui illud quidem di-
vidit, sed ponte rursum lapideo, ex quadratis saxis novè constru-
cto IX. arcus habente, jungitur; Celebre est, propter cultorum
fabricam; Urceolos hic, quemadmodum & in toto confinio
in coronis tectorum affigere solent, in quibus passeres nidifica-
re possunt, tecta enim scandularia, in quibus aliàs nidos struerę
solent, non sunt frequentia in Galliâ. Adjacentem habet sylvam
valdè amœnam.

24. Bigis hic & duobus mulis conductis, Turones usq;, iter
institutum persecuti sumus.

Prandij. 240. *Port de Pisles*, pagus in tractu Pictaviensi, fluvio Viennâ 4.
ad sinistram relicto.

Cœnæ. 241. *S. Maure*, oppidulum in tractu Pictaviensi. *Nux juglans* 3.
in hâc provinciâ in omnibus fermè agris ad Turones usq; est
frequentissima.

25. 242. *Montbazan*, Provinciæ Turonensis oppidum, ad fluvi- 4.
Prandij. um *l'Vndre* vulgò, situm.

Cœnæ. 243. TURŌ, vulgari idiomate *Tours*, Provinciæ Turonensis, 3.
vulgò *Touraine*, in Galliâ Metropolis, non modo opibus ædifi-
ciorumq; præstantiâ, verum etiam *Ligeris* nobilissimi fluvij vi-
cinitate celebris; qui in Avernorum finibus oritur, Heduosq;
â Biturigibus dividit, & ab Oceano sursum navigabilis, varias
merces humanæ Vitæ necessarias in hanc Civitatem invehit, ac
non procul â Pictonibus in Oceanum Britannicum delabitur,
vulgò *Loire.* Mercaturâ, serico & lanificio claret; cumq; rerum
multarum opulentissima sit habita, tum vel maximè ob incredi-
bilem Regionis amœnitatem, & ob placidissimam aëris benigni
constitutionē, totius *Galliæ hortus* & *pomarium* vocatur. Agrum

etenim fertilem habet atq; jucundum, varijs herbarum & lætissimarum arborum generibus perornatum, qui non tantum ea, quæ hominum brutorumq; usui, sed ea, quæ delicatulis satisfaciunt ex se largissimè fundit. Huius fundationem Britannorum Chronica Trojanis asscribunt.

ArchiEpiscopalis in ea sedes XI. Suffraganeos habet; in quâ complures Antistites doctrinâ ac sanctitate præstantes vixêre; inter quos *S. Martinus* unicum Ecclesiasticorum decus, lumen atq; exemplar fuit, quemadmodum Severus Sulpitius tribus de eo libris testatur; Celebris quoq; pietatis fuit alter eiusdem Urbis Antistes Perpetuus.

S. Martinus Episcopus Turonensis.

Duo olim in hoc oppido fuerunt habitu *Concilia*; I. *Oecumenicum* sub Alexandro III. Roman. Pontifice, qui Fridericum Barbarossam Imperatorem excommunicavit; II. *Provinciale*, in quo tempore Papæ Nicolai Berengarij de Cœnâ Domini error damnatus est, ut traditur in cap. Ego Berengarius 42. de consecratione distinct. 2. Catalogo Testium veritatis Tom. 2.

Perpetuus Turonensiũ Episcopus.

Fridericus Barbarossa excommunicatus.

Templa sunt hic primaria 1. *Cathedrale* D. Martino sacrum in cuius honorem quoq; ex quadrato lapide extructum & quatuor turribus inclusum est, ad quod magnâ cum devotione, certis anni temporibus, magnus est hominum concursus. Fama est, posteros Pharamondi Regis, si vel de pace vel matrimonio certi quid tractare & statuere vellent, ad D. huius tumulum & reliquias, quæ tamen in proximis bellis civilibus, ab Hugonotis crematæ esse feruntur id confecisse & obsignasse.

Berengary error damnatus.

II. *S. Gratiani*, vulgò au S. Gartiain, cui duæ turres adjunctæ cum eleganti horologio.

III. *S. Saturnini* templum cum una turri, quæ cæteris formâ & pulchritudine planè correspondet; Vnde pleriq; existimant à multitudine turrium huic oppido nomen esse datum.

Porrò Ligeri, cui paulò infra oppidum, *Cher* fluviolus se conjungit, hic pons lapideus impositus est, arcuum XIIX. exiguæ tamen latitudinis.

Hinc

26. Hinc nave conducta Ligeri adverso, commodè usi sumus, & ad utramq; ripam magno numero vidimus ædiculas, in ipsas rupes litorales incisas & excavatas, ac undiq; vitibus quasi coopertas.

244. AMBACIUM seu *Ambasium*, oppidum Galliæ in Turonensi Provinciâ, quod Ligeris amnis alluit; propter summam loci amœnitatem, est Francorum Regum Basilica, præsidijs munitiss. vulgò *Amboise*, educationi & disciplinæ Iuventutis Regiæ plærunq; destinata, Gregor. Turonensis lib. 10. cap. 31.

Pons hic supra Ligerim est *XIV. arcuum* cum molis aliquibus.

27. 245. *Mare* pagus in Turonensi provinciâ. 9.

Cœnæ. 246. *Chaumont*. q. d. Calvus mons, arx à dextris conspecta.

247. *Escue*, pagus à sinistrâ relictus.

Prandij. 248. *Suru* pagus. 4.

Cœnæ. 249. BLOESÆ, vulgò *Bloys*, elegans Galliæ & celeberrimi nominis oppidum, cum propter vetustatem, tum quod augustiss. multorum Principum & Illustrium virorum procreatrix fuerit. 4.
Ligeris fluminis ripam situ partim collibus inæquali partim plano exornant; quà de causâ plærisq; in locis deambulandi quandam difficultatem præbet, quam tamen incommoditatem gratiss. soli, aërisq; felicitas, non mitigat modò sed & infinitis parasangis superat. Tanta siquidem ex suaviss. aëris temperamento, huius loci, omnium & judicio & experientiâ, salubritas nascitur, ut permulti summæ dignitatis homines, in eo sibi tutioris & diuturnioris vitæ gratiâ domicilia deligant.

Agrum habet tam amœnum, vitibus pulcherrimis, omni frumentorum genere, fructiferisq; arboribus Luxuriantem, ut nulli in universâ Galliâ uberrimo tritici, ac præstantiss. vini proventu cedat. Est etenim locus universus, ob miram elegantiam, spectatu jucundissimus, in quo nihil eorum desideres, quæ vel necessitas, vel ultra eam voluptas requirat. Ea est amœnitas, & aquarum dulcissimorumq; fontium, hoc situ erumpentium, rivulorum item sinuosis flexibus gratissimo murmure delaben-

tium, ut maxima hic aëris oriatur salubritas, quem permollem & placidissimum universa hæc regio habet, adeò quidem, ut magnifici potentesq; homines, sanitatis amissæ recuperandæ gratiâ, huc ex Medicorum consilio, sese recipiant. Quare *Regum Ducumq; filij*, hâc in Urbe & Ambasij, ut plurimum *educantur*, & ipsi etiam Galliæ Reges in eâ potissimum resident, unde Civitas Regia vulgò cognominatur. Et quanquam tanta sit Urbis, agriq; vinici venustas, non est tamen Urbs ipsa veterum historicorum monumentis celebrata, qui de ijs potissimum gentibus & Civitatibus scripserunt, quæ ipsis armorum præsidijs restiterunt, quas aut obsidione cingere aut expugnare cogebantur. In ipsâ porrò Civitate castrum in rupe, eleganti situ, & ab oppido separatum conspicitur, sedem Regi præbens, unde prospectus est suavissimus, cum in ipsam Urbem, tum in agrum vicinum amœnum atq; compascuum. *Duæ* hìc *magnificæ* sunt *Ecclesiæ*; Altera in ipso Castro S. Salvatori dicata, & à comitibus & qui his successerunt Regibus, amplissimis dotata reditibus; Altera D. Iacobo sacra. *Duæ* item *Abbatiæ*; Altera S. Lomerij Anno Salutis 927. à Rudolpho Burgundione, Galliæ Rege dotata & constructa; Altera, Nostre Dame de Bourgmoyne, vulgò dicitur. Sunt insuper passim in hoc oppido *Aquaductus varij*, qui effossis magno spatio intimis terræ visceribus, structisq; opere lateritio fornicibus, magno quoq; fastu visendos se præbent, idq; tanto spatio & altitudine, ut tribus equitibus junctis facilè transitum concedant. Cives porrò & incolæ, suavi quadam & politicâ sympathiâ, cum miti aëris clementiâ agriq; bonitate conveniunt. Iungitur huic Urbi per pontem lapideum *oppidulum* quoddam, *Vienne* vulgò dictum. In ponte leguntur hæc;

Utilitati publicæ bellorum Civilium injuriâ collapsum, magnâ ex parte, seu potius dirutum pontem, Henr. III. Rex opt. instaurari ac restitui voluit, Anno M. D. LXXXIV. Philip. Huralt. Chevennio Provinciæ Munus Proregis gerente.

Propè hunc pontem est *fons* limpidissimæ & frigidissimæ

aquæ,

aquæ, *ex octo fistulis ebulliens*, aspectu jucundo. Anno Christi 1588. regnante Henrico III. Galliarum Rege in arce sive Castro Blœsensi, de quo supra facta est mentio, duo Guisij, Dux & Cardinalis, fratres, miserè periêre.

Notandum præterea est hic, quod in Blœsensis oppidi agro, *terra sigillata* effoditur, quæ hactenus in solâ insulâ Lemno inveniebatur eiusdem planè conditionis & naturæ, cuius est Lemniaca ab Eruditissimo Viro, & rerum abstrusarum summo admiratore D. Francisco Guerino primum observata & inventa, unde non immeritò vel à loco Blœsiaca, vel ab Inventore *Guerinensis* vocatur, quo perpetua tanti beneficij, apud posteros perseveret memoria. Theat. Urbium.

28. 250. *Bogensi* Galliæ oppidum in dextrâ Ligeris ripâ, Pons hic est lapideus XXII. arcuum.

251. *Meun*, Galliæ oppidum in dextrâ Ligeris ripâ, nobis adverso flumine ascendentibus à sinistrâ conspicuum.

29. Cœnæ. 252. *La Capelle sainct Momeing* pagus. 16.

Prandij. 253. AURELIA, vel ut alij *Aurelianum*, vulgò *Orleans* Civitas est, omnium Galliæ Celticæ nobilissima, quondam *Genabum* dicta, ad fluvium Ligerim sita Qui eam condiderit certò affirmari non potest. A multis creditum est, ab Aureliano Imperatore fundatam esse, atq; inde nomen sortitam, sed cum constet, eam multò antè, quam Aurelianus esset, extitisse Genabi nomine, fieri non potest, ut ab eo fundata sit, Genabum verò de quo Cæsar meminit Comentariorum suorum de bello Gall. lib. 7. ipsam Aureliam esse, cum ex ipsâ Cæsaris & Strabonis lib. 6. eius descriptione, colligi facilè, tùm ex Aimonis historiâ, & aliorum scriptis apertè demonstrari potest. Quapropter *Franciscus Belleforestius*, in novâ suâ Galliæ descriptione, ait, verisimile videri ab Aureliano Imperatore, ei nomen inditum, qui vel auxerit eam, vel Genabenses, Aurelianenses à se vocari voluerit, quod apud eos per Druydes, de imperio suo prædictum fuerit. Ligeris fluvius totâ Galliâ nobilissimus hanc præterlabens magnam illi commoditatem ad mercaturam faciendam præ-

præſtat; Vnde non ſine cauſsâ etiam olim unicum quaſi Carnutum forum fuit. Agrum circumquaq; fertiliſſimum habet omniumq; rerum abundantiſſimum, ut non minus pro horreo totius Galliæ habeatur, quàm quondam Sicilia Romæ. *Vina* eius territorium præſtat *nobiliſſima*, quæ inde & in Galliæ, & in alias Europæ partes, magnâ copiâ exportantur, nomen ab Urbe conſecuta, Vin d' orleans vulgò, Quapropter mirum non eſt, Cives ei magno numero opulentiſſimos & ditiſſimos eſſe, cum & merces naturæ benignitate habeant, & ad eas aliò exportari curandas, egregiam commoditatem. Loco eſt paulò editiore ædificata, eâ maximè parte, qua Lutetiam Pariſiorum reſpicit, atq; unde ſe Templum S Crucis, quod olim fuit omniũ magnificentiſſimum, non ita pridem per ſectarios dirutum oſtentat. Aëre gaudet puro atq; ſalubri. Peropportunus certè & maximè idoneus Univerſitati locus, quæ iſthic, inter cæteras Galliæ Academias clariſſima Anno Chriſti M. CCC. XII à Philippo pulchro Galliæ Rege erecta eſt, Iurisprudentiæ imprimis alumna & conſervatrix. Nam cum *Philippus Rex* in animo haberet, hoc loco, totius Provinciæ ſummo Senatui, ſedem figere, qui etiamnum iſthic eſt, neceſſitatem poſtulare facilè judicavit, eſſe oportere, unde veluti ex Equo Troiano, prudentes ad Ius populo dicendum atq; adminiſtrandum, rem omni mortalium ſocietati, uti maximè neceſſariam, ita dignis. evocari haberiq; poſſent; quam ad rem nihil erat Academiâ tali commodatius, Linguâ hic utuntur vernaculâ adeò purâ ut Gallis Aurelianiſmum eſſe adfirment, quod Græcis quondam fuit Atticiſmus. Quare profectò multæ ſunt cauſæ, cur externi homines huc frequentes confluunt. Alij enim mercandi cauſa, alij ſtudendi, alij linguæ addiſcendæ gratiâ, multi proculdubio, utramq; ob cauſam, ut videlicet & ſtudia proſequantur & linguam ſimul purè diſcant. Vnde Germanis inprimis moris eſt, huc filios ſuos domo paternâ ablegare, qui multis hìc gaudent privilegijs; Proprium enim habent Procuratorem, cuius dignitas trimeſtris eſt. Coram eo componuntur omnes controverſiæ inter Germanos

ortæ;

ortæ; Pertinet ad ipsum inspectio Bibliothecæ & Ærarij Nationis, item inscriptio novè advenientium, qui semper honorarij aliquid hoc nomine pendere solent, in Bibliothecæ auctionem & alios Nationi necessarios usus. Ex ista Bibliothecâ cuilibet Germano, libros, quamdiu commoratur, utendos mutuo sumere licet. Habet *Natio Germanica* vexillum, in quo Aquila Sacri Romani Imperij insigne, depicta est, quo singulis ferè annis, festum Collegij celebrans, & ordine militari incedens uti, & peractâ hâc solenni pompa ac Missâ in Templo auditâ convivia agitare solet.

Qua ratione inde ab origine Aurelia gubernata sit, cum nemo scriptorum quod sciam posteritati mandârit, non est facilè dictu; Colligere tamen licet, ad Leges Druydum ab initio sub indigenâ Principe istic Remp. administratam; Postea Romanis rerum potitis eorum imperio, uti præscriptum fuit, haud dubiè paruisse; Iis inde vel ejectis, vel conventione factâ, in Italiam reversis, tandem ad Regni titulum evecta est, eo scilicet tempore, quo Clodoici filij Galliam inter se partirentur, *primusq; Rex* eius *Clodomirus* fuit; Hoc & prole suâ mortuis, *Clotarius* in Regno successit, qui idem etiã Galliæ universæ Monarchiam fratribus omnib⁹ absq; prole extinctis adeptus est. Posteà Galliæ Coronæ restituta, ab eâ usq; ad imperij Valesiorum initium, non est divulsa. *Ioannes* enim *Valesius Rex*, ut erat à Philippo patre jussus, eam Ducatus titulo ac perpetuò quasi Regni feudo, cum omni ditione ei adhærente, fratri Philippo, tum Comiti Valesio, contulit; Vnde deinceps Ducatus titulum retinuit. Eo iterum sine masculâ prole An. Christi M.CCC.XCI. Vitâ defuncto, secundò ad Gallicum Regnum redijt; Nec enim in huiusmodi feudum, præter mares, quisquam succedit, non magis quam in ipsum Galliæ Regnum. Postremo *Carolus*, eius nominis *Quintus*, Galliæ Rex, qui *sapiens* cognominatus fuit, perpetuâ lege sanxisse videtur, ut semper Aurelianensis Ducatus, Galliarum Regis filio secundogenito, quemadmodum primogenito Delphinatus cedat. Quondam ab Attilâ, qui se DEI

K flagel-

flagellum appellabat, obſeſſa legitur, verùm ſtrenuâ civium defenſione repulſum, irrito conatu referre pedem oportuiſſe.

Ædificia habet Aurelia privatorum elegantia, *cœnacula* in ijs munda, ſtramineis ſtragulis veſtita; *Plateas* amplas & nitidas, parvis quadratis lapidibus conſtratas.

Ligeri fluvio, pons lapideus hic eſt impoſitus ſatis latus, in quo viſu digniſſimum eſt monumentum memorabilis obſidionis eius, quâ Carolo VI. ejus nominis Galliæ Rege, Anno Chriſti 1428. Aurelia ab Anglis cincta fuit, & miraculoſè ab *Ioannâ Lotharingâ Virgine* belli Duce liberata, vulgò La pucelle d' Orleans; in cuius honorem & rei præclaræ geſtæ perpetuam memoriam, octavo die Maij, quotannis, totus Urbis Magiſtratus, univerſa plebs, & omnes Eccleſiaſticorum ordines, generali proceſſione gratulabundi civitatem obire conſuevêre, & hoc trophæum ex ſolido ære erexêre; *Virgo* calcaribus cincta, tota armata, crinibus paſſis & genibus flexis culcitræ impoſitis *conſpicitur*; Cui ex adverſo Carolus eſt Rex Galliæ cataphractus in genua quoq; procumbens; In harum ſtatuarum medio eſt *imago Chriſti* Crucifixi, cum effigie *Mariæ Virginis*, eum vulneratum & ſepulturæ jam deſtinatum in gremio gerentis.

Ligeris amnis licet ubiq; ferè, tamen hic potiſſimum, maximâ molendinorum ſive molarum navalium abundat copiâ.

Epiſcopum quoq; Aurelia habet peculiarem, quem de ſuo nomine Aurelianenſem nuncupat.

Auguſti. 1. Aurelia conductitijs equis digreſſi fluvium, Olivet vulgò, qui ſe Ligeri hic jungit, ponte tranſivimus.

Prandij. 254. *Montereau* pagus, abundat hic tractus, qui *Solloigne* vulgò dicitur, pecoribus & ſylvis, vino verò caret. 5.

Cœnæ. 255. *Pierrefitte*, pagus ad fluvium Sudre. 5.

2. Prandij. 256. *Neufuoij* pagus. Hinc magna fuit tranſeunda ſylva, vulgò Alloiguij dicta. 6.

Cœnæ. 257. BITURIGES, vulgò *Bourges*, Galliæ Aquitanicæ oppidum nobiliſſimum quondam ab Eurâ flumine Avaricum appellatum, totius Ducatus Bit[illegible]cenſis Metropolis, Archiepiſcopatu 6.

patu

patu insignis: Situm est in agro plano & amœno, ac non modò omnium ferè frumentorum atq; leguminum, verum eitam vinorum præstantissimorum, pecorum, piscium fluviatilium, Volucrumq; & quorumvis penè fructuum, victui humano accommodatorum feracissimo. A quo primò conditum sit, non satis constat, tametsi sint, qui Græcis eius originem attribuant. Veteris Urbis situs, quæ *Avaricum* olim nominata fuit, ad paludes vergit, cuius etiamnum muri propemodum integri, hinc inde extant; Extenduntur à turri, quam ab insolitâ crassitudine magnam vocârunt, vulgò *la grosse tour*, per medium D. Stephani templum & plateam D. Ioannis campestris portamq; Gordianam usq; ad portam novam, olim S. Andreæ dictam, inde per plateam Amphitheatri, vulgò *des arenes*, nuncupatam, ad portam Turonensem usq;; hinc porrecto ambitu versus portam D. Pauli paulatim magnam turrim repetunt. Porrò hoc oppidum posteà aliquoties auctum est, *Carolus Magnus* XXIII. Francorum Rex, & Romanorum Imperator, cuius Regni initium incidit in Annum à Nato Christo D. CC. LXXIX. idem amplificatum novis muris cinxit, à portâ videlicet Borboniâ, anguloq; ArchiEpiscopalis Curiæ, usq; ad eam, quam *Carolettam*, Gallico diminutivo, ex Caroli nomine facto, denominârunt; inde continuato muro, qui adhuc dum videri potest, ad ingressum usq; in Urbem *Euræ* minoris fluvij, qui unum est ex tribus Euræ fluminis brachijs, vulgò quoq; Gallico diminutivo *Eurette* vel *Aurette* vocati, mœnibus inclusit, totum S. Fulgensij suburbium, item magnam illam plateam, quam vulgò, d' Auron vocant, aliamq; vulgari nomine Montcheurij dictam, quâ ad Abbatiam S. Sulpitij iter est, usq; ad Clementiam turrim, unde porrò ad exitum eiusdem Euræ minoris, eadem mœnia pertigisse, adhuc dum videri potest. Necesse verò fuit ad hunc mœnium ambitum constituendum, multis fossis aggeribusq; paludum, aquas à consueto cursu detorquere, quo flumen Arionium, vernaculè, d' Auron dictum, quod Urbis mœnia ab occasu lambit, isthuc allaberetur. Eâ enim ratione studuit firmiorem

hostibusq; accessu difficiliorem reddere. Posteà muris etiam inclusa sunt Suburbia D. Ambrosij, ac D. Laurentij, item quicquid est inter Clementiam turrim quæ proximè à Portâ S. Sulpitij abest, & portam Carolettam, partim communi civium, partim Abbatis cuiusdam D. Ambrosij sumptu, adeò ut hæc Urbs, nostro ævo, una sit ex maximis Galliæ Civitatibus, munitissima & ferè inexpugnabilis, quod undiq; fluminibus & paludibus, quæ, aquâ ex terrâ copiosè scaturiente perpetuò abundant, siccariq; non possunt, circumsepta sit: Quapropter etiam unâ tantum parte adiri potest, eâ videlicet quâ *Euronotum* excipit, unde etiam hostis ei, non facilè metum incusserit, quia istic & muris validissimis, & altissimis aggeribus, obvallata est, latissimè inde prospectu patente, Ab hac enim parte, magna turris est, unde ad quatuor usq; milliaria circumspici potest, ab insolitâ magnitudine, ut supra dictum est, nomen adepta, alijs undiq; minoribus turribus, 80. numero cincta, & muro fossâq; profundissimâ, quæ solidis ab utraq; parte muris, terræ objectis distinetur, etiam circumdata, Id quod Philippus Augustus, secundus eo nomine, & XLI. Galliæ Rex, Anno ferè à Nato Christo 1190. fieri curavit, quo eam quoq; anteà accessu facilimam, quippe in plano constitutam, neq; fossâ neq; aggere munitam faceret firmiorem. *Septem* habet *portas* præter minores hinc inde ad necessitatem factas; *septem* item *Suburbia*, proximè portis adjuncta. Si quis est forte de hoste metus, quatuor tantum portæ aperiri solent, *Borbonia* nempe, *S. Privatij*, *S. Sulpitij*, & *Aronia*. Porrò *septem* sunt hic *Collegiata*, quas vocant, *Ecclesiæ*, *septemdecim Parochiæ*, *quatuor mendicantium ordines*, *duæ Virorum Abbatiæ*; altera S. Sulpitij olim, Nostre dame de la nef, appellata, ordines D. Benedicti, opulenta & prædives, in Suburbio Montcheurij sita jam ab eâ mutuato nomine S. Sulpitij dicta, aquâ tota fere cincta, probè munita, murisq; undiq; clausa, quos intra varios habet hortos diversissimarum arborum herbarum ac quorumvis fructuum abundantiss. item peropportuna vivaria, quibus ex Eurâ fluvio Abbatiam ipsam præterlabente, aquâ,

aquâ, quantâ opus est, subministrari potest; In his Monachi tantum possunt piscium alere, quantum ipsis, quibus ex Regulâ, non nisi piscibus vesci licet, ad victum sufficit; Altera est D. Ambrosij, ordinis S. Augustini, intra ipsos Urbis muros, in loco peramœno sita, intus etiã Vivaria & Viridaria sua cultissima habens, nemini non aspectu jucundissima, & ipsa profectò amplissimis redditibus, liberalissimè dotata; Sunt hic porro *tres fœminini sexus Abbatiæ*; quarum una, quæ vulgò Nunciade dicta, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, olim ab Illustrissimâ Ioannâ Biturigum Ducissâ constructa ac dotata est; Altera D. Laurentij, à Carolo Magno instituta, utriq; harum sunt amplissimi redditus; Tertia est sororum mendicantium D. Claræ, ordinis Fratrum minorum. A Portâ S. Privati, versus Septentrionem longè lateq; sese vineta ostentant optimi vini feracissima. Mercatura hic imprimis pannaria viget, ob lanæ nobilioris abundantiam. Quinquies aut sexies bello expugnata, tota diruta est, toties & jam incendio absumpta, nihilominus tamen hoc nostro tempore, insigni ædificiorum magnificentiâ satis superbit, eâ plurimarum domorum commoditate, atq; amplitudine, ut Heroibus convenire magis quam civibus dicas.

Cæterum Biturigum Metropolis, antiquitus multa privilegia atq; immunitates, item monetæ percutiendæ jus habuit, tum videlicet, cum per Indigenas administraretur, universæq; Regioni imperaret, posteaq; Principum permissu, in quorum potestatem vel variante rerum vicissitudine, vel successione hæreditatis, devenit, retinuit, hactenusq; etiam retinet. Omnium vero maximè hanc Urbem illustrat celeberrima & nobilissima, quæ istic est, Academia; Ea primò quidem parvis ab initijs hic cepta, sæpius interrupta fuit, item deleta; Sed tandem à Carolo Principe, filio & fratre Regis, Biturigum Duce, instaurata est, & Auctoritate Pauli II. Pontificis Maximi, non modò comprobata, sed amplius etiam omnibus facultatibus aucta, à quo tempore ita à doctissimis Viris exculta & continuata est, ut nunc meritò literarum decus & domicilium quoddam literatissimo-

rum, totâ Europâ, Virorum dici poſſit. Verùm ante omnia floret hic *Iurisprudentiæ ſtudium*, adeò ut eo ſeiè cæteras Academias ſuperet; Eius quoniam hic, & fuere ſemper, & jam adhuc ſunt celeberrimi omnium, totâ Europâ, Profeſſores; huc diſcendi cauſsâ certatim ex omnibus undiq; Nationibus Adoleſcentes confluunt. Patrum & noſtrâ memoriâ claruere hic Servatius *Ferdinandus Portugallenſis*, Andreas *Alciatus* Mediolanenſis, *Eguinarius* Baro, qui hic etiam ſepultus eſt, Petrus Loriorus, Franciſcus *Duarenus* Antonius *Contius*, Iacobus *Cujacius*, qui unâ cum Contio & Duareno, in templo S. Petri Gilliard, vulgò nominato, hic quoq; ſepultus eſt nullis additis Elogijs ſive Epitaphijs, niſi quod ſtudioſus quidam Germanus, Carmen in honorem Dn. Cuiacij Præceptoris, conſcriptum ibi parieti affixerit, cuius reliquiæ vix adhuc apparent, Franciſcus item *Balduinus*, Hugo *Donellus*, Claudius *Ronſardus* indigena, Petrus *Rebuffus* Præſes & Rector Univerſitatis, omnes *Iurisprudentiæ Profeſſores*.

Templum hic primarium, cuius ſuperius quoq; facta eſt mentio D. Stephano ſacrum, una cum duabus turribus adjunctis ſumptuoſiſsimè extructum eſt, in cuius Sacello D. Stephani caput, auro argento & gemmis ornatum, & ſumma cum veneratione aſſervatum conſpicitur. Eſt deinde hìc ſacellum Regium vulgò *la chapelle du Roy*, in quo videntur reliquiæ Crucis cuiusdam Gigantis; neq; procul inde abeſt ſculptura Cervi, quem nos dahnhirſch appellamus, extra oppidum capti, ingentis magnitudinis. Huic ſacello contiguum eſt opus Palatij Regij magnificentiſſimè extrui cepti, ſed non abſoluti.

Magiſtratus in hoc oppido talis eſt; Primum omnium locum, ſummamq; auctoritatem habet Prætor, cuius eſt, adhibitis Maiore & Scabinis Urbis, de omnibus, tàm publicis quàm privatis cauſsis cognoſcere & decidere; Id primitus erat Maioris & Senatus, qui jam tantum retinent civilium & criminalium cognitionem. Prætura illa non in Cives ſolum, ſed in Vniverſum Civitatis territorium ſeſe extendit.

Secun-

Secundum locum obtinet Biturigum Nomarcha, quem vulgò *le Bailly de Berry*, vocant, eiusve Vicarius in summo Bituricensi tribunali. Ad hunc devolvuntur omnes Appellationes, tùm à Prætore Urbano, tum ab omnibus Magistratibus circùm vicinis, item eæ caussæ, quæ Regem concernunt, ut de læsâ Majestate &c. Prætereà hic sedem habet Præfectura totius Ducatus, quam *Siege præsidial*, vocant vernaculè.

Porrò silentio præterire hic non possum vetustissimi Grammatici, de hoc oppido versum, qui talis est;

Turribus à binis inde vocor Bituris.

Vnde plærisq; persuasum est, à duabus turribus huic Urbi nomen esse inditum, quarum una adhuc fortissima in angulo oppidi posita conspicitur, *la grosse tour*, ut supra quoq; dictum, vulgò appellata, & à Iulio Cæsare, quemadmodum putant Incolæ, ædificata, quæ hodiè validissimæ arcis sive propugnaculi instar est; In hâc visu digna est *Balista valdè longa*, quâ antiqui ad lapidum & jaculorum missilium ejaculationes in Urbium obsidionibus aliquandò usi sunt; Item Carcer ex ligno & ferro Caveæ instar fabricatus, in quo Ludovicus XII. Dux Aurelianensis eò quod Caroli VIII. Galliæ Regis Sororem in uxorem ducere noliet, inclusus, ac postea ad Regnum, mirabili metamorphosi inde evocatus est.

Sphæristeria sunt hic *duo*, pilæ exercitio destinata, pellucida & ampla.

4. Prandij. 258. *Sainct Caulss.* q. d. S. Celsi pagus latinè. Inter hunc pagum & oppidum Sancerre, est quidam colliculus, terræ rubræ, ex quo, ut in hoc tractu altissimo videri possunt oppida Bourges, Nevers, & Sancerre cum circumjacentibus pagis. 5.

Cœnæ. 259. SACRUM CÆSARIS, vel *Sacrum Cereris*, Galliæ Celticæ oppidum, vulgò *Sancerre* in monte celsissimo, undiq; vitibus consito, & nobilissimum vinum gignente, non procul à Ligeri fluvio situm, naturâ loci Castrum inexpugnabile esse videtur. Caroli IX. Galliarum Regis tempore, tam diu reformatæ Religionis caussâ obsidionem sustinuit, donec fame tandem ad 5.

dedi-

deditionem cogeretur, quæ tanta fuit, ut obsessi non solummodò Canes, feles, mures, talpas, coria, pelles, pergamenas chartas, sive membranas, capistra, antilenasq; equorum comederint; Verum eò etiam deventum est, ut hortulanus quidam unà cum Uxore, propriæ suæ filiæ mactatæ caput, ilia, & cerebrum devoraverit, qui tamen propter hoc horrendum facinus, postea capitali supplicio affectus est.

Prandij. 260. *Chastillon sur Loyre*, oppidulum Galliæ Celticæ. Antequam huc ventum esset Castanetum, spaciosum satis & longum, erat prius transeundum. 7.

Cœnæ. 261. *Genabum*, vulgò *Gijen*, oppidum Galliæ elegans, ad Ligerim fluvium, unà cum ponte lapideo. In foro Crux hic conspicitur deaurata pyramidi imposita. 3.

6. Prandij. 262. *Chasteau neuf*. q. d. Latinè, Castrum novum, arx cum pago. 10.

263. *Gergeau*, Galliæ oppidum, à sinistrà conspectum.

Cœnæ. *Aurelia*, de qua vide supra pag. 69. cum seqq. Hinc equis conductitijs discessimus. 7.

8. Prandij. 264. *Maladerie*, Latinè Nosocomium sive valetudinarium, pagus in Bœotia Galliæ, vulgò Beausse, quæ Regio plana absq; sylvis ferè est frumenti feracissima unde non immeritò à quibusdam horreum Parisiorum vocatur. 8.

Cœnæ. 265. CARNUTES, populi & oppidi nomen, quod Ptolomæò Autricum, in Galliæ Bœotià situm, vulgò *chartres*, Episcopatu clarum est. 8.

Templum hic splendidissimè extructum, statuis & sculpturis internè & externè magnificè politum cernitur, adeò ut vix simile quid in Gallià reperias, D. Mariæ Virgini sacrum, & quatuor turribus inclusum est, quarum duæ in justam altitudinem exurgunt, reliquæ verò duæ, ad initia tecti templi se tantum extendunt.

9. 266. *Aumeau*, Galliæ oppidum à dextrà relictum, ad quod milites Germani, Duce Fabiano, Burggravio & Barone à Dhonà, Borusso, noctu magnam cladem à Guisio acceperunt.

Abli.

Prandij. 267. *Ably.* Galliæ oppidulum. 7.
Cœnæ. 268. CHASTRES, Galliæ oppidum, hic tum forte Viri mulieribus mixti, facibus sub crepusculum vespertinum accensis, per totum oppidum discurrentes, choreas in plateis ducebant, & festum absolutæ vindemiæ tripudiantes celebrabant. 6.

Non procul ab hoc oppido, dimidio nempe vix milliari
10. Gallico, sunt *horti, Domini de Chantelou*, totius Galliæ, uti fama percrebuit, ob exquisitam amœnitatem celeberrimi in quibus Antiquitates plurimæ, ex arborum & fruticum ramusculis formatæ, & quasi ad vivum repræsentatæ sunt, ex quarum numero, propter temporis angustiam, has saltem annotare licuit.

Horti totâ Galliâ amœnissimi & celeberrimi.

1. Ad introitum statim se offert *lucus amœnissimus*, varijs ambulacris distinctus quæ diversis exercitijs & lusibus inserviunt. Portæ est inscriptum.

Apertæ Musarum Portæ.

2. *Fortunæ effigies* cum hac inscriptione;

Fortuna Virtutis Comes.

3. *Hercules Prodicius* virtutis viam eligens in hortos amœnos ingreditur, relictâ à tergo vitiorum sylvâ, admodum spinosâ.

4. *Scamna*; Sacrat Apollo Sedilia.

5. *Judicium Paridis*; Cui oppositum est stabulum, ex quo boves unâ cum Pastoribus egrediuntur.

6. *Janus bifrons* in bivio collocatus.

7. *Tres Gratiæ*; Thalia, Aglaia & Euphrosyne.

8. *Trophæum Herculis*, ad quod ipse Hercules, post exantlatos labores, qui ibi adumbrati sunt, pronus in terrâ requiescit.

9. *Jupiter, Neptunus, & Pluto* in triangulo, his additis versiculis;

Iupiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent, tres tria, quisque suum.

10. *Copiæ Cornu.*

11. *Lectisternia* DEORUM orbiculatim collocata; Iovis, Veneris, Vulcani, Vestæ, Mercurij, Cereris, Apollinis, Dianæ, Neptuni, Minervæ, Martis, Iunonis, in quorum medio Iupiter est, qui sacrificat munera Deorum. Hortulanus, qui nobis aderat, & hæc omnia monstrabat, clavum terrâ absconditum pede calcabat, quo facto; Iupiter hinc inde se commovebat, postea tacto quodam aculeo, Vulcanus, cum suis socijs seu fabris ferrarijs incudem malleis feriebant.

12. *Hercules* clavum manu tenens, omnes secum trahit.

13. *Maris Specula*, cui addit;

Lumina noctivagæ tollit Pharos æmula linguæ.

14. *Lunæ defectus, & augmenta*, in arboribus concameratis observata.

15. *Lotis* in arborem loton conversa, & Cotijci ruina. Vide hac de re, Natal. Comit. Mytholog. lib. cap. 3. mihi pag. 198. cum seq. & lib. 5. cap. 15. mihi pag. 527. cum seq.

16. *Theatrum* cum tribus Comœdijs, hoc addito;

Comœdi tres sunt, sed amat tua Paula Luperce,
Quatuor & Cophon Paulla Prosopon amat.

17. *Satyri* & Hercules cubans.

18. *Circe* Procos suos in bestias convertens.

19. *Triclinium* cum gladiatoribus, octo signa capiens; Bichnia duorum lectorum pelvis, & alia multa, ex fruticum ramusculis effigiata.

20. *Bustum*, in quo olim corpora demortuorum comburebantur, cum imagine rogo imposita, cui hoc distichon ascriptum.

Ter circum accensos, subjectisq; ignibus atris
Decurrêre rogos, constituêre pyras.

21. *Castra Romana* cum fossis & Imperatoris tentorio; Aderant etiam arietes, quibus aliquando Romani in bellis usi sunt.

22. *Peridromus*, ubi erant, qui cursu certabant, præsentibus Judicibus.

Anis

23. *Avis in sublimi posita,* ad quam collimabatur sagittis arcubus emissis.

24. *Entellus & Dares* pugnantes, de quibus Virgil. lib. 5. Æneid.

25. *Antheus sedens* de quo Virgil. 2. Æneid. cui hoc asscriptũ; Amabit sapiens, cupient cæteri.

26. *Orci adumbratio* ex Virgilio desumta & adventus Æneæ ad Cerberum hoc addito;

Vmbrarum hic locus est, somni, noctisq; soporæ.

27. *Manlius* ad portam Capenam, ubi magnus erat lapis.

28. *Porta Numentana,* ad quam D. Volupiæ fanum fuit, qua de re Plin. lib. 2. cap 5. mihi pag. 107. cui subscriptum, In arâ Volupiæ simulachrum Angenoræ.

29. *Orator* orationem suam, ad populum recitans de Cathedrâ. cui hoc inscriptum; In Concione pecus ovilium considet. Ex opposito Imperator cum suis consiliarijs deliberat.

30. *Effigies Aulici,* cum hoc disticho;

Vana Palatinos dum educat Aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

31. *Mulierum stultitia,* quarum Principissa Moria, omnes auriculis asininis & varijs gesticulationibus repræsentatæ.

32. *Arma Romanorum* clypei, pharetræ, hastæ & alia in Castris suspensa.

33. Typus Bonitatis; & lusus digitorum, Italis usitatissimus, par & impar dictus, vulgò dell' amore, Cicero, in lib. de Divinat. Micare digitis.

34. *Circus maximus,* in quo bigis certatur, ubi Iudex vexillum album, manu tenens adest; Sunt quoq; addita templa & palatia propè adjacentia.

35. *Consus,* DEUS consilij, digito os premens, & cogitabundus quidnam dicere velit.

36. *Castor & Pollux* exclusi per Delphinum.

37. *Bacchus in cursu*, quem Elephantes trahunt, antecedentibus & subsequentibus Bacchidibus.
38. *Coniugium fratrum & sororum* ex ligno sculptum & sepi impositum.
39. *Tibicen Vapulans & coquus delinquens*, hoc adscripto; Peccat Coquus, Vapulat Tibicen; Explica.
40. *Mezentij Trophaeum*, de quo Virgil. lib. 10. Æneid.
41. *Pugna Caesaris* eleganter sculpta, cum militibus inter se pugnantibus & tormenta explodentibus, motu artificiali.
42. *Trophaeum Marij.*
43. *Triumphus Romanorum*, eo ordine observato, quem quondam in triumphis suis observarunt.
44. *Stagnum*, in quo Insula Delos.
45. *Occasio* ex fruticum ramusculis formata.
46. *Tres Sapientes*, primùm tanquam Adolescentes, & pilam tractantes efformati, quibus hoc additum.

Nos erimus his praestantiores plurimùm.

Posteà Viri effecti, strictos gladios, in manu tenentes, hoc adjuncto.


Fortes sumus nos, fac si vis periculum.

Tandem aetate confecti, & scipionibus se fulcientes, hoc ascripto;

Olim nos Iuventutem strenuam egimus.

47. *Fons aquae salientis*, quae in Vivarium parvum decurrit, hoc addito.

Ad dextram; *Aestate Refrigerium.*



Ad sinistram; *Hyeme Apricatio.*

48. *Amphitheatrum*, in quo hominum & bestiarum pugna, atq; conflictatio.

Spolia-

49. *Spoliarium,* in quod gladiatores interfecti olim projiciebantur.

50. Est ibi *fons salientis aquæ* artificiosissimè factus, *in quo globus terræ,* unà cum Mari, & insulis in eo jacentibus adumbratur, quem Sphæra Cœli cum XII. Zodiaci signis ambit.

51. *Janua,* per quam exitus patet, istud *est inscriptum*; Homini diligenti semper aliquid deest.

Hortulanorum in his hortis septem vivunt, qui omnia sarta tectaq; conservant, & peregrè eo venientes, quorum Veris præsertim & Autumni tempore, maximus solet esse concursus circumducunt, unde non exiguum quæstum faciunt.

Prandij. 269. *Linas,* Galliæ oppidulum. 5.

Cœnæ. 270. LUTETIA *Parisiorum vulgò Paris*, fertilissimi Regni Francici caput atq; Metropolis, magnitudine incredibili Nobilium, Mercatorum, Civium & studiosorum frequentia, ædificiorum & publicorum & privatorum splendore, non modò universæ Galliæ, sed maximis etiam totius Europæ Civitatibus anteferenda, *à Paride,* qui à Iaphet, filio Noë successive *descendit,* & XIIX. Celticæ Galliæ Rex, historiarum monumentis declaratûr, primùm fundata, à quo & nomen sortita fuit. Posteaquàm verò plateæ lapidum pavimento, stratæ non essent, has autem ingens multitudo hominum contereret, *ob* incredibilem *luti copiam,* quà etiamnum hodie non caret, *Lutetia* denominata dicitur; Alij tamen ab albedine murorum, quam λευκοτίαν Græci Lutetiam vocari existimant. Eam Iulius Cæsar usq; adeò ædificijs auxit, tamq; fortiter mœnibus cinxit, ut Iulij Civitas à Boëtio, lib. de discipl. schol. vocetur. Celeberrimam hanc Civitatem *Sequana,* duplici amne dividens, tripartitam constituit, quarum prior Universitas, altera Civitas, tertia Urbs nominatur, Illam, Austrum & occidentem versus in editiore loco sitam, vulgò, *l' Vniversite,* Carolus Magnus, Alcuini Præceptoris sui instinctu, Anno Christi 796. ex Romanà fundavit, permultis prærogativis, privilegijs & immunitatibus splendidissimè exornavit; 5.

Universitas Parisiensis.

navit; Quæ Musarum, disciplinarumq; liberalium, & humanitatis, quasi domicilium, fons & origo omnium scientiarum mater & seminarium doctissimorum Virorum semper fuit. Quatuor verò firmissimis columnis innititur; Theologiæ, Medicinæ, Iuris & Artium facultatibus, quarum priores Decanum, & Pedellos binos, sive ostiarios habent; Postrema autem Magnificum Dn. Rectorem, tertio quoq; mense, circa festum Nativitatis Christi, Annuntiationis Mariæ, S. Ioannis Baptistæ, & D. Dionysij eligit, cui facultates omnes reliquæ, tanquam supremo Capiti, parent. In hâc Vniversitate quatuor hominum Nationibus, singulares designantur Patroni, Franciæ, Picardiæ, Normandiæ, atq; Germaniæ cui Natio Scotica, Anglicana, Hybernica, Danica, & Svetica jungitur. *Vniversitas*, rei sacræ dicatas ædes *continet* XVII. *Monasteria* XIV. *Xenodochia* IV. *Sacella* III. *Collegia publica* XX. *Privata*; (quæ amplissimorum hominum fundationibus; certis quibusdam Musarum cultoribus, victus & studiorum necessaria elargiuntur) XXX. Portas habet septem. I. *Porta D. Victoris*, Suburbium cum Cœnobio amplissimo, per magnam plateam S. Victoris, ad cuius dextrum latus, versus Sequanam est, Turris Nella superior, Sequana imminens, Collegium Cardinalis, S. Remigij fanum, Collegium bonorum puerorum, S. Nicolai Cardonneti, Bernardinorum Collegium atq; templum, Domus Lotharinga, Area Maubertina, D. Blasij, D. Iuliani pauperis, Scholæ quatuor Nationum magnæ, Forum piscarium fluviatilium, Castellum cum ponte Parvo; Sinistram latus plateas habet transversales multas, usq; ad Crucem.

II. *Porta D. Marcelli*, cuius Suburbium habet, S. Marcelli S. Hippolyti, Minoritas, Hospitale S. Medardi, S. Medardi fanum. Intrans & per montem S. Genovefæ descendens ad Mauberti aream, à dextrâ habet Collegium Turnonium, Collegium Alemannorum, Collegium Navarræum, Collegium Marchicum, Collegium Laudunense; A sinistrâ D. Stephani templum, D. Genovefæ Cœnobium, in quo sepultus jacet Clodovæus Rex,

cuius

cuis ſepulchrum altum eſt duorum pedum, effigie ipſius impoſita hac inſcriptione:

HIC EST ILLUSTRISSIMUS REX LUDOVICUS, Qui & Clodovæus, ante baptiſmum eſt dictus, Francorum Rex Quintus, ſed verus Chriſtianus, qui ab Anaſtaſio Imperatore, conſul & Auguſtus eſt creatus. Hunc S. Remigius baptiſavit, & in baptiſmate eius, angelus ampullam ſacri chryſmatis detulit. Hic ex Aquitania Arianos expulit, ac totam illam terram, usq; ad montes Pyreneos ſubjugavit. Huic per Viennam fluvium cervus miræ magnitudinis viam oſtendit; Poſtquam Rex & milites vadum tranſiverunt, & in eius adventu muri Angeliſmæ Civitatis corruerunt. Alemanniam, Toringiam, & Burgundiam tributarias fecit terram adjacentem Sequanæ, & Ligeri acquiſivit: Pariſijs ſedem Regni conſtituit, Eccleſiam iſtam fuudavit in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, monitis S. Clotildis uxoris ſuæ, & Beatæ Genovefæ, quam Beatus Remigius dedicavit, in qua poſt laudabilia opera Rex ſepultus eſt à quatuor filijs ſuis Regibus, Theodorico, Clodomere, Childeberto, & Clotario, Anno Domini D. XIII. Regni ſui XXX. I ſub ipſius tumulo eſt Reginæ Clotildis ſepultura quæ mortua eſt anno D. XXXXVII. & ipſius filiæ, quæ fuit uxor Almarici Regis Gotthorum, & duo filij Clodomiri Regis Aureliacenſis, quos Clotarius ipſorum patruus, propria manu interfecit Macellum D. Genovefæ, Domum Albertiam, Collegium Lombardorum, Carmelitarum Cœnobium, Collegium Prellæum, P. Rami Philoſophi acutiſſimi, & oratoris celeberrimi, Præfecturâ ac cæde nobilitatum.

Cum S. Genovefæ hic mentio fiat, hæc paucula de eâ annotare placuit; Colitur iſta Lutetiæ propè ſupra omnes alios Divos; Eius ſimulachrum nunquam, niſi duriſſimo tempore circumgeſtatur, ut potè cum expiatur ira, vel ultio divina, vel cum ſummis copijs præliandum eſt, vel cum ſterilitas aut inopia metuitur; Tunc enim ad hanc, velut ad ſupremam anchoram, & portum ſalutis unicum confugitur; Et vulgò perſuaſum eſt, fruſtrà nunquam huius auxilium implorari. Geſtatur autem à

lanijs

lanijs veteri consuetudine, qui dies aliquot ante, jeiunijs atq; precibus ad eam rem se præparant.

III. *Porta D. Iacobi.* Ante portam Suburbium, in quo sunt S. Iacobi de alto passu Monasterium & Hospitale; S. Mariæ Campestris Monasterium & Hospitale. Ingresso per plateam D. Iacobi, ad dextram primùm occurrit S. Stephani Græcorum, Collegium Lexoviense, Collegium S. Michaëlis seu Cenale Collegium montis acuti, Collegium S. Barbaræ, Collegium Remense Fortereticum Coquereticum, Cœnomanum, D. Hilarij templum, Schola Decretorum, Collegium Bellovacense, D. Ioannis Laterani, Collegium Triqueticum, Collegium Cameracense, in quo tabulæ æneæ hæc inscripta leguntur.

Lex Professoris Mathemat. ex Testamento Petri Rami.

E vectigali meo DCC. libellarum lego D. in stipendium Mathematici Professoris, qui triennio Arithmet; Music: Geomet; Optic; Mechan; Astronom; Geograph; non ad hominum opinionem, sed ad logicam veritatem, in regiâ Cathedrâ doceat.

Electionem á Professoribus Regijs sic institui volo.

Professoris examen, omnibus cuiuscunq; Nationis, Mathematum studiosis, à Collegij Regij Decano, in tertium Mensem promulgator.

Ad examen nemo, nisi Latinis Græcisq; literis & ingenuis artibus, præter Mathemat, reliquis, instructus admittitor; Trimestri promulgationis præterito, Candidati, præsentibus, aut certè rogatis, atq; invitatis Senatus Præsid; primo, primoq; Oratore Regio, Merentor; Præfecto, deinde Professoribus Regijs, omnibusq; omninò, quibus interesse libuerit, publicum examen subeunte, prælegendo septem diebus, horam unam de præcipuis singulorum Mathematum capitibus, Octavo die respondeu-

ſpondendo, & ſatisfaciendo problematis & Theorematis omnibus, quæ contra à quolibet propoſita fuerint. Ex omnibus examinatis, qui judicio Profeſſor. Regior. omniumq; Matheſeos Profeſſor. peritorum, aptiſſimus videbtur, ad Mathemat. Profeſſionem deligitor, primâq; prælectione Mathematum laudibus juventutem, ad capeſſendum laudatæ ſcientiæ ſtudium exhortator.

Triennio quoquo, novum examen conſimile eſto, ut tamen Profeſſor, qui antè fuerit, cœteris vel paribus Candidatis anteponatur.

Si quo tempore, unicus omnium Mathemat. partium peritus inveniri non poſſit, ſtipendium duobus dividitor, qui ſesqui anno deſcriptum Profeſs. æquis partibus exequantur. Præfectum Mercator; & Ædiles, in quorum cuſtodiâ Baſilica Urbis poſita eſt, oro, ut in perpetuam Pariſienſis Academ; gloriam, vectigal illud perpetuum eſſe velint, ut ſi forte redimatur pecunia, in alium reditum collocator.

D. O. M. Et M. Æt. V. C. P. Rami Gymnaſij Prælearchi Eloq. & Philoſophiæ Profeſſor Regius, Nicol. Bergeronius & Anton; Iſelus in Senatu Pariſienſi Advocati, Teſtamenti Procuratores has Profeſſionis Mathemat. leges Cœnotaphij vice poſuerunt, ex SC. VII. Iulij M. D. LXXVI.

Labor omnia vincit improbus.

Collegium Cornovallenſium, Pons parvus.

Adſiniſtram, Iacobitarum ſeu Dominicanorum Cœnobium; fuit hoc cœnobium quondam arx Dominorum de Haubefueille, in illo tot tantaq; marmorea monumenta & effiigies Regum & Principum videntur, inter quæ : Ludovici de Francia Comitis d' Euvreux, frater Philippi pulchri moritur Anno M. CCC. XIX, die Maij 19.

Cor Regis Philippi, Regis Navarræ & Comitis d' Euvreux, qui mortuus eſt in obſidione Arſegille in Regno Grenade Anno 1314. die 16. Sep. Clemence, Reginæ Franciæ, & Navarræ

uxor Regis Ludovici, filij Regis Philippi pulchri, & illa fuit filia Regis Hungariæ, moritur Anno 1323. Febr. 11. Quatuor postea monumenta Ducum Borbonior. & Beatrici de Borbonia Reginæ Bohemiæ & Comitissæ de Luxemburg, quæ fuit filia Ludovici Ducis Borbonij & Mariæ de Henoat, uxor defuncti Regis Bohemiæ Iohannis moritur anno 1383. Decemb. 25. Collegium Calvorum, Collegium Sorbonæ S. Benedicti, Cœnobium. *D. Maturini*, in hoc habentur Conventus totius universitatis Parisiensis, elegitur quoq; Rector in illo. Et nullus inter Pontificios Minister appellatur, quam hic, qui Cœnobio præest; Odiosum enim est Ministri nomen, vulgò un Ministre dicitur, propter Orthodoxos qui suos concionatores ita nominant, in illo tale Epitaphium saxo incisum legitur.

CVIIACI?

Balduinus hic jacet: hoc tecum reputa & vale: Mortuis vobis Iurisprudentiam corripiet gravis sopor. Franciscus Balduinus Iuris C. obijt anno ætatis LIII. IX. Cal. Novembr. à partu virginis M. D. LXXIII. Pappirius Massonus IC. Balduini auditor tamulum posuit. D. Iudæ, Collegium Magistri Gervasij Christiani. *S. Severini*, in quo multa egregia monumenta videntur, sed præ cæteris hoc annotavi, quod fuit in cœmeterio, Nobilis Germani ex orientali Frisia, nomine Ennon de Embda.

Collegium Plexoviense, Collegium Marmontense, parvus Pons.

IV. *Porta S. Michaëlis*, ante quam Carthusiensium Cœnobium est, omnium ditissimum, ob proventus & reditus annuos, quos post domum Urbanam Lutetiæ habet maximos. In alterâ huius Monasterij porta, Henricus III. Galliæ Rex, genibus flexis, ante D. Virginis Mariæ effigiem, cum magna Religiosorum turbâ depictus cernitur, hoc addito;

Hanc rogo, quisquis ades, non admireris Eremum,
Nec dicas, hæc sunt tecta superba nimis.
Regia sunt etenim virides fundamina Vallis,
Francorum, jecit, qua Ludovicus honos!

Rex

Rex primùm instituit; Regnum Rex auxit & auget,
Servabitq; suam tempus in omne domum.

Ingredienti per magnam plateam Citharæ; à dextris apparet Collegium Cluniacensium, Palatium Thermarum, Collegium Octodecim, Domus Haricuriæ Domus Cluniacensis, Pons D. Michaelis; à sinistrâ, Collegium Haricuriæ, Collegium Iustitiæ, Collegium Thesaurariorum, Collegium Baionium, Collegium Seense, Collegium Turonense. Pons D. Michaelis.

V. *Porta S. Germani*, ante quam Suburbium amplum; in quo S. Sulpitij, S. Patris Sacellum Forum D. Germani, Nosocomium, *D. Germani Cœnobium*, in quo multa antiqua & illustria monumenta videntur, inter quæ Childeberti Regis Franciæ & fundatoris huius Cœnobij, It. Chilperici Regis monumentum, septentrionem versus positum, statua ipsius repræsentatur, quomodo sceptrum nna manu, altera gulam teneat quasi testaretur proditionem fœminæ suæ mœcha, Fredegonde nomine, quæ & in illo ipso monasterio sepulta est, occidi enim illum curavit per suum adulterum Anno 587. M. Sept. Circa tumulum hæc verba incisa sunt:

CHILPERICUS HOC TEGITUR LAPIDE.
Sub effigie Mariæ Matris Jesum in brachijs tenentem hi versus leguntur:

Effigiem Christi dum transis semper honora,
Non tamen effigiem, sed quem designat honora.
Nam DEUS *est quod imago docet, sed non* DEUS *Ipsa,*
Hanc videas & mente colas, quod cernis in illa.

Intranti ad dextram; Minoritæ, Collegium Boissiacum, D. Cosmæ, & Damiani fanum; Ad sinistram; Domus Rothomagensis Collegium Burgundicum, Domus Remensis Collegium Mignonium, Collegium Præmonstratensium, Collegium Danivillæum.

VI. *Porta Bussia*, per plateam S. Andreæ ad dextram; Cœmeterium S. Andreæ Mechanicorum, Collegium Authumense; ad

ſiniſtram Domus Dionyſiana, Domus Niverenſis, Pons Michaelis.

VII. *Porta Nella*, ante quam Pratum clericorum. Ingreſſo, ad dextram; Domus Nella, *Auguſtinianorum Cœnobium*, in quo vera effigies eſt Philippi Cominæi, Argentonij domini, & Hiſtorici Galliæ excellentiſs. cum ſtatua uxoris ſuæ. In periſtylio huius templi videtur S. Bernhardus ſtigmatiſatus, ſtatua certè ſupra modũ egregia & viſu jucundiſſima, Collegium S. Dionyſij; ad ſiniſtram; Turris Nella Lupariæ oppoſita, Ripa Sequanæ.

Civitas Lutetiæ, vulgò *la Litè*, inter Vniverſitatem, & Urbem *media*; huic quidem tribus, I. Ponte nimirum D. Virginis rectà in plateam D. Martini ducente: II. Ponte Trapezitarum ſive Aurifabrorum medio. III. Ponte Molitorum inferiore (cuius maxima pars, Anno Chriſti 1597. nocte corruit, ubi ultra trecenti homines periêre) quo ad Caſtellum hinc in plateam Dionyſianam itur; Illi verò duobus conjungitur pontibus, I. Ponte videlicet parvo, cuius caput ſiniſtrorſum ad Caſtellum parvum, rectâ in viam D. Iacobi Academici ducit, dextrorſum ad pontem Virginis. II. Ponte D. Michaëlis; dextrâ ad D. Bartholomæum, Pontem Trapezitarum, ſive Aurifabrorum; ſiniſtrâ per plateam Citharæ in Academiam; qui pontes omnes utrinq; ædium conſtructione, non pontium ſed platearum formam referunt. In hâc Pariſiorum parte maximè notatu digna ſunt; I. *Templum Cathedrale* ſive primarium, D. Virgini ſacrum, à Philippo Auguſto (jactis multò ante fundamentis incerto Authore) Anno Chriſti 1257. ædificari ceptum, quod quidem ob formæ elegantiam, magnitudinem, & artificioſiſs. ſignorum præſtantiam, totius Galliæ miraculum habetur; Centum viginti columnis ſuſtinetur, inter quas CIIX. à ſaxo ſolido, ſed minores, XII. maximæ. Chorus in medio templi; longitudo paſſuum 174. Latitudo, 60. Altitudo, 100. Chorus lapide cinctus, hiſtorijs à veteri & novo teſtamento inſculptis, Anno Chriſti 1351. abſolutis, in ambitu habet ſacella 45. ferreis clathris munita. In fronte, tres portæ bifores, ſtatuis XXIIX. Regum inſignes. Ad latera

Civitas Pariſienſis.

latera quatuor turres seu moles verius campanariæ, altitudine 34. cubitorum. *Campana maxima Maria* dicta, XX. Viros requirit, dum pulsatur, sonitus eius sereno cœlo per septem leucas exauditur. Inserviunt huic templo, Episcopus cum Vicario; Canonici L. inter quos Rex Galliæ primus est; VI. magni Vicarij; Canonici X. S. Dionysij, de passu; VI. Canonicij, & II. Curati S. Ioannis rotundi; II Canonici & totidem Vicarij S. Agnani; XII. pueri chorales; Matutini Clerici CXL. Capellarij XLV. Sacellis ministrantes, vestibus sacris laneis tantùm induti, & barbis rasis. In hoc templo videtur quoq; D. Christophori gigantea ex saxo statua, Anno 1413. ab Antonio d' Escars Equite erecta. Est postea statua Petri Eugnerij juxta Chorum in angulo portæ per ludibrium eò posita, quam cereolis accensis urunt, propterea quod Regio nomine bona Ecclesiastica in fiscum redigere tentabat, sub Philippo Valesio.

II. *Palatium Parlamenti* Regium, opere magnifico extructum, imperio, ut plæriq; affirmant, Regis Ludovici Hutini, vel, ut nonnulli disputant, Regis Philippi Pulchri, circiter Annum Christi *M. CCXCIV.* areis, hortis, Xystis, deambulatorijs & Cameris egregijs, mirum in modum exornatum; in quo, præter alia multa visu digna, omnes Galliæ Reges, depicti conspiciuntur, quidam manibus elevatis, in regnando felices, quidam demissis, infelices. In Cameras secretiores, ubi consilia haberi solent, nemo calcaribus & gladio cincto intrare audet, nisi mulctam pecuniariam solvere velit. Crocodilus vivus, in Palatij fundamento inventus fuit, cuius exuvium hodierno quoq; die, in magna Palatij aulâ exhibetur.

Porrò Senatus Parlamenti Parisiensis, ex C. Senatoribus constat; Inter eos connumerantur XII. Pares Franciæ, ad quorum arbitrium & judicium, redit omnium rerum & consiliorum summa, & constituendi Regis, cum de successione est controversia, potestatem isti habent. Instituti sunt autem antiquitus, ut ipsorum imprimis consilio Reges uterentur, quemadmodum in Germaniâ sunt Principes Electores, dignitate & gradu

cæteris potiores. Ex ijs tres sunt Duces; Burgundus, Normannus, Guiennus, sive Aquitanicus; Comites totidem; Flandriæ, Campaniæ, Tholosæ; VI. Episcopi; Rhemensis; Laudunensis, Noviodunus, Lingonensis, Bellovacus, & Catalanus. Cæterum tametsi nulli ex priori ordine extant Pares, tamen, cum aliquid solemniter peragendum est, evocari solent alij Principes, qui sint ipsorum loco; Reliqui, quoniam sunt Ecclesiastici manent immoti. Sunt præterea II. Præfecti libellorum supplicum; *XXC.* Consiliarij. *XL.* Clerici C inter quos Episcopus Parisiensis & Abbas S. Dionysij.) totidem Laici; Duo adduntur Advocati, & Procurator Generalis Regius, purpurati omnes, sed laneâ non sericâ purpurâ. Serviunt his IV. Notarij; Scriba Civilis & criminalis, atq; Repræsentationum; Item ostiarij. Præsides togâ rubrâ, pellibus plærunq; Ermelinis suffulta sunt induti, pileo holoserico, cum spirâ aureâ tecti. Cancellarius Regis, principem locum inter togatos obtinet & eligitur vel ex Magistris supplicum libellorum, vel ex Præsidibus. Qui plura desiderat, videat Ægidium Corrozet, de Antiquitatibus Parisiens. lib. 1. cap. 15. & Franciscum Hotomannum, in Francogalliâ, de Parlamentis Iuridicia lib. cap. 21 per tot.

Ante hoc Parlamenti Palatium, Pyramis structuræ magnificæ videtur, in eum ipsum locum erecta, ubi anteà fuerunt ædes Petri Castelli, patris Ioannis Castelli parricidæ, qui Henricum IV. Galliæ ac Navarræ Regem, ausu nefando, interficere conatus fuerat.

Ad quatuor huius Pyramidis latera, in marmor nigrum, aureis literis incisa leguntur.

I. Sententia Parlamenti, de Castello parricidâ lata, vulgari idiomate Gallico.

II. Quod sacrum votumq; sit Memoriæ, Perennitati, Longævitati, Salutiq;, Maximi, fortissimi & clementissimi Principis, Henrici IV, Galliæ & Navarræ Regis Christianissimi.

Audi Viator, sive sis extraneus,
Sive Incola Vrbis, cui Paris nomen dedit;
Hic alta quæsto Pyramis, domus fui
Castella, sed quam diruendam funditus
Frequens Senatus crimen ultus censuit;
Huc me redegit tandem herilis filius,
Malis Magistris usus, & Scholâ impiâ
Sotericum, eheu nomen usurpantibus,
Incestus & mox parricida in Principem,
Qui nuper Vrbem perditam servaverat,
Et qui favente sæpè victor numine
Deflexit ictum audaculi sicarij,
Punctusq; tantum est dentium septotenus.
Abi Viator, plura me vetat loqui
Nostræ stupendum Civitatis dedecus.

In Pyramidem eandem.

Quæ trahit à puro, sua nomina, Pyramis, igne
Ardua barbaricas olim decoraverat Vrbes,
Nunc decori non est, sed criminis ara piatrix,
Omnia nam flammis pariter purgantur & undis,
Hic tamen esse pius monumentum insigne Senatus,
Principis incolumis statuit, quo sospite, casum
Nec metuet pietas, nec Res grave Publica dammum.

III. *D. O. M.*

Pro salute Henrici IV. clementissimi ac fortissimi Regis, quem nefandus parricida, perniciosæ factionis hæresi pestiferâ imbutus, quæ nuper abominandis sceleribus, pietatis nomen obtendens, unctos Domini, vivasq; Majestatis ipsius imagines occidere populariter docuit, dum confodere tentat, cœlesti numine scelestam manum inhibente, cultro in labrum superius delato, & dentium occursu feliciter retuso, violare ausus est. Ordo amplissimus, ut vel conatus tam nefarij pœnæ terror, simul

& præ-

cæteris potiores. Ex ijs tres sunt Duces; Burgundus, Normannus, Guiennus, sive Aquitanicus; Comites totidem; Flandriæ, Campaniæ, Tholosæ; VI. Episcopi; Rhemensis; Laudunensis, Noviodunus, Lingonensis, Bellovacus, & Catalanus. Cæterum tametsi nulli ex priori ordine extant Pares, tamen, cum aliquid solemniter peragendum est, evocari solent alij Principes, qui sint ipsorum loco; Reliqui, quoniam sunt Ecclesiastici manent immoti. Sunt præterea II. Præfecti libellorum supplicum; *XXC.* Consiliarij. *XL.* Clerici (inter quos Episcopus Parisiensis & Abbas S. Dionysij.) totidem Laici; Duo adduntur Advocati, & Procurator Generalis Regius, purpurati omnes, sed laneâ non sericâ purpurâ. Serviunt his IV. Notarij; Scriba Civilis & criminalis, atq; Repræsentationum; Item ostiarij. Præsides togâ rubrâ, pellibus plærunq; Ermelinis suffulta sunt induti, pileo holoserico, cum spirâ aureâ tecti. Cancellarius Regis, principem locum inter togatos obtinet & eligitur vel ex Magistris supplicum libellorum, vel ex Præsidibus. Qui plura desiderat, videat Ægidium Corrozet, de Antiquitatibus Parisiens. lib. 1. cap. 15. & Franciscum Hotomannum, in Francogalliâ, de Parlamentis Iuridicialib. cap. 21 per tot.

Ante hoc Parlamenti Palatium, Pyramis structuræ magnificæ videtur, in eum ipsum locum erecta, ubi anteà fuerunt ædes Petri Castelli, patris Ioannis Castelli parricidæ, qui Henricum IV. Galliæ ac Navarræ Regem, ausu nefando, interficere conatus fuerat.

Ad quatuor huius Pyramidis latera, in marmor nigrum, aureis literis incisa leguntur.

I. Sententia Parlamenti, de Castello parricidâ lata, vulgari idiomate Gallico.

II. Quod sacrum votumq; sit Memoriæ, Perennitati, Longævitati, Salutiq;, Maximi, fortissimi & clementissimi Principis, Henrici IV, Galliæ & Navarræ Regis Christianissimi.

Audi

Audi Viator, sive sis extraneus,
Sive Incola Urbis, cui Paris nomen dedit;
Hic alta quæsto Pyramis, domus fui
Castella, sed quam diruendam funditus
Frequens Senatus crimen ultus censuit;
Huc me redegit tandem herilis filius,
Malis Magistris usus, & Scholâ impiâ
Sotericum, eheu nomen usurpantibus,
Incestus & mox parricida in Principem,
Qui nuper Urbem perditam servaverat,
Et qui favente sæpè victor numine
Deflexit ictum audaculi sicarij,
Punctusq; tantum est dentium septotenus.
Abi Viator, plura me vetat loqui
Nostræ stupendum Civitatis dedecus.

In Pyramidem eandem.

Quæ trahit à puro, sua nomina, Pyramis, igne
Ardua barbaricas olim decoraverat Urbes,
Nunc decori non est, sed criminis ara piatrix,
Omnia nam flammis pariter purgantur & undis,
Hic tamen esse pius monumentum insigne Senatus,
Principis incolumis statuit, quo sospite, casum
Nec metuet pietas, nec Res grave Publica dammum.

III. D. O. M.

Pro salute Henrici IV. clementissimi ac fortissimi Regis, quem nefandus parricida, perniciosæ factionis hæresi pestiferâ imbutus, quæ nuper abominandis sceleribus, pietatis nomen obtendens, unctos Domini, vivasq; Majestatis ipsius imagines occidere populariter docuit, dum confodere tentat, cœlesti numine scelestam manum inhibente, cultro in labrum superius delato, & dentium occursu feliciter retuso, violare ausus est. Ordo amplissimus, ut vel conatus tam nefarij pœnæ terror, simul & præ-

& præsentissimi, in Opt. Principem ac Regnum, cuius salus, in eius Salute posita est, divini favoris apud posteros memoria extaret, monstro illo admissis equis membratim discerpto, & flammis ultricibus consumpto, Ædes etiam, unde prodierat, hic sitas, funditus evehi, & in earum locum, Salutis omnium ac gloriæ signum erigi decrevit IV. Non Ianuar. Anno Christi M. D. XCV.

Ex SC.

Heic domus, immani quondam fuit hospita monstro,
Crux ubi nunc celsum, tollit in astra caput.
Sancijt in miseros pœnam hanc, sacer ordo, Penates,
Regibus, ut scires sanctius esse nihil.

IV. D. O. M.

Sacrum.

Quum Henricus Christianiss. Francorum & Navarrorum Rex, bono Reipub. natus, inter cætera victoriarum exempla quibus tàm de Tyrannide Hispanicâ, quam de eius factione priscam Regni huius Majestatem, justis ultus est armis, etiam, hanc Urbem & reliquas Regni huius penè omnes recepisset; ac deniq; felicitate eius, intestinorum Franciæ nominis hostium, furorem provocante, Ioannes, Petri F. Castellus, ab illis submissus, sacrum Regis caput, cultro petere ausus esset, præsentiore temeritate, quam feliciore sceleris successu. Ob eam rem, ex amplissimo Ordinis Consulto, vindicato perduellione, dirutâ Petri Castelli domo, in quâ Ioannes cuius F. inexpiabile nefas designatum, Patri communicaverat, in areâ æquatâ, hoc perenne monumentum erectum est, in memoriam eius diei in quo seculi felicitas, inter vota & motus Urbis, liberatorem Regni, fundatoremq; publicæ quietis, à temeratoris infando incepto, Regni autem huius opes adtritas, ab extremo interitu vindicavit, pulso prætereâ totâ Galliâ hominum genere novæ ac maleficæ superstitionis, qui Rempub. turbabant, quorum instinctu piacularis adolescens dirum facinus instituerat.

S.P.Q.P.

S. P. Q. P.

Extinctori pestiferæ factionis Hispanicæ, incolumitate eius & vindicta parricidI læti Majestatiq; eius devotiss.

Duplex potestas ista fatorum fuit,
Gallis saluti, quod foret, Gallis dare;
Servare Gallis, quod dedissent, optimum.

Fin.

III. Sanctum Sacellum in Regio Parlamenti Palatio, à D. Ludovico Galliarum Rege extructum. Ædificium audacissimum inter omnia Cismontana, cum sacellum sacello fornicato incubat, nullis columnis medijs sed lateralibus tantum suffultum. Porta inferior, veram imaginem D. Virginis; Superior Iesu Christi continet. A Balduino Imperatore Constantinopolitano, sacræ reliquiæ Venetis oppignoratæ, & à Gallo redemptæ illic repositæ; Corona spinea, toga purpurea, arundo, spongia, sudarium, mappa cœnæ ultimæ, Anno Christi 1247. Præterea asservantur in hoc sacello, cuspis lanceæ, quâ Christus, in cruce transfixus fuisse perhibetur, sanguinis ipsius reliquiæ, Sepulchri Salvatoris portio, & lac D. Virginis. Conspicitur quoq; ibidem in supremo Sacelli laqueari, Gryphis ungula suspensa.

IV. Templum D. Bartholomæi famosissimum, ob feralium matutinarum sonum, quo ipso Bartholomæi die, Anno Christi 1572. Regem Christianissimum, contra Hugonotos, excitatum esse aiunt. A Rege Lothario corpus S. Maglorij, à Britonibus allatum, in Regio sacello depositum, ibiq; cœnobium institutum. Anno Christi 975, Maglorio inde extra Urbem translato, in Parochiam abijt; cuius primus parochialis est Rex ipse, propter Vicinum Palatium. Reliqua Civitatis templa numerantur XIX. Xenodochium I. Sacella V.

Tertia, quæ & *maxima* Parisiorum *pars*, *Vrbis* sive Villæ nomen obtinet, habitatoribus & pulcherrimis ædificijs adeò frequens, ut ea sola maximis totius Galliæ Civitatibus annumerari queat,

Vrbs sive Villa Parisiensis.

queat, *Templa* habet XXXI. *Monasteria* X. *Xenodochia* IV. *Sacella* VI. Quam plurima autem tàm Civitatis, quàm universitatis & Urbis sive Villæ fana, Regum ac Ducum ornatissimis sepulturis & Epithaphijs, præstantissimisq; Sanctorum reliquijs nitent; Quæ tam accuratè Ægidius Corrozet; in suo de hac Civitate libro annotavit, nihil ut studiosus lector amplius desiderare queat.

Portas habet septem; A Superiore ad Sequanam, quæ D. Antonij est, ad inferiorem Novam Sequanæ proximam, lineis ad Insulæ Pontes tanquam ad centrum deductis.

I. Porta *D. Antonij*, cui subsequentia vulgari idiomate inscripta leguntur.

Un Dieu; Une Foy;
Un Roy; Une Loy;

Du Regne du Chrestien Henrij III. Roy de France & de Pologne, & de la Prevoste de Messire Estienne de Nully conseillier, de sa Ma^te. en son Conseil d' Estat & privè, & premier President en la Cour des aydes, & de l' Eschevinage de Mos. Hector Gedoyn & Iaques de la fa. Sires Pierre le Goyx, & Remon Bourgeois l' An. M. D. LXXXV.

Ingredienti, in plateâ latâ & amplâ, (in quâ Anno Christi M. D. LVIII. Henricus II. Galliæ Rex, in nuptijs Elisabethæ filiæ suæ, in Equestri certamine, à Comite Montgommerij Præsidiariorum Capitaneo, lanceâ in thorace ferreo ruptâ, & assulâ inde in oculum Regis insiliente, lethaliter vulneratus est) ad sinistram apparet, *Bastilia Arx*, ex quadrato lapide, octo turribus inclusa & fossis profundis circumdata Anno Christi 1369. sub Carolo V. Galliarum Rege per Hugonem Aubriottum Præfectum Parisiensem, qui posteà propter hæresin, in carcerem detrusus est, regijs impensis ædificari cepta; In hac Principes & Magnates incarcerari solent. Bastilia Arx.

Officina tormentaria, cuius portæ sive Ianuæ superius in marmoreâ tabulâ hæc inscripta leguntur;

Ætna

Ætna hæc Henrico Vulcania tela ministrat,
Tela Gigantæos debellatura furores.

Phildebert de la Guiche, Grand M. de l' art. de France, 1584.

In hoc templo multa illustria & magnifica videntur monumenta, ex quibus hæc adijcere libuit, in medio Choro sepulta est Iohanna Borbona, sponsa Regis Caroli V. It tumulus ex nigro statua marmore albo cuiusdam Principis, qui fuit Quintus Rex Latinus Regni Armeniæ: Sunt quoq; tres virtutum statuæ ab Henrico II. erectæ ex marmore albo hac inscriptione:

Cor junctum amborum longum testatur amorem
Ante homines junctus, Spiritus ante DEUM.

Videtur postea magnificum sepulchrum Connestablij Moumorantij, cui columna ex marmore albo & rubro erecta est, adjunctis tribus virtutibus ex orichalco conflatis. Cor verò Regis & ipsius apud statuam sepultum est inscriptionibus Latinis & Gallicis Rythmis additis, sed propter brevitatem temporis describere hæc saltem potui:

Adsta viator non leve pretium moræ
Hic grande parvo cor duplex jacet loco,
Regis Ducisq;: Regis Henrici Ducis
Moumorantij Anna per gradus qui singulos
Ad militaris ordinis fastigium
Pervenit & res maximas sub maximis
Domi forisq. Regibus gessit tribus
Francisco & Henrico ultimoq; Carolo
Sed præcipua quo, singularis & fides
Inter Ducemq; Regem & Henrici cum foret
Testata, corda jussit amborum simul
Rex ipse poni, pignus haud dubitabile
Quod juncta eorum vita perpetuo fuit
Hic juncta quorum mors habet vitalia.

Cælestinorum Monasterium; Sequanæ ripa; Domus Briania; D. Pauli Templum; Domus Reginæ; Domus Præfecti Parisiorum; Ave Maria; Porta Badesia cum Cruce; S. Gervasij templum; Eiusdem Hospitale; S. Spiritus; Domus Publica Parisiensium seu Curia, in quâ sub porticu aureis literis hæc inscripta sunt;

Senatui, Populo, Equitibusq; Parisiens. piè de se meritis, Franciscus I. Francorum Rex potentiss. has ædes à fundamentis exstruendas mandavit, ac curavit, cogendisq; publicè Consilijs & administrandæ Reipub. dicavit, Anno à Salute condita M. D. XXXIII. Idib. Iulij incisum. M. D. XXXIII. Idib. Septembris. Petro Violà Præfecto Decurionum, Claudio Daniele, Ioanne Bartholomæo, Martino Bragelonio, Ioanne Curtino, Decurionibus.

Dominico Cortonensi Architectanti. Area Grevensis; Fullonia sublicia in Sequanam extenta; Pons D. Virginis. Ad dextram; Domus Engolismensis; Hyppodromus, Turnelles vulgò; *D. Catharinæ*, videntur multa egregia sepulchra, inter alia verò hoc omnium magnificentissimum, ex marmore, albo & nigro, æneisq; statuis elaboratum hoc fuit, cuius inscriptionem addere libuit.

RENATO BIRAGO PATRITIO MEDIOLAN. multis & summis dignitat. functo, tum Franc. Cancellario, ac demum S. R. Eccle. Cardin. Francisca F. unica & Cas. Birag. Agnat. mœstiss. non memoriæ sed desiderij perpet. monum.

H. P. C.

Quid tibi opus statua satis est statuisse Birage,
Virtutis passim tot monumenta tua.

I. Mercus. R. S.

Vallis Scholarium; D. Antonij; Cœmeterium D. Ioannis; Hospitale D. Gervasij.

In plateà D. Antonij vidimus in publico diversorio, apud Ursum nigrum hominem, mediocris staturæ, vultu plærunq; demisso,

demiſſo, Franciſcum Trouillu nomine, cornu, arietino ſimile in fronte, & calvitie gerentem, in *Provincia* du Mayne repertum, & pelle lupinâ coopertum; Hic à teneris annis ſemper in Sylvis habitaſſe, & usq; ad ſeptimum ætatis annum absq; cornu fuiſſe, poſteà verò id inſtar fabæ, in dextro frontis latere prominere cepiſſe, ferebatur; quod tractu temporis, in eam magnitudinem excreverit, ut partem poſteriorem acuminatam & reflexam, abscindere neceſſum fuerit, ne capiti incommodaret. Si quis illud attingere vellet, valdè metuebat ob recentem dolorem. Homo Cornutus.

II. Porta *Templi*; Ante illam agger, le Baſtillon dictus. Ingredienti per magnâ plateam Templi, occurrit ad ſiniſtram; Templariorum fanum Orphanotrophium *Puerorum* rubeorum; Milites S. Gulielmi, cum albis tunicis; *Billetarum Templum*; Domus Iudæj, qui hoſtiam à Chriſtiana fœmina mercatus, cultro confoſſam, igni & aqua fruſtra tentarat perdere, anno ſalutis 1290. à Philippo Pulchro Rege in templum converſa, & monialib. certis donata.

S. Spiritus; Domus Publica. Ad dextram deflectendo; S. Marri Cœnobium, vel potius Audomari; S. Boni Templum; Platea D. Martini.

III. Porta *D. Martini.* Ante illam ſuburbium D. Laurentij à templo eiusdem nominis. Ingreſſo per magnam plateam S. Martini ad ſiniſtram; S. Nicolai campeſtris fanum; S. Martini Campeſtris fanum; S. Nicolai Cœmiterium; Hoſpitale S. Iuliani; S. Marri templum; Pons Virginis. Ad dextram; Crux; Leænarum ὕλη; *D. Iacobi Laniorum* pone chorum in tabella ænea tale Epitaphium legitur:

D. immort: opt. max. & Chriſto Ieſu hominum
ſalvatori ſacrum.

Ioanni Fernelio Ambianenſi. Henrici II. Galliarum Regis, Conſiliario & primo Medico, Nobiliſſimo atq; optimo, conditarum & penitus abditarum rerum ſcrutatori & explicatori

subtilissimo, multorum salutarium medicamentorum inventori, veræ germanæq; Medicinæ restitutori, summo ingenio, exquisitaq; doctrina Mathematico, omni in genere Philosophiæ claro, omnibus ingenuis artibus instructo, temperatissimis sanctissimisq; moribus prædito, socero suo pientissimo Philibertus Beriotius supplicum libellorum in Regia Magister, Magniq; Regis Consilij præses, affinitate Gener, pietate filius mœrens posuit. Anno à salute mortalibus restituta M. D. L VIII. vixit annos L I I. Area vitulorum; Pons Virginis.

IV. Porta D. Dionysij. Ante eam S. Lazari Nosocomium & Mons Falconius. Per plateam magnam D. Dionysij, ad sinistram; Fons; Cœmiterium Trinitatis; S. Ægydij sacellum; S. Maglorij templum; Sepulchrum Christi; Hospitale D. Catharinæ; Macellum majus; Castellum majus; S. Leofredi templum; Pons Trapezitarum; Pons Virginis; Ad dextram; Filiarum Dei Cœnobium; S. Salvatoris templum; Hospitale S. Iacobi S. *Innocentum templum & cœmiterium*; muris à Philippo Augusto circumdatum, sepulchrorum munero & sceletis admirandum. Cadavera novem dierum spatio consumi dicuntur. In illo legitur tale Epitaphium cuiusdam fœminæ octogenariæ & ultra, quæ videre potuit 295. posteros ipsius.

Cy gist Yoland Bailly, qui trespassa l'an mill cincq cents quatorze, le quatre vingthuictiesme an de son aage, le 42. an de son veuvage, laquelle à veu, ou peu voir devant son tres pas deuxcents, quatre vingts & quinze enfans issus d'elle D. opportunæ fanum; Pons Molitorum.

V. Porta *Montis* Martyrum. Ingredienti ad sinistram; Forum, cum Pila Maleficiorum. Ad dextram; S. Eustachij templum; Forum; S. Innocentum.

VI. Porta *S. Honorij* è Suburbio, ubi forum porcarium est, ad sinistram; Bonorum Puerorum; S. Honorij templum; Pœnitentium D. Magdalenæ; Crux du Tiroir, ubi Fredegundim Reginam equis discerptam aiunt. Ad dextram CCC. Cæcorum Ptochodochium proximum portæ.

Porta

VII. Porta *nova*; Ad sinistram; Turris sylvæ Sequanæ imminens; D. Thomæ; *Arx Luparia* in qua hodie Reges domicilium habent, vulgò *L'Ovore* dicta, quadrangularis per se, sine appendicibus, IX. quadrato lapide structa, columnis & sculptis imaginibus hinc inde exornata, & quatuor turribus inclusa est, Supra portam aureis literis in marmore nigro, talis legitur inscriptio. Arx Luparia, vulgò L'Ovore.

Henricus Rex Christianiss. vetustate collapsum refici cœpit, à Pat. Francisco I. R. Christianiss. Mortui Sanctiss. parentis memor. pientiss. filius absolvit.

In loco superiore talis est inscriptio;
Absolut. Anno Salut. M. D. LVI.

Circa fenestras hoc symbolum crescenti Lunæ est, adpositum.

Donec totum impleat orbem.

Ceptus est prope Lupariam arcem ædificari, pons novus ex quadratis lapidibus, regnante Henrico III. qui primum lapidem posuit, subtus quem in rei memoriam hæc incisa videntur.

Anno à salute restit. Hen. III. Fr. & Pol. Rex Potentiss. Ausp. Cath. Ma. Lud. coniuge Augustiss. ob C. Vtil. Pub. Fav. Fund. Pont. Iac. S. Et. Diversi. Vrb. Nobilis Patr. Mag. Viat. Comp. M. Rer. om. Q. Imp. & Ex pub. com. Per Divor. Aq. Con. Prid. Cal. Iun. 1578. M. D. XXXX. VIII.

Inatrio Lupariæ duo sunt Colossi lapidei; Inde est ascensus ad Cameras Regias, partim picturis, partim tapetis versicoloribus & preciosis ornatas, in quarum unâ Regia solet instrui mensa; cui pueri, non nobiles, sed plebeij in culinâ à teneris educati, cibos inde allatos imponunt; Mox tres Prægustatores eos ordine disponunt; Quo facto, Rex, qui nunc rerum potitur, Henricus IV. veste sericâ, cinereì coloris indutus, insignia, ordinis Equitum S. Spiritus, de collo dependentia gerens sellæ rubro holoserico coopertæ insidens, mensæ accubuit solus; Astant ab utroq; latere Satellites Scoti hastis inauratis, & sagis auro atq; argẽto intertextis, armati & amicti, more antiquitus observato,

ſervato, Cuſtodes Regij Corporis, numero XXIV. per vices ſive alternatim Regi inſervientes, atq; ita ipſi adhærentes, ut nunquam recedant, nec ulli cuiuscunq; conditionis iſte ſit, cedant, niſi à Rege juſsi. Aderant forte tum temporis menſæ Regiæ aſtantes; Comes Sueſſionum, vulgò Conte de Soiſſon, Mompenſerius, Dux de Namur, Princeps Vraniæ adoleſcentulus, Conneſtablius, Mareſchallus Bironius, Equites aliquot ordinis S. Michaëlis, & S. Spiritus, Comites Barones, Nobiles, & alij magno numero. Rex inter prandendum, hilari vultu, de venationibus & alijs rebus ludicris, atq; jocoſis, cum circumſtantibus conferebat; Abſoluto prandio, in vicinum cubiculum, tapetis pulcherrimis, Scipionis pugnas adumbrantibus, ornatum ſeceſſit, in quo lectum & menſa rubro holoſerico erat inſtrata.

Cepit Rex ad hanc arcem Lupariam novum ædificium, Xyſti inſtar duarum tantum contignationum, exſtruere, quod ad hortum usq; extra Urbis mœnia ſe extendet, & cum domo voluptuariâ à Reginâ matre ædificari cepta, continuabitur, ad cuius portam erectæ ſunt duæ columnæ marmoreæ, rubræ, & totidem nigræ, cum hac inſcriptione.

Perennitati Invictiſſ. Principis de
Bello & Pace Triumphantis.

Portæ verò Sequanam verſus, marmori nigro, aureis literis hoc eſt inciſum.

Rex Chriſtianiſs. Henricus IV. Gallicus Auguſtus, artium & ſcientiarum Cuſtos, Hiſpanis ab Urbe expulſis, Civibus ſervatis, ad publicam commoditatem, & Urbis ornamentum à fundamentis erexit.

Portæ veteri Arci, propinquæ, hoc eſt inſcriptum;

Henricus IV. Gallorum & Navarr. Rex Chriſtianiſs. Porticum hanc à Carolo IX. altâ olim pace ceptam, inter graves bellorum civilium æſtus, feliciter abſoluit An. Salutis cIɔ. Iɔ. XCV.

Circa feneſtras & ſub Caminis in Arce, qui marmoreis alabaſtrinisq; ſtatuis & colunis ornati ſunt, legitur hoc ſymbolum Henrici IV, Galliarum Regis,

Duo

Duo Protegit Vnus.

Cum Rex ex Arce Lupariâ, in Sacellum vicinum, ad ſacra vel preces ire vult, milites cuſtodiæ Regiæ deſtinati, Helvetij & Galli, ab arce ad ſacellum usq; ex utroq; latere diſpoſiti ſtant, vexillis explicatis, & armis inſtructi, inter quos Rex medius ad ſacra procedit, indeq; redit; Præferuntur duo ſceptra & gladius; Sequuntur Principes qui adſunt. Fortè tum inter alios ſequebatur Cæſar Monſieur, filius Regis Nothus, ex Gabrieliâ concubinâ natus, in ulnis à quodam geſtatus.

Domus Alenconia; Domus Borbonia; *S. Germani Auxerratis Templum,* in quo eiusmodi Epitaph. prope altare literis aureis in marmor pictis, legitur:

FRANCISCO CARNEVENEO, Armorico Nobili, ac ſtrenuo viro, cui ob eximiam virtutem & morum integritatem, Henricus II Galliarum Rex & Catharina conjunx chariſſimi filij Henrici, puerilem ætatem informandam, commiſerunt; Qui belli pacisq; artibus egregiè inſtructus, fortitudinis & prudentiæ famâ, ſupra omnem invidiam claruit; Quique (quod rarius) inter peſſima ævi ſui exempla, probitatem coluit. Inter maximas augendæ rei familiaris opportunitates, opes neglexit, & ſui ſemper ſimilis vixit. Philippus Huraltus, Chevernius, diuturna & arcta neceſſitudine, conjunctiſſimo amico, Iuſtis peractis, benevolentiæ ergò, mœrens, pientiſſimè poſuit Anno M. D. LXXI.

Et Collegium; Monetæ locus & Sacellum; Forum Epiſcopi; Sacellum Aurifabrorum; Vallis miſeriæ. Ad dextram; Sequanæ ripa; Mola monetariæ ſublicia; Pons molitorum.

Cum ſuperius Domus Reginæ facta ſit mentio, hæc paucula, de eâ, hic notare placuit; Dono dedit eam Rex Catharinæ ſorori, quæ, antequam Marchioni Lotharingiæ nupſiſſet, pro lubitu vel in hac aulâ vel in Arce Lupariâ eſſe fuit ſolita, & ubicunq; iſta fuerit, ibi reformata congregabatur Eccleſia, conciones & preces habebantur, ad quas etiam omnes ſine diſcrimine admiſſi fuerunt. Cæterum in hac aulâ, in quadam Camerâ, ta- Domus Reginæ.

petis alijsq; ornamentis probè decoratâ, vidimus Catharinam Regis sororem prandentem; Orbes & patinæ erant argenteæ; qui cibos adferebant, & Mensæ imponebant, honestius erant vestiti, quam Regij, de quibus supra pag. 103. Duo aderant prægustatores, qui cibos disponebant; Ipsa, in sellâ holoserico rubro coopertâ sola accumbebat, veste sericâ albâ amicta, facie candidâ, naso paululum inflexo, mediocri staturâ, & gracili corpore; inter prandendum semper cum ministris colloquebatur; Bibenti, prægustatorum alter, operculum argenteum deauratum, inter bibendum, vitro eius submittebat, ne guttula, vel in vestes, vel alio decideret. Absoluto plane prandio, post mensas secundas, alter prægustatorum vitrum cum vino ei porrigebat, pelvi argenteâ cum operculo clathrato simul oppositâ in quam Vinum, quo dentes purgaverat, expuebat; In areâ huius aulæ, columna rotunda concava, turri similis, conspicitur, altitudinis haud exiguæ, ad cuius fastigium, per gradus intrinsecus ascenditur, In huius summitate, multi sunt circuli sphærici, quibus aliquando Catharina Medicea, & Mathematicus ipsius usus esse dicitur.

Longitudo Lutetiæ Parisiorum est à Portâ S. Iacobi, ad portam usq; D. Martini; Latitudo, à Porta D. Honorij, ad portam usq; D. Antonij.

Porrò undiq; in hanc Civitatem tanta annonæ defertur copia, nihil ut hic infinitæ hominum multitudini ad vitæ necessaria desit. Maxima & lata Lutetia habet Suburbia, ut pleraq; cum magnis Franciæ Civitatibus certent, S. Dionysius, D. Pauli discipulus, primus Parisienses Christianâ doctrinâ imbuit, quam non modò sermone, sed & sanguinis effusione fortissimè confirmavit. Irrigata innocentissimi Viri sanguine Civitas, jucundissimos fidei fructus cepit proferre. Pharamundus Galliæ Rex Christianam fidem professus, inclytis & augustissimis fanis, ingenti sumptu constructis, Parisiensem Civitatem illustravit.

Anno Christi M. D. LXXII. die XXIV. Mensis Augusti, maxima Hugonotarum strages hâc in Urbe est edita, quan-

quantam ab hominum memoriâ, post Hierosolymitanum excidium, nulla historiarum monumenta prodiderunt; in qua complures etiam viri docti sunt cæsi. De hac autem cæde & laniena variorum nunc extant commentarij, quos vide.

Officia & dignitates præcipuæ in Galliæ Regno & Aulâ Regiâ.

I. Sunt *quatuor Principes sanguinis*, omnes ex familiâ Borbonicâ: inter quos primus, & præcipuus censetur, Princeps Condensis adolescens, successor in Regno designatus, si Rex absq; legitimâ prole masculâ decedat; Secundus, Princeps Contij surdaster, & ineptus ad gubernationem; Tertius, Comes Suessionum; Quartus Montpenserius. Si plures *Galliarum Regis* sint *filij*, primus eorum *Delphinus* appellatur, Secundus *Dux Aurelianensis*; Tertius *Dux Andegavensis*; Quartus *Alenconius*.

II. *Connestabilis* sive Connestablius; qui omnibus, tam Sanguinis quam alijs Principibus, quibus etiam, absente Rege, imperare solet, præfertur. Munus hoc licet Principale sit; tamen Reges plærunq; illud tribuunt, Nobilibus mediocris conditionis, qui eos revereantur, & quos facilè cohibeant.

III. *Quatuor Mareschalli*, qui sunt veluti Magistri seu Præfecti Equitum, ad quos pertinent lites, & controversiæ militares.

IV. *Admiralius* bellis maritimis præest.

V. *Equites* ordinis *S. Michaëlis*, à Ludovico XI. Galliarum Rege Anno Christi 1469. instituti.

VI. *Equites S. Spiritus* ordinis ab Henrico III. Galliæ Rege introducti.

VII. *Gubernatores Provinciarum*, inter quos & Principes Sanguinis sunt.

VIII. *Milites Legionarij*, à Francisco I. Galliæ Rege Anno Christi 1536. instituti, ut paratum semper haberet peditatum, & non opus esset milite externo.

IX. *Capitanei quinquaginta* Equitum cataphractorum.

De Connestabili sive Connestabulo, & Paribus Franciæ,

quæ dignitas in Galliæ Regno, quæ reliquis amplissima est, videatur Francisci Hotomanni Francogalliâ, cap. 14.

17. Prandij. 271. SANCTO DIONYSIUM, in territorio Parisiensi celebre oppidum, vulgò *S. Denis*, quo, si quis Lutetiâ rectâ vult ire, Montem Martyrum, vulgò Mont Martre, à sinistra relinquit, in quo Dionysius Areopagita, unâ cum Rustico & Eleutherio, Mercurio sacrificare, nolens, sub Imperatore Domitiano capite plexus esse dicitur; Accessit miraculum; Capita quisq; sua in vicinum pagum, Catulum nomine deportârunt, ubi pòst Cœnobium D. Dionysio consecratum fuit. Montis Martyrum Monasterium, Elisa Ludovici Crassi uxor extruxit. 2.

Intra Lutetiam, & Sancto Dionysium, propter ceremonias funebres, in funere S. Ludovici IX. Regis Galliarum celebratas, erectæ sunt VI. columnæ, pari intervallo invicem distantes, tribus statuis regijs insignes, cum Cruce in parte anteriori, quas Montyoes vulgò appellant; Ad has in funeribus Regum, stationes & commorationes, fieri atq; haberi consuevere.

Cæterum D. Dionysij & sociorum, in pago *Catulo* sepulchra, à S. Cœnovefâ, primum illustrata sunt, lateritiâ æde conditâ, in quâ extruendâ, operarijs de vino miraculosè prospectum esse fertur. Magnificentius inde D. Dionysij Monasterium, ibidem à Dagoberto Rege ædificatum, Corporibus Dionysij, Rustici, & Eleutherij Martyrum & Regum Thesauro nobile, cum duabus turribus quadratis, & Campanis *ex purissimo metallo*; Portis ex ære inaurato; Aris maximis; *Mensâ aureâ*; Cruce aureâ, à Dagoberto oblatâ, S. Eligij Episcopi Noviodunensis insigni opere. In parte templi posteriore, Ara aurea, ubi corpora Martyrum conduntur; *Tectum* templi eâ in parte *argenteum*, à Dagoberto Rege factum; Ante Aram *Crux aurea* cum Crucifixo. Sepulchra ibi multorum Franciæ Regum; De quibus Ægidius Corrozet. de Antiquitat. Parisiens. lib 1. cap. 5. & alibi per tot.

Ad dexteram postea latus templi ascenditur in cubiculum quoddam, in quo servatur *Thesaurus Ecclesiæ, & Regum*, & hæc

quæ

quæ à myſtagogo nobis monſtrabantur, annotavi. Eſt ibi repoſitorium in quatuor ciſtas diviſum, quæ repletæ fuerunt theſauro, una verò à Catharina Regina matre planè evacuata eſt: Supra repoſitorium ſunt effigies, Henrici II. Caroli IX. & Ducis Alenconii. Et in prima ciſta hæc vidimus.

1. *Caput D. Benedicti*, argento auro gemmisq; decoratum cum effigie Tiberij Cæſaris in pectore gerens. 2. *Brachium ipſius D. Benedicti.* 3. *Reliquiæ D. Nicolai* argento aurato circundatæ. 4. *Corona Henrici* IV. qua coronatus fuit. 5. *Calix D. Dionyſij.* 6. *Reliquiæ Eſaiæ Prophetæ.* 7. *Imago D. Dionyſij* gemmis pretioſis ornata. 8. *Sceptrum Henrici* IV. 9. *Sceptrum magnæ Iuſtitiæ.* 10. *Alia corona Henrici* IV. 11. *Libri Evangeliorum* gemmis ornati. 12. *Lignum de Sancta Cruce* incluſum auro, & ornatum pretioſiſſimis gemmis, habens in medio laminam, qua ſublevata, lignum ipſum conſpicitur. 13. *Digitus D. Thomæ Apoſtoli*, quem immiſit in latus Domini. 14. *Corona Reginæ Navarræ.* 15. *Baculus Cantoris* ex argento aurato gemmisq;. 16. *Baculus paſtoralis D. Dionyſij.* 17. *Mithra Epiſcopalis*, margaritis alijsq; nobilibus gemmis ornata. 18. *Lapis Aſuris.* 19. *Fibulæ Capparum* cum gemmis. 20. *Vas ex Porphyrio* lapide. 21. *Reliquiæ D. Catharinæ.* 22. *Panniculi*, in quibus Chriſtus involvebatur infans. 23. *Reliquiæ D. Ludovici* Maſſilienſis Epiſcopi. 24. *Vas ex Agathe* lapide. 25. *Brachium D. Euſtachij.* 26. *Ludovici* IX. *Regis ſceptrum Iuſtitiæ.* 27. *Vas ex Perylli lapide.* 28. *Reliquiæ D. Georgij, Theodori & Apollinaris.* 29. *Corona Ludovici Regis*, in qua *Carbunculus*, inſtar nucis Italicæ, æſtimatus XXX. millibus coronatorum. 30. *Crater Salomonis* ex auro puro gemmisq; decoratus. 31. *Calcaria Regum* quando coronantur. 32. *Effigies Neronis ex lapide pretioſo.* 33. *Sceptrum Regium* quando inaugurantur. 34. *Vas potatorium ex Agathe lapide*, æſtimatum XXV. millibus coronatorum. 35. *Maxilla* inferior *Ludovici Regis*, auro argentoq; circundata. 36. *Ieſus crucifixus* fabricatus ex ligno S. Crucis. 37. *Enſis & ſceptrum Iuſtitiæ* Henrici II. 38. *Rubinus* X. millibus coronatorum æſti-

matus. 39. *Crux ex integro auro* Caroli Calvi. 40 *Fibula pallij Henrici* II. 41. *Corona* qua coronantur *Reginæ Francorum*. 42. *Cristallinum vas*. 43. *Scrinium Caroli Magni*. Alia postea nobis monstrabatur cista à latere, in qua fuerunt *vestes Regiæ*, quibus vestiri solent Reges in ipsa inauguratione; & sunt magni pretij, margaritis undiquaq; flore liliorum instar affixis. Propè hoc templum est *domus Regia*, in quam Rex divertere solet cum eò venit.

22. Lutetiâ Rothomagum versus, nave profecti sumus, Sequanâ fluvio quidem secundo, sed valde sinuoso, ad cuius utramq; ripam, loca conspiciuntur sequentia.

272. S. Clavi oppidulum vulgò *S. Clou*, in Parisiensi territorio, à sinistrâ relictum, in quo Henricus III. Galliæ Rex, cultro venenato à Monacho quodam læsus, ac posteà extinctus est.

Cœnæ. 273. *Argentueil*, Galliæ oppidulum in territorio Parisiensium.

23. 274. *S. Germain*, Arx Regia, ad sinistram amœnissima propter adjunctum vivarium, loci situm & structuræ magnificentiam. 5.

Brandij. 275. *Poissij* Galliæ oppidulum in tractu Parisiensi, ubi Claustrum Regium Virginum Vestalium, & pons supra Sequanam lapideus, atq; campus spaciosus, propter Henrici IV. Galliarum Regis cum Duce Maynio conflictum celebris. 5.

276. *Moulan*, Galliæ oppidulum, cum ponte lapideo à dextrâ relictum.

277. *Mante*, Galliæ oppidulum, à sinistrâ conspicuum; Ante hoc Crux lapidea, cum duabus statuis est erecta; quarum altera, Regem Galliæ, Lutetiam versus, faciem dirigentem, altera Angliæ Regem Londinum versus respicientem, repræsentat; quâ re veteres notare voluerunt, quod Angliæ & Galliæ Reges, aliquando post diuturna & cruenta bella, hoc in loco pace initâ atq; firmatâ alter alteri valedixerit.

Cœnæ. 278. *Bonnchiere*. pagus. 5.

24. 279. *Vernon* Galliæ oppidulum à dextrâ cum ponte lapideo conspectum. Hic incipiunt Normandiæ limites.

Brandij. 280. *Le Pont Iugeois* Vicus Normandiæ. 5.

La

281. *La Maison rouge*, q. d. Domus rubra, à dextris relicta.
282. *Pont de l'Arche*, q. d. Pons Arcæ, Normandiæ oppidulum cum Arce & ponte lapideo, ad sinistram relictum.
283. *S. Hadriani Sacellum* à dextra in petram excisum, quo pestis grassantis tempore, magnus solet esse hominum concursus, tanquam ad portum salutis.

Cœnæ. 284. ROTHOMAGUS, vulgò *Rouan*, Normandiæ Metropolis, ArchiEpiscopatu & Parlamento, à Ludovico XII. Galliarum Rege primum instituto, insignis; Ab eà parte, quâ Orientem respicit, jucundissimis irrigatur rivulis duobus; Meridiem versus, eam, Sequana celebre & navigabile Galliæ flumen, propinquitate suâ decorat; Iuxta Septentrionem, altos habet montes, qui igni fomenta suppeditare solent. Nomen habet à Mago II. Galliæ Rege fundatore, & *Roth*, idolo, cuius simulacrum Mello primus huius Civitatis Episcopus evertit, circa Annum Christi CCLX. Agro gaudet optimo, fœcundo & herbido, ita ut Iulius Cæsar opportunitate loci adductus, validis hanc urbem muris cinxerit, & Romanorum præsidium, ad totius provinciæ defensionem, in eà reliquerit. *Pons* hic est *ex quadrato lapide*, supra Sequanam ingeniosè constructus. 7.

In templo D. Virginis cathedrali, sive primario, plumbo cóoperto, & tribus turribus incluso, Tumulus est ad dextrum latus. R. D. Georgij de Amboysiâ Cardinalis, in Franciâ Legati, Neustriæ Moderatoris, atq; Archipræsulis Rothomagensis, ex Pario marmore magnificè extructus, his additis versiculis.

Pastor eram Cleri, populi pater, aurea sese
Lilia subdebant, quercus & ipsa mihi.
Mortuus en jaceo, morte extinguuntur honores,
At virtus mortis nescia, morte viret.

Ex opposito est aliud Epitaphium marmoreum, cum hac inscriptione.

Hoc Lodoice tibi posuit Bresare sepulchrum,
Pictonis amisso, mœsta Diana, Viro;

Indi-

Indivulsa tibi quondam & fidissima conjunx
Vt fuit in thalamo, sic erit in tumulo.

Ex transverso sunt appensa vexilla, & arma Admiralij Galliæ. Chorus sumptuosè septus est clathris ex Orichalco, atq; in eius meditullio sepultum est. Cor Caroli V. Galliæ Regis, ubi & aliquot alia Regum Galliarum monumenta, sine inscriptionibus tamen, visuntur.

Non longè ab hoc est *Sacellum S. Romani*, qui interfecit Serpentem, & monstrum illud horrendum, cuius imago ibi depicta conspicitur. Et cum Sanctus iste Vir, unà cum adjuncto suo, qui ad mortem condemnatus erat, Urbem ex summo periculo liberasset, in eius memoriam, nunc quotannis incolæ, XV. diebus ante Paschæ festum, incarceratos quosdam, nefandorum criminum, & mortis reos, planè liberos dimittere, & magnâ cum solennitate, in Urbe circumducere, atq; Convivium lautum instituere solent, quibus mensæ accumbentibus, etiam primarij Urbis Senatores inserviunt. Ante hoc templum, Occidentem versus, Porta quædam est erecta, cui tres Gratiarum statuæ impositæ sunt, in honorem Henrici IV. Galliarum Regis, qui devictis hostibus triumphans, Urbem hanc ingressus est. Sacellum S. Romani.

Cæterum Normandiæ Provincia, marinis & fluviatilibus piscibus dives est, armento, pecore, & frugibus abundans, arborumq; pomiferarum, tanta ibi copia, ut *ex pomis* conficiatur *potus*, quem *Sydre* vulgò appellant; solo Vino caret, quod ibi communiter non crescit.

Equis conductitijs hinc discessimus.

26. Prandij. 285. *Dotes*, pagus in Normandiâ. 6.

Cœnæ. 286. DEPA, vulgò *Dieppe*; Normandiæ oppidum, cum Arce munitissimâ, in editiore loco positâ, ad oceanum Britannicum situm, portu tuto & capaci, necnon statione Regiarum navium celebre, & mercimonijs dives. 6.

28. Secundum nacti ventum, navim Anglicanam conscendimus, in quâ miram nautarum agilitatem admirati sumus, qui Navigatio ex-

sub

sub antennis & ceruchis ipsarum sine periculo versabantur; Posteà cum in medio Mari essemus, & fluctus decumani magnâ cum tempestate orirentur, Vix deducere acatium, sive majus velum, & reliqua vela, substringere nautæ poterant, ne ventus iste impetuosus navem subverteret; Cumq; ita per unam atq; alteram horam hàc illàc tranassemus, tandem turbulentâ tempestate sedatâ, salvi & incolumes, DEI beneficio, exceptâ tantum nauseâ, cum quâ per aliquot horas conflictandum erat, Galliâ in Angliam.

Cœnæ. 287. ad oppidulum *Rye*, ubi portus est Angliæ, pervenimus. 24.

Quam primùm hic nave essemus egressi, Notario loci nomina nostra dedimus, prius tamen interrogati, quid negotij nobis in hoc Regno futurum? Ubi responsum esset, nos Insulæ perlustrandæ gratiâ, solummodò huc advenisse, in diversorium deducti, & pro Regionis more, benè & lautè fuimus habiti.

30. Equis cursorijs Londinum profecti sumus. Mira horum celeritas; Levibus reguntur frenis; Ephippijs utuntur, ultra spithamam, vix medium digitum latis.

Prandij. 288. *Flimvvolt*, pagus in Angliâ. Hìc prioribus equis dimissis, alios conscendimus. 13.

289. *Tumbri*, Angliæ pagum transivimus.

Cœnæ. 290. *Chepsted*, Angliæ pagus, in quo secundâ Vice priores equi dimittuntur, & novi conducuntur. 18.

31. Prandij. 291. LONDINUM, totius Angliæ caput, atq; Metropolis, 15. Cornelio Tacito, *Londinium*. Ptolomæo, *Longidinium*; Ammiano Marcellino; *Lundinium*; exteris *Londra*; & *Londres*; incolis *Londen*, dicitur; Britannici Imperij sedes Regumq; Angliæ Camera; Urbs est antiquissima, in Comitatu *Midlesexiâ*, Regione totius Angliæ feracissima & saluberrimâ, ad flumen Thamesim LX. passuum millia ab Oceano sita; Cuius quidem primum omnium fundatorem, *Brutum* fuisse, constanti historiarum lectione perhibetur; Is ex Italiâ in Græciam, inde in Africam, tum in Gallias, ac demùm in Britanniam deveniens, ad Thamesim fluvium, situ & oportunitate loci adductus Urbem condidit, *Troiamq; novam* appellavit, quæ tandem per corruptionem

Trinovantum fuit appellata. At, poſtquam Lud, frater Caſſibilauni, ſive Caſſivellauni, qui cum Iulio Cæſare dimicavit, cuius ipſemet Cæſar meminit. lib. 5. de bell. Gall. Regni gubernacula adeptus eſt, cinxit eam nobiliſſimis muris, & turribus, arte mirâ fabricatis, & de nomine ſuo juſſit eum dici, *Caier Lud.* id eſt, Civitas Lud; Deinde per corruptionem nominis *Carlunda*; & ſuccedente tempore, per commutationem linguarum *Lundene,* ac poſteà *Lundres* dicta fuit. Mortuus tandem Lud, in hâc Urbe ſepultus eſt, juxta portam illam, quæ hoc etiam tempore, *Por Lud,* Britanicè, Saxonicè verò *Ludesgate* nuncupatur.

Nobilis ille fluvius *Thameſis,* primò *Iſis* nominatus, paulò ſupra *Vinchelcombiam* Vicum oritur, deinde rivis paſſim auctus, citra *Oxonium,* cum flumine Thami, junctis aquis, nomen quoq; conjungit; Ad extremum immani Maris æſtu (qui bis, ut ait Gemma Friſius XXV. horarum ſpatio amplius LXXX. paſſuum millibus fluit ac refluit, Polydorus Vergilius Urbinas lib. 1. Angl. Hiſt. ſcribit, Themeſim fluvium XXIV. horarum ſpatio, bis fluere atq; refluere. amplius LX. paſſuum millibus) excipitur, atq; navigabilis ac vaſtus, permagno mortalium commodo, ipſam Urbem alluens, in Oceanum influit. Thameſis fluvij deſcriptio.

Porrò *Vrbs Londinenſis,* & per ſe maxima eſt, & Suburbia habet, ampliſſima, nec non Arcem Turrim appellatam, pulcherrimè extructam.

Ædificijs verò atq; templis, magnificè ornatur, Vicenis ſupra centenas ſacris ædib⁹, quas Patrochiales vocant, venerabilis.

Meridiem verſus *pontem* habet lapideum, 800. *pedes longum,* opus certè mirabile; Etenim XX. ſtant ex lapide quadrato pilæ, altæ pedes LX. latæ XXX. diſtantq; inter ſe circiter pedes XX. fornicibus conjunctæ, ſuper cuius dorſo, domicilia utrinq; eâ diſpoſitione & ordine cernuntur, ut perpetui ferè Vici ſpeciem, non pontis exhibeant. Pontis Londinenſis in Angliâ deſcriptio.

Ponti Londinenſi *turris inædificata eſt,* in cuius ſummitate, reorum læſæ Majeſtatis, & Patriæ Proditorum capita, perticis ferreis affixa conſpiciuntur, ultra triginta nos horum numeravimus.

Pau-

Paulus Iovius clarissimas Britanniæ Urbes describens; Harum omnium, inquit, famam, *Londinum* penitus obscurat, Trinobantum, ut plures existimant, Civitas, C. Iulio Cæsari nuncupata, totius Britanniæ Regia, multarum gentium commercio nobilitata, exculta domibus, ornata templis, excelsa arcibus, & deniq; rerum omnium copiâ, atq; opum affluentiâ, valdè mirabilis. Invehit in eam totius orbis opes ipse Thamesis, statis horis, Oceani æstibus superbus & tumidus, onerarijs navibus ab ostio per LX. millia passuum, ad Urbem, tuto semper & præalto alveo, navigabilis. Ripas undiq; peramœnæ Villæ, prædijs atq; nemoribus distinctæ passim exornant. Ab inferiore scilicet parte *Regia Domus, Grinuvicia*, ita Anglicè à Viridarijs appellata; Et in superiore, *Pratorium*, nomine *Ricemundum*; in medio autem nobilis structuræ exurgit *Westmonasterium*, ab occiduâ Urbis parte, Foro Iudiciali, sive Parlamento, ac D. Petri Templo, Regum sepulchris exornato, longè clarissimum. Atq; item Vigesimo lapide à Londino, Regium Castrum, *Vindosoriæ*, secedentis Regis peramœnâ sede, aliquotq; Regum sepulchris & Garetteriorum sodalium ceremoniâ percelebre. *Olores* autem agminatim, læto occursu, & festivis cantibus subeuntes classes excipiunt, ac undiq; retia siluris atq; salmonibus expanduntur. Iungitur ad Urbem lapideo ponte structura mirifici operis, nec ullis imbribus augetur, cum unis tantum æstibus intumescat. Hactenus Paulus Iovius.

Porrò Londinum, Teste Polydoro Vergilio lib. 4. Anglicæ histor. ab Archenini, sive Erchenvini Regis usq; temporibus, Regia Civitas est, & Regni caput, civibus & alienigenis frequentissima, divitijs atq; opibus affluens, emporio celeberrima. In eâ Reges diademate regio insigniuntur, Regnoq; cæremonijs splendidissimis inaugurantur; In eâ Consilium sive *Parlamentum*, celebratur; Administratur autem antiquo Britannorum Regum privilegio à XXIV. Civibus, quos Angli *Aldermannos* quasi *Seniores* vocant; Ex quorum numero *Pratorem* Urbanum, *Majorem* eorum linguâ appellatum, Tribunosq; duos, *Scervios* (Parlamētum in Anglia.)

 voca-

vocatos, ipſimet annuâ commutatione eligunt, qui in Iure dicundo legibus municipalibus utuntur. Mira eruditiſſimorum Virorum, cum in Vniverſa Britanniâ, tum in hâc potiſſimum Urbe ſemper extitit fertilitas, qui inter Scriptores celebratiſſimi enituerunt.

Patent Urbis mœnia ſex portis, quæ novatæ nova etiam aſſumſerunt nomina. Ad Occaſum duæ ſunt. Portæ Urbis Londinenſis.

I. *Ludgate*, à Luddo Rege omnium antiquiſſima, cuius nomen etiamnum hodie, ſupra portam inciſum extat; ſive Flutgate, quorundam opinione, à fluviolo ſubjecto, ut Porta Fluentana Romæ) nunc à Regina Eliſabethâ renovata, cuius ſtatua, ab alterâ quoq; parte videtur.

II. *Nevvgate*, omnium pulcherrima, à novitate ſic appellata, prius Chamberlangate, dicta, quæ publicum eſt Ergaſtulum.

Ad ſeptentrionem Quatuor.

I. *Aldersgate* ab Alnetis, vel ab Aldricio Saxone, ut alijs placet.

II. *Creplegate*, à claudorum hoſpitio.

III. *Moregate*, à palude adjunctâ nunc in agrum converſâ, primum à Francetio Prætore, Anno Chriſti M. CCCCXIV. patefacta.

IV. *Biſchopsgate*, ab Epiſcopo, quam Germani Hanſiaticæ Societatis Mercatores, & inſtaurare, & difficilioribus temporibus propugnare ex pacto tenebantur, atq; ad iſtam & aperiendam & claudendam clavem habebant, quo neceſſitate ſic poſtulante, & ingredi, & egredi, noctu atq; interdiu poſſent.

Ad Ortum una ſola eſt; 1. *Aldgate* à vetuſtate ſic dicta, vel *Elbegate*, ut alij volunt.

Ad Thameſim, duas etiam Portas, præter illam ad pontem, extitiſſe nonnulli credunt.

I. *Belnigsgate*, nunc Cothon, ſive Portus artificialis, ad recipiendas naves.

II. *Dourgate*, id eſt, Aquaria porta, vulgò *Dovvgate*.

Tem-

Templum cathedrale D. Paulo sacrum, ab Ethelberto Anglo Saxonum Rege conditum est, quod subinde restauratum, in maximum & magnificentissimum excrevit, redditibusq; opulentum, unde præter Episcopum, Decanus, Præcentor, Cancellarius, Thesaurarius, Archidiaconi quatuor, Præbendarij XXIX. & alij prolixè aluntur. Tectum huius, quemadmodum & omnia ferè templa per totam Angliam, unà cum adjunctà turri, plumbo obtectum est.

Ad dextrum Chori latus, est Epitaphium ex marmore, Nicolai Ne Baron cum uxore. Non longè ab isto videtur Monumentum magnificum, alabastrinis, marmoreisq; pyramidibus ornatum, cum hac inscriptione;

Sacrum Memoriæ.

D. Chr. Hattoni Gu. Fil. Io. Nepos antiquiss. Hattonorium gente oriundi; Regiæ Ma^{tis}. D. Eliz. ex Nobilibus stipatoribus Lviri; Sacratioris Cameræ Generosorum unius; Prætorianorum militum Ducis; Regij Procamerarij; Sanctioris Consilij Senatoris; summi Angliæ ac Oxon. Acad. Cancellarij; Ordinis Nobiliss. San. Georgiani de Periscelide Equitis; Maximo Principis, omniumq; bonorum mœrore (cum LI. annos cœlebs vixisset) XX. Novemb. Anno Christi M. D. XCI. in ædibus suis Holburniæ, piè fato functi;

Guliel. Hattonius Eques auratus, eius e sorore nepos, adoptione filius ac hæres mœstiss. Pietatis ergò posuit.

A sinistro latere Epitaphium est marmoreum, Guliel. Horberti, Pembrachiæ Comitis & conjugis ipsius, cum hac inscriptione,

Hic in Domino obdormivit Ioannes Grandavensis, vulgò de Gant à Gandavo Flandriæ Urbe loco natali, ita denominatus, Edvvardi III. Regis Angliæ filius; quartus à patre, Comitis Richmondiæ titulo ornatus; Tres sibi Vxores in matrimonium duxit; Primam Blancheam, filiam & Hæredem Henrici Ducis Lancastriæ, per quam amplis. adijt hæreditatem, nec so-

lum Dux Lancastriæ, sed etiam Lycestriæ, Lincoliæ, & Derpiæ, Comes effectus, è cuius sobole, Imperatores, Reges, Principes, & Proceres propagati sunt plurimi. Alteram habuit uxorem Constantiam, quæ hic contumulatur, filiam & hæredem Petri Regis Castiliæ, & Legionis, cuius jure optimo titulo Regis Castiliæ & Legionis usus est; Hæc unicum ei peperit filiam Catharinam ex quâ, ab Henrico Reges Hispaniæ sunt prognati. Tertiam verò duxit uxorem Catharinam, ex Equestri familiâ, & eximiâ pulchritudine fœminam, ex quâ numerosam suscepit prolem, unde genus ex matre duxit Henricus VII. Angliæ Rex prudentissimus, cuius felicissimo conjugio, cum Elisabetha Edvvardi IV. Regis filiâ, è stripe Eboracensi, Regiæ illæ Lancastrensium & Eboracensium familiæ, ad exoptatissimam Angliæ pacem coaluerunt.

Illustrissimus hic Princeps Ioannes cognomento Plantagenet. Rex Castiliæ & Legionis, Dux Lancastriæ, Comes Richmondiæ, Leycestriæ, Lincolniæ & Derbiæ, locum tenens Aquitaniæ, magnus Seneschallus Angliæ; Obijt Anno Regni Regis Richardi Secundi XXI. Annoq; Christi M.CCC.XCVIII. Duæ postea arculæ saxeæ, in concavo quodam loco, prope chori ferè introitum videntur, additâ tabellâ, cum hac inscriptione;

Hic jacet Seba Rex Orientalium Saxonum, qui conversus fuit ad fidem, per S. Erckenvvaldum, Londinensem Episcopum, Anno Christi DC.LXXVII.

Altera inscriptio est talis;

Hic jacet Etheldredus Anglorum Rex filius Edgari Regis, cui in die consecrationis suæ, post impositam coronam fertur S. Dunstanus Cantuar: ArchiEpiscopus dira prædixisse his verbis,

✠. Quoniam adspirasti ad Regnum per mortem fratris tui, in cuius sanguine conspiraverunt Angli, cum ignominiosâ matre tuâ, non deficiet gladius de domo tuâ sæviens in te omnibus diebus Vitæ tuæ, inficiens de semine tuo, quousq; Regnum tuum transferatur in alienum, cuius ritum & linguam, gens tui

præsu-

præsidis non novit, nec expiabitur, nisi longâ vindictâ peccatum tuum, & peccatum matris tuæ, & peccatum virorum, qui infuêre consilio tuo nequam; Quæ sicut à Viro Sancto prædicta erant, evenerunt. Nam Etheldredus varijs prælijs, per Suenonem Danorum Regem, filiumq; suum Canutum, fatigatus & fugatus, ac tandem Londini arctâ obsidione conclusus miserè diem obijt, Anno Domini M. XVII. postquam annis XXXVI. in magna tribulatione regnasset.

Monumentum posteà in medio templi ex Orichalco est, cuiusdam Episcopi Londinensis Gulielmi, qui Eduardo Regi Angliæ familiaris, & paulò post Gulielmi Regis Angliæ consiliarius factus, sedit annos XVI. Mortuus An. Christi M. LXXVII.

Vivit post funera Virtus;

Et sub isto hæc;

Thomæ Linacro clariss. Medico, Ioannes Caius posuit, M. D. LVII. M. Augusto Posteà talis inscriptio, literis aureis, in inferiori parte, posita legitur.

Thomas Linacrus, Regis Henrici VIII. Medicus, Vir & Græcæ & Latinæ artis, in re medicâ longè eruditissimus, multos ætate suâ Languentes & qui jam animum desponderant, Vitæ restituit, multa Galeni opera, in Latinam linguam, mirâ & singulari facundiâ vertit, egregium opus de emendatâ structurâ Latini sermonis, amicorum rogatu, paulò ante mortem edidit, Medicinæ studiosis Oxoniæ publicas lectiones duas, Cantabrigiæ unam in perpetuum stabilivit; In hâc Urbe Collegium Medicorum fieri, suâ industriâ curavit, cuius & præsidens primus electus est, fraudes dolosq; mirè perosus fidusq; amicis omnibus, Ordinibus juxta charus, aliquot annos, antequam obiret presbyter factus, plenus annis ex hâc vitâ migravit, multum desideratus, Anno Domini M. D. XXIV. die XX. Octobris.

Sunt & alia plura in hoc templo Epitaphia sed absq; inscriptionibus. *Organum* postea *pneumaticum* habet egregium, & horis vespertinis, alijs adjunctis instrumentis, excellens musicâ auditur.

In

In Suburbio, Occidentem versus, quod continuatis ædibus, & superbis secundum Thamesim Procerum habitationibus, Westmonasterium oppidulum plus mill. pass. adjunctum Urbi addidit, Thorney olim à spinis, nunc Westmunster ab occiduo situ & Monasterio dictum, Templum est inauguratione Regum Angliæ, & regiâ sepulturâ inprimis insigne; Apollinis delubrum eò loci extitisse olim fama est, & Antonino Pio imperante terræmotu corruisse; ex cuius reliquiis, Sebertus Rex orientalium Saxonum alterum D. Petro erexit, quod à Danis dejectum renovavit & pauculis Monachis Dunstanus Episcopus concessit. Sed posteà Eduardus Rex, cognomento Confessor, sibi in sepulturam & Benedictinis Monachis in monasterium, ex decimis omnium suorum redditüum de integro construxit, & patrimonijs totâ Angliâ dispersis ditavit.

In hoc templo, notatu digna sunt sequentiâ;

In primo choro est *tumulus Annæ Clivensis* uxoris Henrici Chorus I. VIII. absq; inscriptione.

Ex opposito sunt sepulchra duo lapidea; I. Edmundi Comitis Lancastriæ, fratris Edvardi I. II. Ademeri de Valentiâ, Comitis Benbrochiæ, filij Gulielmi, de Valentiâ. His adjunctum est III. ex marmore albo, Avelinæ Comitissæ Lancastriæ.

In secundo choro videtur *Sella*, in quâ Reges inaugurationis tempore sedent; huic inclusus esse dicitur *lapis Patriarchæ Iacobi*, suprà quem dormiens recumbebat, cum haberet somnium de scalâ ad cœlum usq; pertingente; adjectæ tabellæ hi versus sunt inscripti; Chorus II.

Si quid habent veri, vel chronica cana, fidesve,
Clauditur hâc cathedrâ nobilis ecce lapis.
Ad caput eximius Iacob quondam Patriarcha,
Quem posuit cernens numina mira poli.
Quem tulit ex Scottis spolians quasi victor honoris,
Edvvardus primus, Mars velut omnipotens.
Scottorum domitor noster validissimus Hector,
Anglorum decus & gloria militiæ.

Richar-

Richardi II. monumentum cum uxore ex Orichalco deaurato; his versibus in circuitu ascriptis;

Prudens & mundus Richardus jure Secundus
Per fatum victus jacet hic sub marmore pictus;
Verax sermone fuit & plenus ratione,
Corpore procerus, prudens animo ut Homerus
Ecclesiæ favit, elatos suppeditavit,
Quemvis prostravit, Regalia qui violavit.

Extra tumulum talis est inscriptio;

Hic jacet immiti consumtus morte Richardus.
Anno 1369. Fuisse felicem miserrimum.
Huic adjunctus est tumulus conjugis ipsius
Quæ fuit filia Wenceslai Imperatoris.

Ad latus sinistrum est Eduvardi I. sepulchrum cum hâc inscriptione;

Eduvardus primus Scottorum malleus hic est. 1308. *Pactum serva.* Regnavit An. 46. Eduvardi III. monumentum ex cupro deaurato cum hâc inscriptione;

Hic decus Anglorum, flos Regum præteritorum,
Forma futurorum, Rex clemens pax populorum,
Tertius Edvvardus Regni complens jubileum.

Extra tumulum hoc legitur.

Tertius Edvvardus famâ super æthera notus. Anno 1377. *Pugna pro Patriâ.* Videtur ibidem gladius ipsius, quo Gallos domasse & vicisse dicitur, longitudine octo pedum.

Conjugis eius Philippæ Epitaphium est tale;
Conjunx Edvvardi jacet hic Regina Philippa.
Disce vivere. Anno 1369.

Henrici V. monumentum paululum hinc est remotum, cum inscriptione tali;

Gallorum mastix jacet hic Henricus in Vrnâ. Anno 1422. *Domat omnia virtus.*

Huic vicinum eſt monumentum Catharinæ, quæ adhuc inſepulta jacet, ita ut arcula vel urna, à quolibet poſſit aperiri, hâc inſcriptione exterius additâ:

Pulchra virumq; ſuum ſociat tandem Catharina.

Anno 1437. *Otium fuge.*

Henrici III. Epitaphium ex ære deaurato cum hac inſcriptione.

Tertius Henricus eſt Templi conditor huius.

Anno 1273. *Dulce bellum inexpertis.*

Hic Henricus poſt 160. annum, hanc Edvvardi fabricam ſubvertit, novamq; Eccleſiam ſpecioſâ ſtructurâ, multiplici marmorearum columnarum ordine, tecto laminis plumbeis conveſtito, quinquaginta annorum opere exædificavit, quam Abbates ad occaſum plurimum auxerunt. Expulſis poſteà Monachis, ad varias ſubinde vices revoluta fuit; primum Decanum habuit & Præbendarios, mox Epiſcopum, qui patrimonio dilapidato ceſſit, & Decano reliquit; ſtatim Monachi, cum ſuo Abbate, à Mariâ Reginâ reducti, quibus paulo poſt, authoritate Parlamentariâ ejectis in collegiatam Eccleſiam, imò Eccleſiæ plantarium convertit Sereniſſima Diva *Eliſabetha*, Præbendarios inſtituit duodecim, tot emeritos milites, ſcholaſticos quadraginta (alumni Regij dicuntur) qui ſuo tempore, ad Academias promoventur, & in Eccleſiam & Rempublicam transferuntur.

Videtur poſteà tumulus Aleonoræ filiæ Alphonſi Regis Hiſpaniæ, conjugis Eduvardi I. Regis Angliæ cum hâc inſcriptione.

Conſors Edvvardi Primi fuit hæc Aleonora.

Anno 1298. *Diſce mori.*

Eliſabethæ filiæ Henrici VII. Regis Angliæ Epitaphium.

In medio chori huius ſepultus eſt S. Eduvardus, qui fuit ultimus Rex Saxonum. Monumentum eſt ex marmore Moſaici operis, hâc, in circuitu aureis literis, inſcriptione additâ;

Omnibus inſignis Virtutum laudibus Heros

Sanctus

Sanctus Eduvardus, Confessor, Rex venerandus
Quinto die Iani moriens 1065. super æthera scandit.

Sursum Corda.

Tertium Chorum, admirandi splendoris & elegantiæ Henricus VII. Angliæ Rex, in suam & suæ posteritatis sepulturam, ad ortum adiecit, in quo sepulchrum ipsius magnificentissimum, ex ære & marmore fabrefactum cernitur cum inscriptione tali; Chorus III.

Hic jacet Henricus huius nominis VII. Angliæ quondam Rex, Edmundi Richemundiæ Comitis filius, qui die XXII. Aug. Rex creatus, statim pòst apud Westmonasterium XXX. Octob. coronatur, Anno Domini M. CCCC. LXXXV. Moritur deinde XXI. *April.* *An.* Æt. LIII. Regnavit annos XXII. Menses VIII. minus uno die.

Monumentum clathris ex Orichalco circumdatum est, in quod hi versus incisi;

Septimus Henricus tumulo requiescit in isto.
Qui Regum splendor, lumen & Orbis erat.
Rex Vigil & sapiens, comis, virtutis amator,
Egregius formâ, strenuus atque potens:
Qui peperit pacem Regno, qui bella peregit
Plurima, qui victo semper ab hoste redit.
Qui natas binis conjunxit Regibus ambas,
Regibus & cunctis fœdere junctus erat.
Qui sacrum hoc struxit Templum statuitque sepulchrum,
Pro se, proque suâ coniuge, prole, domo.
Lustra decem tres &, vivus compleverat annos,
Jam tribus octenis, regia sceptra tulit.
Quindecies Domini, centenus fluxerat annus,
Currebat nonus cum venit atra dies.
Septima ter Mensis lux tum fulgebat Aprilis
Cum clausit summum tanta corona diem.

Sub eodem tumulo, sepultus jacet Eduvardus VI. Angliæ Rex, Henrici VIII. ex Ioannâ Semeria filius, qui postea successit

patri, natus annos novem. Obijt Anno M. D. LIII. VI. Iulij Æt. XVI. Regni VII. non absq; veneni suſpicione.

Maria ſalutatur Regina Angliæ à populo, XIX. Iulij : *An*no poſtea M. D. L V. moritur Maria X V I I. Novembris, & in eodem choro, in quodam angulo ſepulta jacet, absq; inſcriptione tamen.

Regina Eliſabetha.

Hic jacet Regina Eliſabetha, Edvvardi I V. quondam Regis filia. Edvvardi V. quondam Regis, nominata ſoror; Henrici V I I. olim conjunx, & quæ Henrici V I I I. Regis mater inclyta. Obijt diem ſuum, in Turri Londinenſi, die XI. Febr. *An.* Domini 1502. X X X V I I. *An.* Ætat.

Intra ſecundum & tertium chorum, in Sacellis lateralibus, hæc Epitaphia leguntur;

Seberti Regis Orientalium Saxonum, fundatoris templi ex ſaxo.

Margarethæ Ritſchmundiæ Septimi Henrici matri, Octavi aviæ, quæ ſtipendia conſtituit, tribuit hoc Cœnobium Monachis, & Doctoribus Grammatices, apud *Werbrun*, perq; *An*gliam totam, divini verbi præconibus; duobus item interpretibus literarum ſacrarum, alteri Oxonijs, alteri Cantabrigiæ, ubi & Collegia duo, Chriſto & Ioanni diſcipulo eius ſtruxit; Moritur *Anno* Domini M. CCCC. LX. *III.* Cal. Iulij.

Margaretha Comitiſſa Levenoſciæ avia Iacobi VI. Regis Scottorum, Wilhelmus de valentiâ, frater uterinus Henrici *III.*

Comes Cornubiæ frater Regis Eduvardi *III.*

In tumulo quodam talis inſcriptio legitur;

In Clariſſimæ Dominæ Franciſcæ Suffolciæ quondam Duciſſæ Epicedion.

Nil decus aut ſplendor, nil regia nomina proſunt,
Splendida divitijs, nil juvât ampla domus.

Omnia

Omnia fluxerunt, virtutis sola remansit
Gloria, tartareis non abolenda rogis.
Nupta Duci prius est, uxor post arma gerentis
Funere nunc Stoke, consociata DEO.

In conspectu deinde est Epitaphium Domini Russec filij Comitis Bethfordiæ, cuius uxor hos Latinos & Græcos versus composuit, & in marmor incidi curavit.

Mens mea crudeli laniatur saucia, morsu,
Cum subit oblata mortis imago tua
Hæres Vere novo Comitis tu floris ad istar
Usque cadens miseras, meque measque facis.
Quippe decor vultus, lingua, morisque probati
Tum doctrina perit, sed viget alma fides.

Νυῶ ψυχῆς γλυκυ Τερπνὸν ἐμῆς οὐκέτι Φαεινὸν
Πάβιδος ἠδὲ πόθον, τῆδε κέκευθε κόνις
Φεῦ μὴν οἰτυρὰι χήρη ἀσῦραιτε θυγαβὲς
Τερπωλὴν Ζωῆς, αἷς περεῖλε θανὼν
Ευσεβίης ἕνεκα πλεῶ ὄλβου σεμνὸς ἐπαυρεῖ
Ουρανίου, μετόχους συγγενέας καλεὸν
Εἰς θάνατον Φιλτάτου καὶ λαμπροτάτου αὐτῆς ἀνδρὰς

Κυρίου Ρισσελίου τὸ παρὰ τῆς Ελισαβῆτης Ρισσέλιος
γραφὲν ἐπιτάφιον.

Quod licuit feci, vellem mihi plura licere.
Anna Conjugis Somersetensis ex marmore.

Anna Comitissa Oxon. filia Gulielmi Cæcilij, Baronis de Burgthley, Thesausarij Regis.

Philippa filia, & cohæres Ioannis Domini Mehun de Dunster, uxor Eduvardi Ducis Eboracensis, *Anno* Domini 1434.

Francisca Comitissa de Sussex, ex antiquâ Se.dneiorum familiâ oriunda.

Thomas Bromley Cancellarius Reginæ Elisabethæ.

Comes de Brizevvatter, Doni, Dabne Camerarius Henrici Septimi cum uxore.

Et hucusq; de Westmonasterio.

Sunt & alia templa, in hac Urbe plurima, sed propter sepulturas, & illustrium monumenta, non ita celebria.

Cæterum sub hoc *Westmunster* Hall sive Prætorium est, in quo præter comitia Parlamentaria, quæ ibi sæpissimè habentur, fora judiciaria constituuntur, & statis temporibus caussæ cognoscuntur, cum Iuris tum patrimonij Regij, & etiam Cancellariæ, quæ ex æquo & bono summum Ius moderatur, cum ante Henrici *I.* tempora, primæ Iustitiæ forum vagum esset, aulamq; regiam comitaretur. Verum ille, ut in chartâ magnâ habetur, legem tulit in hæc verba; *Communia placita non sequantur Curiam nostram, sed teneantur in aliquo certo loco.* Hoc quod nunc est, Prætorium, Richardus *II. A*ngliæ Rex, diruto vetustiori extruxit, suæq; habitationi dicavit (tunc enim Reges ipsi caussas audiebant) Palatiumq; ab Edvvardi Confessoris tempore adjunctum habuerunt, quo aute sexaginta annos igne absumto, Henricus *VIII.* sedem Regiam, ad ædes vicinas non ita pridem Cardinalis Wolsæi transtulit, quas *Withehall* vulgò vocant, id est, *A*ula alba. Domus hæc est verè regia, hinc Vivario, quod & alteram Regiam conjungit S. Iames dictam, illinc Tamisi conclusa. Prætorium Londinense.

In Camerâ, ubi Parlamentum congregari & haberi solet, *sellæ & parietes ex lignò Hybernico* fabricati sunt, quod occultâ hâc qualitate præditum esse dicitur, ut id omnia animalia venenata fugiant, vel potius, quod lignum istud cuncta venenata abigat, & occultâ quadam vi, à se longè repellat. Etenim pro certo affirmatur, nullos serpentes, nullos araneos, nullaq; alia venenata, per totam Hyberniam reperiri animalia. Propè has regias ædes Cygni conspiciuntur plurimi, & fere innumerabiles, qui hincinde sursum & deorsum, per aliquot milliaria, in Thamesi fluvio liberè vagantur; Nemini enim hos turbare multò minus occidere, sine grandi mulcta licet.

In

In *Aula* alba, *Withehall* vulgò nuncupata, viſu digna ſunt ſequentia.

I. *Bibliotheca Reginæ*, Græcis, Latinis, Italicis & Gallicis libris referta, inter quos libellus erat Gallicus, propriâ Reginæ Angliæ Eliſabethæ adhuc viventis, manu in membrana ſcriptus, & Henrico *VIII.* Angliæ Regi parenti ſic dedicatus;

A Treshaut & Trespuiſſant & Redoubte Prince. Henry *VIII.* de ce nom, Roy d' Angleterre, de France, & d' Irlande, defenſeur de la foy;

Eliſabeth ſa Treshumble fille rend Salut & Obedience.

Omnes iſti libri, holoſerico varij & diverſi coloris, potiſſimum tamen rubri, laminis & clauſuris argenteis ac aureis, margaritis item, alijsq; gemmis precioſis ornati, atq; veſtiti erant.

II. *Ciſtæ duæ* ſive arculæ *argenteæ* magnâ arte elaboratæ, in quas Regina papyrum reponere, & ijs ceu atramentarijs, uti ſolet.

III. *Thorus Reginæ* ex ligno verſicolore artificioſiſſimè compoſitus, tegumentis ſericis, holoſericis, aureis & argenteis acu pictis ditiſſimè inſtratus.

IV. *Ciſta*, margaritis undiq; exornata, in quam armillas inaures & id genus alias res precioſiores, Regina reponere ſolet.

V. *Paſſio Chriſti*, in vitreis tabellis adumbrata.

VI. *Picturæ*, inter quas vera Reginæ Eliſabethæ imago, cum *XVI.* annos nata eſſet; Henrici; Richardi; Eduvardi; Angliæ Regum; Roſimundæ Anglæ & Lucretiæ Græcæ ſponſæ in habitu nuptiali, & aliarum; In tabella quadam Angliæ Regum Genealogia; Edvvardi *VI.* Angliæ Regis effigies, primo intuitu monſtroſum quid repræſentans, ſed ſi quis per foramen operculi vel tabellæ, quâ pictura tegitur, effigiem rectà intueatur, tum vera depræhenditur; ingenioſum Artificis inventum; Caroli *V.* Rom. Imperatoris; Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis, & Catharinæ Hiſpanæ conjugis ipſius; Ferdinandi Florentiæ Ducis cum filiabus; Philippi Regis Hiſpaniæ, cum veniret in Angliam,

gliam, & matrimonio sibi jungeret, Mariam Angliæ Reginam, Henrici *VII.* Henrici *VIII.* matris eiusdem, item aliorum, aliarumq; illustrium imagines quam plurimæ; Pictura obsidionis Insulæ Melites, sive Malthæ.

VII. *Ædicula cuiusdam Eremita,* elegantissimè ex ligno sculpta, inter saxa quasi delitescentis.

VIII. *Emblemata varia* papyracea, clypei formam habentia, quibus, adjectis symbolis, Nobiles in exercitijs equestribus & gladiatorijs uti sunt soliti, hic memoriæ caussâ suspensa.

IX. Varia *instrumenta Musica,* & inter ea unum, in quo duo simul & unâ vice ludere possunt.

X. *Machina horaria,* in qua Rhinoceros cum Æthiope ei insidente conspicitur, quatuor alijs veluti ministris ad latera astantibus, Regemq; portantibus, ac ad nolæ sonitum capita inflectentibus; hæc omnia moventur ubi rotæ intenduntur.

Porrò in adjuncti huic Aulæ Vivarij introitu, talis legitur inscriptio; Ictus piscator tandem sapit, sed infelix Actæon semper præceps; Casta Virgo facilè miseretur, sed potens Dea scelus ulciscitur, præda canibus, exemplum Iuvenibus, suis dedecus; Pereat Actæon, cura cœlitibus, chara mortalibus, suis securitas; Vivat Diana.

In vivario videntur *damæ,* magno numero.

In alio quodam horto, huic arci contiguo est *fons salientis aquæ,* cum horologio solari, quod dum peregre advenientes contemplantur, aqua ex fistulis copiosè erumpit, & circumstantes largissimè aspergit, hortulano à longinquo rotam quandam circum agente, quâ aqua ista propellitur.

Domus Senatoria vel publica quæ *Guilthal* vulgò vocatur, à Thomæ Knovvles pulcherrimè constructa est, in quâ duorum Gygantum statuæ videntur, qui Anglis auxilio fuisse dicuntur, cum *R*omani eos bello persequerentur; Istorum nomina sunt; Corinius Britannus; Gœmagott Albionus; Subest in tabulâ quadam titulus Caroli V. Imperatoris, aureis literis scriptus. Domus Senatoria.

Status Reipublicæ, in hàc Urbe eſt talis; Urbs ipſa in XXV. *R*egiones ſeu Tribus diviſa eſt; Conciliumq; *R*eipub. penes XXIIII. Senes conſtitutū, qui ab ætate, linguâ vulgari *Alterman*, id eſt Senatores appellantur, quorum ſinguli ſingulis Tribubus præſunt; Et cum antiquitus pro ſummo Magiſtratu Portgreve, id eſt, Urbis Præfectum habuiſſent, duos Ballivos *R*ichardus I. inſtituit, pro quibus Ioannes *Rex*, ut Ma jorem ſive Prætorem annuum Magiſtratum, ſuis ſuffragijs è XII. primarijs corporibus eligerent, voluit, duosq; vice Comites *Schiriſſ* vulgò nuncupatos, quorum alter Regius, Urbanus alter dicitur, nominarent; Atq; hâc Reip. formâ conſtitutâ, incredibile eſt, quantum publicis privatisq; operibus hactenus Urbs hæc creverit. Guliel: Camot. in Britanniâ ſub tit. Midleſex. Status Reip. Londinenſis.

Cæterum notatu dignum hic eſt, quod *Major* ſive *Prætor* huius loci qnotannis die Bartholomæi Apoſtoli, quo Nundinæ & Encœnia habentur, cum XII. primarijs ſenatoribus, in campum vicinum ſolet exſpatiari, togâ purpureâ amictus, & catenâ aureâ cui appenſa ſunt inſignia, in formam aurei Velleris, cinctus, ornatus inſuper inſigni Periſcelidis ordinis ornamento, quo quilibet in hac dignitate conſtitutus decoratur & toto Magiſtratus annui tempore ita magnificum ſe exhibere cogitur, ut quibusvis & incolis & peregrinis, ad menſam eius, varijs epulis inſtructiſſimam, modò vacet locus, absq; ullâ impenſa accedere quotidie liberum ſit. Exeunti extra Urbem, præfertur ſceptrum, gladius & pileus; Sequuntur primarij Senatores, omnes equites, ſicut & ipſe Maior rubris togis veſtiti, & catenis aureis cincti; Vbi ad locum deſtinatum, & tentorium ibidem erectum, ventum eſt, quidam ex plebe prodeunt & luctando bini ac bini ſe exercent; Victores à Magiſtratu præmia accipiunt; dimittuntur poſteà in circumfuſam, & promiſcuam multitudinem, cuniculi vivi, quos pueri magno clamore inſectantur. Huic ſpectaculo cum intereſſemus, quidam forte ex noſtro comitatu Thobias Salander nomine, Medicinæ Doctor crumenam cum IX. coronatis ſolaribus amiſit, quam proculdubio lateri eius

ſemper adhærens Anglus ita ingenioſè ſubtraxerat, ut Salander ne minimum quidem perſentiſceret.

Arx ſive Turris Londinenſis, Britannicè ab albedine *Bringvvin* & *Tourgvvin*, appellata, foſsâ admodum profundâ & latâ, ac muro duplici & alto probè cincta eſt, in huius centro, turris illa antiquiſſima & fortiſſima, quatuor alijs turribus incluſa, & à Iulio Cæſare, quorundam opinione, condita cernitur. Hanc arcem cum ingrederemur, gladij ad portam deponendi, & ſatellitibus tradendi erant; Poſteà à quodam introducti, monſtrabantur nobis *tapetia Regia* ultra centum, *aurea, argentea, & ſerica*; *Sellæ regiæ*, holoſerico varij coloris coopertæ, magnus lectiſterniorum apparatus, veluti Conopœa, & id genus alia margaritis ditiſſimè exornata, tùm *veſtimenta regia magnificentiſſima*, quæ omnia propter impenſas maximas facilè quemvis in ſui admirationem trahere poterant. Inde in *Armamentarium* ducti; in quo hæc peculiaria; *Haſta* ex quibus ejaculari poteſt; Clypei ex quibus quater ejaculatur; Haſtæ aliæ multæ, & ſplendidæ, quas *Partiſan* vulgò appellant, & quibus ad defenſionem Regij corporis in bello ſatellites utuntur; Lanceæ holoſerico rubro, & viridi tectæ, cum Henrici VIII. Angliæ Regis armaturâ; Arma multa & egregia, tam pro viris, quàm pro equis in equeſtri pugnâ; *Lancea Caroli* Branden Suffolciæ, quæ tres ſpitamos craſſa erat; *Tormenta duo*, ex quorum altero tres, ex altero ſeptem globi poſſunt explodi. Duo tormenta *lignea* magnitudinis immenſæ, quibus Angli in oppugnatione Boloniæ, Galliæ oppidi, aliquando ſunt uſi; quo ſtratagemate, cum alias impoſſibile fuiſſet, cum eiuſcemodi tormentis appropinquare ad oppidum, Bolonienſes territi, ſeſe ſub certis conditionibus dediderunt; XIX. Tormenta craſſiora, & XXXVI. quodam modo minora, erant in Camerâ peculiari, Alia item tormenta, ex quibus catenæ, globuliq; frangendis navium malis apti exploduntur.

Baliſtæ, arcus, ſagittæ, quibus etiamnum hodie in exercitijs uti ſolent Angli magno numero. Et quis omnia referre queat.

Arx ſive Turris Londinenſis.

Armamentarium Londini.

queat. Expolitioni autem rerum harum bellicarum omnium, Vix octo vel novem Viri quotannis sufficiunt. *Officina* prætereà est in hac arce *monetaria*, cudendis regijs nummis occupata.

Notandum hic, quod si quis ex illustriore familiâ facinus aliquod magnum perpetret morte dignum, Crimen nimirum læsæ Majestatis, aut simile quid, is huic arci includitur, & rarissimum est, ut inde liberetur, & salvus dimittatur. Hic *decapitata* fuit *Anna Bolonia* Henrici IIX. Angliæ Regis Conjunx, ibidemq; in Sacello sepulta, sed absq; inscriptione; Regina quoq; Elisabetha, in hoc Ergastulo captiva fuit dedenta, à sorore Mariâ Angliæ Reginâ, quâ tandem vitâ defunctâ, inde liberata, atq; ad Regni gubernationem legitimè fuit evocata. NB.

Egressi ex hâc Arce in domunculam propinquam concessimus, in quâ diversi generis aluntur animalia, *tres* videlicet *leænæ*, & *Leo unus* ingentis magnitudinis, quem Eduvardum sextum vocitant, eo quod Regis istius tempore natus hic sit, *Tigris*, *Lynx*, *Lupus valdè annosus* quod rarissimum in Angliâ animal, unde etiam numerosi ovium greges & armenta hinc inde absq; custodibus impunè oberrant, item *histrix*; *Aquila*; Atq; hæc animalia omnia in loco remotiori, & ad hanc rem designato, clathris ligneis circum septa, Reginæ sumptibus aluntur.

Prope hanc Arcem, Area est satis ampla, in cuius eminentiore loco contabulatio lignea, erecta est, supplicijs Illustrium destinata, super quâ tres Angliæ Principes, suæ familæ ultimos, læsæ Majestatis reos, decollatos esse fertur; *In ripâ* Thamesis fluvij huic arci contiguâ, *plurima* videntur *tormenta*, & ænea, & ferrea, quorum præcipuus in Mari est usus.

Visu deinde & notatu dignum quoq; est in hâc Urbe *Peristylium* sive Ianum medium, *Bursam* vulgus, Regina Elisabetha *Excambium Regium* dixit, ad negotiatorum usum & Urbis ornamentum, à Thoma Gresshamo Equestris ordinis cive positum; magnificum illud quidem, sive ædificij structuram, sive gentium frequentiam, sive mercium copiam spectes; ut etiam Hansiaticæ societatis domum omittam, & aquas, subterraneis Bursa Londinensis.

 cunicu-

cuniculis, & ſyphonibus, in omnes Urbis regiones derivatas, illisq; recipiendis elegantiſſima caſtella ſeu labra; novum etiam Aquæductum, quo Hydragogi Germani ſolers induſtria, rotâ è Thameſi aquas in magnam Urbis partem, tubulis certo libramine diſpoſitis, ante paucos annos deduxit.

Brittvvel, Correctionis domus hodiè quondam in Caroli V. Rom. Imperatoris gratiam, intra ſpatium ſex hebdomadarum extructa. Brittvve. Correctionis domus Londini.

Ahall domus, à ſutore quodam ædificata, Reip. Londinenſi donata, in quâ ſingulis ſeptimanis ter venduntur merces variæ, utpote frumentum, lana, panni, fructus, & alia. Ahall Londini.

Sunt porrò Londini extra Urbem *Theatra* aliquot, in quibus Hiſtriones Angli Comœdias & Tragœdias ſingulis ferè diebus, in magnâ hominum frequentia agunt, quas varijs etiam ſaltationibus, ſuaviſſimâ adhibitâ Muſicâ, magno cum populi applauſu finire ſolent. Non longè ab uno horum theatrorum, quæ omnia lignea ſunt, ad Thameſim *navis* eſt *regia,* quæ duo egregia habet conclavia, feneſtris pellucidis, picturis & ſculpturis eleganter exornata, in ſicco & quidem ſub tecto collocata, propterea, ut à pluvijs & cœli injuriâ immunis ſit. Eſt & alius poſtea *locus* Theatri quoq; formam habens, *Vrſorum & Taurorum venationibus deſtinatus,* qui à poſticâ parte alligati à magnis illis canibus & moloſſis Anglicis, quos linguâ vernaculâ Docken appellant, mirè exagitantur, ita tamen, ut ſæpè canes iſti ab Urſis vel Tauris, dentibus arrepti, vel cornibus impetiti, de vitâ periclitari, aliquando etiam animam exhalare ſoleant, quibus ſic vel ſaucijs vel laſſis ſtatim ſubſtituuntur alij recentes & magis alacres. Accedit aliquando in fine huius ſpectaculi, Urſi planè excæcati flagellatio, ubi quinq; vel ſex, in circulo conſtituti, Urſum flagellis miſerè excipiunt, qui licet alligatus, auffugere nequeat, alacriter tamen ſe defendit, circumſtantes, & nimium appropinquantes, niſi rectè & providè ſibi caveant, proſternit, ac flagella è manibus cædentium eripit atq; confringit. Vtuntur in hiſce ſpectaculis ſicut & alibi, ubicunq; locorum ſint Angli,

herbâ

herbâ Nicotiana, quam Americano idiomate *Tabacam* nuncupant (*Petum* alij dicunt) hoc modo frequentissimè ; Fistulæ in hunc finem ex argillâ factæ, orificio posteriori, dictam herbam probe exiccatam, ita ut in pulverem facilè redigi possit, immittunt, & igne admoto accendunt, undè fumus ab anteriori parte ore attrahitur, qui per nares rursum, tanquam per infurnibulum exit, & phlegma ac capitis defluxiones magnâ copiâ secum educit. Circumferuntur insuper in hisce theatris varij fructus venales, ut poma, pyra, nuces & pro ratione temporis, etiam vinum & cerevisia. Tabaca sive Nicotiana herba.

Collegia intra & extra Urbem *quindecim* hic numerantur, magnificæ structuræ, adjunctis ubiq; hortis amœnissimis, quorum præcipua sunt hæc tria ; 1. *Templum*, vulgò *Tempel*, in quo olim Templarij, dictum, uti videtur, à templo antiquissimo, cui turris rotunda addita, sub quâ est sepultura Regum Danorum, qui olim in Angliâ regnarunt. Collegia Londini.

2. *Grezin &*

3. *Lyconsin*.

In hisce Collegijs aluntur Adolescentes & Nobiles & plebeij magno numero, Philosophiæ, Theologiæ, & Medicinæ potissimum operam dantes, (paucissimi enim ad studium Iuris animum adijciunt) lautè vivunt, & poculis argenteis utuntur; quod cum aliquando, illustris quidam Vir vidisset, admirans magnum poculorum argenteorum numerum, in hæc verba prorupisse fertur ; Convenire potius scholasticis, ex testaceis & vitreis quam argenteis vasculis bibere ; Responsum ei à Collegio ; Se omnia sua pocula, ipsi velle tradere, si conditionem accipiat, & vicissim sibi de testaceis & vitreis vasculis sufficienter prospiciat ; Frequentissimam enim horum confractionem posse fortassis aliquando longè superare æstimationem argenteorum.

Plateas habet Urbs ista *niditas & mundas* ; Præ reliquis tamen excellit, quæ ab aurifabris nomen habet : In hâc turris deaurata cernitur, cum fonte salientis aquæ, cui adjectæ sunt ab altero latere ædes satis splendidæ, ab aurifabro quodam olim con- Plateæ Londini.

structæ, & Reipub. donatæ; *Videntur* prætereà in hàc potissimum plateâ, licet idem quoq; sit in alijs ubi aurifabri habitant, *aurea & argentea Vasa propalam exposita*, item *antiqua & recentia numismata*, in tantâ copiâ, ut quemlibet peregre advenientem, & ista contemplantem facilè in admirationem trahant.

Fitz Stephanus Anglicæ historiæ scriptor suo tempore, 127. *Ecclesias Parochiales* & 13. *Conventuales* Londini *numeravit*, & factâ hominum armigerorum ostensione, *quadraginta millia peditum, equitum Viginti millia*, sub signis Londinenses eduxisse literis prodidit: Guilhel. Cambot. in Britannia sub tit. Midlesex.

Ostrea delicatissimi esus hic magno in numero venalia circumferuntur. Ostrea Anglicana.

Notissimum est & illud, pannos Anglicos ob materiæ bonitatem valdè commendari, & in omnia Europæ regna & Provincias importari. Panni Anglici.

Vidimus in *Leonardi Fabrisartoris* Londinensis ædibus *speculum excellentissimum*, margaritis, auro, argento, & holoserico ita exornatum, ut quingentis coronatis solaribus æstimaretur. Habebat idem hippocampum & Aëthitem lapidem, quæ ut rara & visu digna libenter aspeximus. Atq; hæc de Londino Angliæ Metropoli;

Septemb. VI. Styl. no. Londino postea exspatiandi causâ Thamesi flumine secundo digressis, primum nobis occurrit *Navis* Nobilissimi istius *pyrata Francisci Draci*, quâ totum terrarum orbem (sive per utrumq; hemisphærium) circum navigasse dicitur, cuius reliquiæ memoriæ causâ adhuc ibi asservantur; Ad sinistram est suburbium satis magnum, *Rattelevv*, dictum, cui in altera ripâ opposita est *pertica* quædam *lignea*, cum cornibus arietinis superius affixis; quæ vulgò significare dicuntur, ita puniri eum, qui sciens & volens passus sit alium cum conjuge sua concumbere, tacitè sic in adulterium consentiendo. Navis Francisci Draci.

Prandij. 292. Venimus deinde, ad Arcem Regiam, *Grönvvidge* seu *Grunvvidge*, vulgò dictam, quæ Arx Latinis saltum viridem denotat; 3.

notat; Hanc Humfradum Glocestriæ Ducem ædificare cepisse, & Henricum VII. Angliæ Regem magnificè adauxisse, fama est. Nata est in eadem, Serenissima Angliæ Regina Elisabetha, quæ adhuc rerum potitur, & in hàc libentissimè præsertim tempore æstivo, ob summam loci amœnitatem, esse solet. Postquam hanc arcem ingressi sumus, ex mandato summi Cubiculariorum Præfecti, quod Dn. Daniel Rogerius impetraverat, in Cameram Præsentationis, undiquaq; tapetis preciosis exornatam, (Pavimentum vero, uti in Angliâ moris est, fœno erat constratum) quam Regina, quando in sacellum ad preces ire vult, transire solet; Ad ianuam stabat nobilis quidam vestibus holosericis amictus, & catenâ aureâ cinctus, qui Comites, Barones, Nobiles & alios utriusq; sexus, Reginam adire cupientes, ad eandem deducebat; (erat tùm fortè dies Dominicus, quo Magnates plærumq; Reginam invisere solent) in Camerâ, quam dixi, præstolabantur Reginam, Episcopi, Cantuariensis & Londinensis, Consiliarij, Officiarij, & nobiles magno numero. Posteà cum hora precum instaret, Regina ex suo conclavi prodijt, tali cum comitatu; Præibant Nobiles, Barones, Comites, & Equites Ordinis Periscelidis, omnes splendidè vestiti, & capite detecto; Proximè antecedebant duo, alter qui sceptrum Regni, alter qui gladium in vaginâ rubrâ aureis lilijs distinctâ, reconditum cuspide sursum versâ portabat, inter quos medius procedebat, Magnus Angliæ Cancellarius, sigillum Regni in marsupio holoserico rubro gerens; Hos sequebatur Regina, ætatis, uti rumor erat, LXV. annorum, magnâ cum Majestate, facie oblongâ & candidâ, sed rugosâ, oculis parvis, sed nigris & gratiosis, naso paululum inflexo, labijs compressis, dentibus fuliginosis (quod vitium ex nimio saccari usu, Anglos contrahere verisimile est) inaures habens duas margaritis nobilissimis appensis, crinem fulvum sed factitium; Capiti imposita, erat parva quædam corona, quæ ex particulâ auri celeberrimæ illius tabulæ Lunæburgensis, facta esse perhibetur; pectore erat nuda, quod Virginitatis apud Anglos Nobiles signum est; Nam maritatæ sunt tectæ;

tectæ; Collum torques gemmis nobilissimis refertus circumdabat; manus erant graciles, digiti longiusculi, statura corporis mediocris; in incessu magnifica, verbis blanda & humanissima; induta forte tum temporis erat veste sericâ albâ, cuius oram margaritæ preciosissimæ fabarum magnitudine decorabant, togâ superinjectâ ex serico nigro, cui argentea fila admista, cum caudâ longissimâ, quam Marchionissa pone sequens à posteriori parte elevatam gestabat; Collare habebat oblongum, vice catenæ, gemmis & auro fulgens; Tum, cum tali in pompâ & magnificentiâ incederet, nunc cum hoc, mox cum alio loquebatur, perhumaniter, qui vel legationis vel alterius rei causâ eò venerant utens nunc materno, nunc Gallico, nunc Italico idiomate; Nam præterquam quod Græcè, & Latinè elegantur est docta, tenet ultra jam commemorata idiomata, etiam Hispanicū, Scoticum, & Belgicum; Omnes illam alloquentes, pedibus flexis id faciunt, quorum aliquos interdum manu elevare solet; Hos inter forte tum erat, *Baro* quidam *Bohemus*, *Gulielmus Slavvata* nomine, Reginæ literas offerens, cui manum dextram chirothecâ detractâ, annulis & lapidibus preciosissimis splendentem porrexit osculandam, quod maximum insignis clementiæ signum est; In transitu, quocunq; faciem vertit, omnes in genua procidunt; Sequebatur Gynæceum ex Comitissis, Baronissis, & Nobilibus fœminis, summâ pulchritudine & formâ excellentibus constans, & maximâ ex parte, vestimentis albicans; Ab utroq; latere comitabantur eam Satellites nobiles cum hastis deauratis, quorum quinquaginta sunt numero; In præambulo Sacelli, quod huic atrio contiguum est, porriguntur ipsi libelli supplices, quos benignissimè accipit, unde tales fiunt acclamationes; *God save the quene Elisabeth*, hoc est, DEUS salvet Reginam Elisabetham; Ad quæ populo sic ipsa respondet; *I thanoke you myn good peupel*, id est; Ago tibi gratias popule mi bone; In sacello habebatur excellens Musica, quâ finitâ unâ cum precibus, quæ vix ultra dimidiam horam durabant, Regina eâdem magnificentiâ & ordine, quo anteà discesserat, redibat & ad pran-

prandium se conferebat. Intereà vero dum sacris intererat, vidimus illi apparari mensam hac adhibitâ solemnitate; Primo Nobilis quidam atrium ingressus, sceptrum manu tenebat, adjunctum sibi habens alium quendam Nobilem cum mappâ, qui ambo cum ter summâ cum veneratione genua flexissent, alter ad mensam propius accedens, eam mappâ insternebat; quo facto, rursus poplite flexo discedebant; veniebant post hos alij duo, quorum alter rursum cum sceptro, alter cum salino, orbe & pane aderat, qui cum, uti priores, ter genua incurvassent, & res modò dictæ mensæ impositæ essent, eâdem omninò cum ceremoniâ abivêre. Venit tandem Virgo quædam Comitissa, uti affirmabatur, eximiæ pulchritudinis, vestita veste sericâ albâ, cui erat adjuncta nobilis matrona, cultrum prægustatorium ferens, quæ ter summo cum decore in pedes provoluta, posteà ad mensam accessit, orbes sale & pane abstersit, tantâ cum veneratione, ac si Regina ipsa præsens fuisset; cumq; paululum commorata ad mensam esset, venerunt satellites Regij, omnes capite nudi, sagis rubris induti, quibus in posticâ parte erant affixæ rosæ aureæ, singulis vicibus XXIV. missus ferculorum, in patinis argenteis & maximâ ex parte deauratis, adferentes; Ab his Nobilis quidam, ordine cibos accepit, & mensæ imposuit; Prægustatrix verò, cuilibet satelliti, ex eadem, quam ipsemet attulerat, patinâ, buccellam degustandam præbuit, ne aliqua veneni subesset suspicio; Dum satellites isti, qui centum numero procerâ corporis staturâ, & omnium robustissimi ex toto Angliæ Regno, ad hoc munus summâ curâ deliguntur, supradictos cibos adportarent, erant in Aulæ areâ XII. Tubicines, & duo Tympanistæ, qui tubis, buccinis, & tympanis magno sonitu per sesqui horam clangebant; Cæremonijs autem, modò commemoratis, circa mensam absolutis, aderant illicò virgines aliquot nobiles, quæ singulari cum veneratione, cibos de mensâ auferebant, & in interius & secretius Reginæ cubiculum asportabant; Eligere ibi Regina solet quos vult, cæteri pro Gynæceo servantur; Prandet & cœnat sola paucis astantibus, atq; nullus

admittitur, neq; peregrinus, neq; Regni quoq; incola, nisi rarissimè, & quidem ex singulari magnatis alicuius intercessione. Cæterùm propè hanc arcem videtur *Reginæ Vivarium*, in quo variæ aluntur feræ; quemadmodum & per totam ferè Angliam, eiuscemodi vivaria valdè sunt frequentia, inter nobiliores & ditiores potissimum. In istius umbilico *turris* est *quadrata* antiqua colliculo imposita, *Mirefleur* nomine, cuius Amadisium illum Gallicum, in figmentis suis mentionem facere, quidam volunt; Huic contigua est planities Equestribus exercitijs destinata, in quâ statis & festivis temporibus Equites, alijq; nobiles convenire solent.

Londino curru discessimus loca vicina & celebriora visendi gratiâ.

8. 293. Vidimus primo Arcem *Thebal*, vulgò *Thibaulds*, pertinentem, ad Dn. *Burghley* Angliæ Regni Thesaurarium; In Xysto depicta erat Angliæ Regum Genealogia; Huic contiguus est hortus, quem fossa aquâ plena fere undiquaq; claudit, ita ut quis navigio magnâ cum voluptate, inter fruticeta hinc inde spatiari possit; Varias ibi reperias arbores & herbas, labyrinthos magnâ industriâ factos, fontem ex marmore candido salientis aquæ, columnas item & pyramides, tum ex ligno tum ex aliâ materiâ passim in horto positas; Introducti posteà ab Hortulano in domum æstivam, vidimus in inferiore eius parte, quæ semicirculari formâ constructa est, XII. Imperatores Romanos ex marmore candido, & mensam ex lydio lapide; Superioris partis utrumq; latus cingunt labra plumbea, in quæ aqua per canales est deducta, ut in illis pisces servari, & æstivo tempore in frigidâ commodè lavari possit; In alio cœnaculo, huic planè vicino, & per ponticulum conjuncto, erat mensa, ex marmore rubro figurâ ovali; Ad Arcis huius penetralia non sumus admissi propter absentiam familiæ, quæ eodem die funere Domini sui Londini interfuit.

Prandij. 294. *Hatzfan* pagus. 17.

Ware

295. *Ware,* vicus.

Cœnæ. 296. *Bockritsch,* pagus: lectos à servis in hâc provinciâ sterni & præparari hic primum observavimus. 8.

9. Prandij. 297. CAMBORITUM, *Cantabrigium,* & *Cantabrigia* Latinis, vulgò *Cambritge* celeberrimum Angliæ Regni oppidum, sic dictum à Camo fluvio, qui cum Occidentale eius latus insulis ludens persperserit, ad ortum conversus, in partes dispertit duas, ponteq; conjungitur, unde recentius hoc nomen Cambridge enatum, cum Saxonico vocabulo olim *Grantbridge* appellatum fuerit. Vltra pontem cernitur Castellum amplum & vetustum in colle situm, quod à Danis extructum fuisse perhibetur. Cis pontem, ubi Urbis pars longe maxima jacet, plateatum descriptione, templorum frequentiâ, & pulcherrimis Musarum sacrarijs sive Collegijs omnia nitent; in quibus eruditissimi Viri magno numero aluntur, omniumq; bonarum artium scientia & linguarum cognitio florent. 19.

De fundatione *Academiæ* huius oppidi & de Collegijs hæc paucula annotare placuit; Cantabrum Hispanum, Anno ante Christum natum 375. Academiam hanc primùm instituisse, & Sebertum Orientalium Anglorum Regem, Anno post Christum 630. restituisse perhibetur. Posteà Danicis procellis subinde eversa, diu neglecta jacuit, donec sub Normannico Imperio omnia dilucescere inceperint; Iam inde literarum diversoria, hospitia, & Aulæ studiosis excitata fuerunt, sed nullis possessio- Fundatio Academiæ Cantabrigiensis.

1. nibus dotata. *Primum* vero *Collegium*, quod *S. Petri domus vocatur,* Hugo Balsham Episcopus Eliensis, Anno Christi 1280. exstruxit & dotavit, quem secuti & imitati Richardus Badevv, ab Elisabethâ Clarâ Ultoniæ Comitissâ adiutus, Anno Christi Collegia scholastica Cantabrigiæ.
2. 1326. *Aulam Clarensem*; Maria de S. Paulo Penbrochiæ Comi-
3. tissâ Anno Christi 1343. *Aulam Penbrochiensem*; Societas fra-
4. trum Corporis Christi Anno Christi 1344. *Collegium Corporis Christi,* quod & S. Benedicti dicitur; Ioannes Grandensis Anno
5. Christi 1354. *Aulam Trinitatis*; Edmundus Gonevile, Anno

6. Chriſti 1348. & Ioannes Caius Medicus noſtro tempore *Geno-*
7. *villi, & Caij Collegium*; Henricus VI. Rex Angliæ, *Collegium*
Regium, Auno Chriſti 1441. (cui ſacellum adjunxit, quod inter
pulcherrima Orbis ædificia ſuo jure locum ſibi vendicat, habens
ad latus dextrum Bibliothecam inſignem, in quâ librum Pſal-
morum in membranâ ſcriptum, quatuor ſpithamas longum, &
tres latum vidimus, Hiſpanis in oppugnatione Gadium erep-
tum, & inter alia opima ſpolia in Angliam deportatum) Mar-
garetha Andegavenſis eius uxor, Anno Chriſti 1448. *Collegium*
8. *Reginale*; Eodemq; tempore Ioannes Alcockus Epiſcopus Elien-
9. ſis, *Collegium Ieſu*; Robertus Woodlacke, Anno Chriſti 1459.
10. *S. Catharinæ Aulam*; Margaretha Richmondia, Henrici VII.
11. Angliæ Regis mater, *Chriſti & S. Ioannis Collegia*, circiter An-
12. num Chriſti 1506. Thomas Avvdley Angliæ Cancellarius, *Col-*
13. *legium Magdalenæ*, quod Clariſſimus Vir. Dn. Chriſtophorus
Wrey, ſummus Angliæ Iuſtitiarius, & ædificijs & poſſeſſioni-
14. bus adauxit; Et potentiſſimus Rex Henricus VIII. *S. Trinitatis*
Collegium, Anno Salutis 1546. Religioni & bonis literis exædi-
ficavit, in cuius Sacello Withackeri Theologi Epitaphium eſt,
15. aureis literis marmori inſcriptum; *Collegium Emanuelis*, quod
bonis ſtudijs honoratiſſimus & prudentiſſimus Vir, Dn. Gualte-
rus Mildmaius Eques Auratus, & Regiæ Majeſtati ab intimis
16. conſilijs noſtrâ ætate exſtruxit; Et *Collegium Seidnei* quod no-
vum Seidneius Eques Auratus nunc molitur.

Notandum hìc, quod *in Angliâ* quædam eſt *ſecta*, quæ *Puritanorum* vocatur; Hi ex opinione Eccleſiæ Genevenſis omnes ferè cæremonias ab antiquis uſurpatas, organa item & Epitaphia è templis eijciunt, diſparitatem officiorum inter Eccleſiaſticos, ut ſunt Epiſcopatus, Abbatiæ &c. tollunt, & eiuscemodi dignitates omninò reſpuunt, hoc nomine primum appellati à *Ieſuitâ Sandes*; Non vivunt iſti ſeorſum, ſed reliquis hinc inde in Collegijs ſunt immiſti.

Puritani in Angliâ.

Botton,

10. 298. *Botton*, pagus. 11.
Prandij. 299. *Amtheil*, vicus; Hic infinitam multitudinem cuniculo- 10.
Cœnæ. rum vidimus, qui loco leporum habentur, & saporis sunt optimi.

11. 300. *Obern* } Vicos transivimus.
301. *Leitten* }
Prandij. 302. *Elßberg*, vicus. 12.
Cœnæ. 303. *Wetleff*, vicus. 12.
12. 304. OXONIUM, vulgò *Oxenford*, Athenæ Anglicæ nobilissi- 4.
Prandij. mæ, literarum & sapientiæ clarissima officina, unde Religio, humanitas, & doctrina in omnes Regni partes uberrimè distribuuntur; Oppidum egregium & nitidum est, sive privatorum ædificiorum elegantiam, sive publicorum dignitatem, sive situs salubritatem & amœnitatem spectes; Planitiem enim ita obvallant nemorosi colles, ut hinc pestilenti Austro, illinc tempestuoso Zephyro excluso, tantum serenantem Eurum & Aquilonem corruptionis vindicem admittant, unde ab hoc situ *Bellositum* quondam dictum fuisse produnt nonnulli; Alluunt hoc oppidum duo fluvij *Chervvel*, & *Isis*, vulgò *Ouse*, qui licet in unum alveum aquas consocient, Isis tamen solidus & concitatior in Austrum fertur, & nomen retinet, donec fluvium Tamam quem diu quæsierat inveniat, & ad vicum *Wallengdorff* in se recipiat, unde posteà fluviorum Britannicorum regnator composito vocabulo Thamesis appellatur, de quo non immeritò dicere liceat, eum & serere Britanniam & rigare, quod de Euphrate in Oriente dixerunt veteres.

Cæterum Collegia in hàc celebri universitate hæc sunt. Collegia Academica Oxonij.

Henrico III. Anglorum Rege adhuc regnante Gualterus Merton Episcopus Roffensis, Collegium quod in agro Surriensi posuerat Anno Christi 1274. Oxonium transtulit, locupletavit, & *Mertonense Collegium* dixit; statimq; Gulielmus Archidia-
1. conus Dunetmensis, opus illud Alfredi, quod *Vniversitatis* nunc
2. vocant *Collegium*, novis operibus restauravit; Edvvardo I. Angliæ Rege, regnante, Ioannes Belliolus Rex Scotiæ, vel ut alij

3. volunt eius parentes, *Belliolense Collegium* fundârunt; Sub Edvvardo II. Anglorum Rege Gualterus Stapletonus Episcopus Ex-
4. oniensis, *Exoniense Collegium, Aulamq; Cervinam,* & ipse Rex
5. hunc imitatus, *Collegium Regium,* vulgò *Orial,* & *Aulam S. Ma-*
6. *riæ* posuit; Posteà Philippa Regina, Edvvardi III. Angliæ Regis
7. uxor, *Collegium Reginæ,* sive *Reginale,* ut vocant; Et Simon Islep
8. ArchiEpiscopus Cantuariensis, *Cantuariense Collegium* extruxit;
9. Gulielmus Wiccamus Episcopus Wintoniensis, *Collegium*
10. magnificum, quod *Novum* dicitur, excitavit; *Collegium Ma-*
11. *riæ Magdalenæ* Gulielmus Wainflettus Episcopus Wintoniensis erexit, quod opere eximium, situ percommodum, & ambulacris admodum amœnum est; Eodemq; tempore Humfredus Dux Glocestriæ bonarum literarum admirator maximus, scholam Theologicam magnificè extruxit, & in ejus superiori parte Bibliothecam instituit, centumq; viginti novem selectissimis libris, quos magnis impensis ex Italiâ comparavit, exornavit, sed hos quorundam privata avaritia publico usui iampridem invi-
12. dit; *Collegium Lincolniense*; *Collegium omnium animarum*; *Col-*
13. *legium D. Bernhardi*; *Collegium Ænei Nasi* à Gulielmo Smith
14. 15. Episcopo Lincolniensi, regnante Henrico VII. Anglorum Rege conditum, & ab Alexandro Novvello S[ti]. Pauli Londini Decano proventibus auctum; Supra portam huius Collegij, Æneus
16. Nasus est affixus; *Collegium Corporis Christi,* à Richardo Fox Episcôpo VVintoniensi ædificatum, sub cuius effigie in Sacello Collegij hi leguntur versiculi.

Clarus Wintoniæ Præsul cognomine Foxus,
Qui prius hoc olim nobile struxit opus.
Talis erat formâ, talis dum vixit amictu;
Qualem spectanti picta tabella refert.

17. *Collegium Christi,* Thomas VVolsæus, Cardinalis Eboracensis (ubi Fridesvvidæ Monasterium erat) omnium amplissimum & elegantissimum inchoavit, quod Henricus VIII. Angliæ Rex, adjuncto Cantuarensi Collegio, magnis redditibus

duavit;

ditavit, & Ædem Christi dixit; Potentissimusq; item Princeps pecuniâ è suo Ærario depromtâ, ad oppidi dignitatem Episco-
18. pum & ad Academiæ ornamentum publicos Professores instituit; *Collegium Iesu*, ab Hugone Priso Legum Doctore exædificatum. Maria etiam Regina publicas scholas bellè à fundamentis ædificavit his additis inscriptionibus; Scholæ publicæ Oxoniensis.

Septem Artes liberales.

1.	Grammatica;	*Literas disce;*
2.	Dialectica;	*Imposturas fuge;*
3.	Rhetorica;	*Persuadet mores;*
4.	Arithmetica;	*Numeris omnia constant;*
5.	Musica;	*Ne tibi dissideas;*
6.	Geometria:	*Cura quæ domi sunt;*
7.	Astronomia;	*Altiora te ne quæsieris;*

Sequuntur virtutes scholasticæ;

1.	Patientia;	*Patientia vincit ferendo;*
2.	Humilitas;	*Modestia amicabilis;*
3.	Fortitudo;	*Fortis est qui omnem fortunam devincit;*
4.	Spes;	*Spe vivimus omnes; sed omniis fiducia sine* DEO *vana est;*
5.	Cautio;	*Cantus vincit omnia;*

Hactenus de Collegijs & Aulis, quæ eleganti structurâ, opimis redditibus, & instructis Bibliothecis ita florent, ut reliquas orbis Christiani Academias superent omnes; Nunc de personis Academicis ibi viventibus pauca subijcienda.

Studiosi vitam ferè Monasticam degunt; Sicut enim in Monasterijs olim Monachi, nullis alijs rebus, erant intenti & occupati, quàm ut statis horis, precibus ad DEUM fusis, reliquum tempus, bonis artibus, & studijs honestis impenderent, ita & hos facere oportet; *Dividuntur* porrò *in tres Mensas*; Ad primam, quæ sociorum mensa dicitur, admittuntur Comites, Vita studiosorum in Anglia.

Baro-

Barones, Nobiles, Doctores & Magistri, sed horum paucissimi, lautiusq; & liberalius, quàm reliqui tractantur; Secunda Mensa, est Magistrorum, Baccalaureorum, nobilium quoq; & Civium honoratiorum; Tertia Plebeiorum, & inferioris conditionis hominum: Dum reliqui prandent vel cœnant (quod fit in cœnaculo satis amplo, ubi omnes simul congregantur) quidam ex studiosis, in sacris Biblijs legit, quæ pulpito in centro ferè cœnaculi collocato sunt imposita; Atq; hoc lecturæ onus subire solent studiosi omnes vicibus alternis; Gratijs, sumto prandio, vel cœnâ absolutâ, actis, quilibet in suum Musæum vel cubiculum se confert, aut in hortos adjunctos, exspatiatur, quos ad omnia Collegia habent amœnissimos; *Vestitus* cum Iesuitarum fermè congruit; Etenim togis sunt induti longis ad talos usq; demissis, aliquando pellibus suffultis, pileos, gerunt quadrangulares; Doctores verò Magistri, & illi, qui Præceptorum aut Professorum munere funguntur, peculiaribus utuntur togis, ut à reliquis dignoscantur; Ad *Bibliothecam* in unoquoq; Collegio, quilibet studiosus profectioris ætatis habet clavem. Conspiciuntur in angulo quodam oppidi rudera arcis satis amplæ, sed penitus dirutæ. In cœnâ fuimus excepti, Musicâ excellentissimâ, varijs & diversis ex instrumentis concinnatâ.

13. 305. Postridie exspatiati sumus ad Arcem Regiam *Woodstocke*, ubi Ethelredus Angliæ Rex olim Ordinum conventum habuit & leges tulit; Est hæc Arx magnificentiæ plena, ab Henrico I. Angliæ Rege constructa, qui etiam *vivarium* amplissimum, *saxeo muro cinctum*, adjunxit, quod primum in Anglia vivarium fuisse scribit Ioannes Rossus. In hâc ipsâ arce, Regina Angliæ Elisabetha, quæ nunc rerum potitur, antequàm turri Londinensi includeretur, à Mariâ sorore captiva fuit detenta, quæ cum in maximo vitæ versaretur discrimine, carbone rithmos hos Anglicos à se compositos, fenestræ ligneæ, propriâ manu inscripsit, quos hic subingere placuit; 6.

Oh fortune thy Wresting vvavering state,
Hath fraught vvith Cares my troubled vvitt;

Whose

Whese vvitnes this present prisonn late,
Could beare mhere once vvas Ioy floune quitt,
Thon causedst the gniltle to be losed,
Frombandes vvehre innocents vvehre indosed,
And consed the gniltles, te be reserned.
And freed these that death had Vvell deserned,
Butt allhereni canbe nothing Vvronghle,
So God send to my foes althey have tonghle.

Elisabethe the Prisonner.

1555.

Sensus horum in subsequentibus versiculis utcunq; videtur expressus;

O fortuna tuum semper variabile numen,
Implevit curis animum mordacibus agrum;
Carcer hic est testis, qui gaudia cuncta removit;
Sapè tetris miseros tentasti solvere vinclis
Et servare tibi innocuos justissima cura;
Sed tamen inde tuo fallaci fidere vento
Nulli consultum puto; Nam mutaris in horas;
Tandem Iova Pater, qui servantissimus aqui,
Et scelerum vindex es justus, tela retunde,
In me missa, meis inimicis lance repende
Æquâ, fac videam proprijs contraria votis.

Elisabetha captiva. Pt.

Non procul ab hâc Arce videntur *rudera ædium* cum fonte scaturientis aquæ purissimo, *Rosamunda Cliffordia*, quam Henricus II. Rex Angliæ propter eximiam & liberalem formam adeò deperijt, ut eius pulchritudo omnes alias ex ipsius animo deleret mulieres; quæ tandem enecata fuisse dicitur veneno à Regis uxore;

Tumuli reliquia ex lapide, characteribus penè corruptis, sunt hæ; ——————— *adorent,*

T. Vtq.

Utq; tibi detur requies Rosamunda precamur. Rosamundæ Epitaphium.
Monachus quidam hoc rithmicum ei fecit Epitaphium;
Hic jacet in tumbâ Rosa mundi non Rosamunda,
Non redolet sed olet, quæ redolere solet.

Reversi hinc Oxonium, à prandio iter nostrum ulterius
Prandij. 306. sumus prosecuti, & *Nevvhelm*, Arcem Regiam, in quâ pauperes ex regiâ liberalitate sustentantur, transivimus.
14. Cœnæ. 307. *Nittelbett*, pagus. 14
308. *Henley*, oppidulum transivimus. Hic colles Chilternici perpetuo dorso, in Aquilonem procurrunt, & Oxoniensem agrum à Buchinghamiensi disterminant.
309. *Madenhood*, vicum transivimus.
Prandij. & Cœnæ. 310. VINDESORIUM, vulgò *Vindsore* Regium in Angliâ Castrum, Arturi Regis tempore primâ fundatione constructum putatur, ac deinde ab Edvvardo III. multis ædificijs adauctum, situ gaudet peramœno, ut certè amœniorem sedes Regia vix habere possit. Clementer enim ex ædito colle jucundissimo, in agrum planum atq; compascuum, fruitur conspectu; A fronte vallem despectat, longè lateq; procurrentem, atvis distinctam, pratis viridantem, nemoribus hinc inde vestitam, & placidissimo Thamesi irriguâ; A tergo, colles passim assurgunt, nec asperi nec præalti, saltibus coronati, & venationi à naturâ ipsâ, quasi dicati. 15.

Hâc loci amœnitate pellecti Reges sæpissimè huc secedunt; Et hic ad Galliam vincendam natus est Edvvardus III. Angliæ Rex potentissimus, qui hoc castrum quasi Urbis æmulum, fossis & propugnaculis ex quadrato saxo munitissimum de integro construxit, statimq; debellato Gallo & Scoto, Ioannem Regem Galliæ, & Davidem Scotiæ in hoc captivos, uno eodemq; tempore detinuit. Porrò *Castrum* hoc præter Regiam sedem, & magnifica Regum sepulchra, Garretteriorum sodalium cæremoniâ *celeberrimum* est. Hæc autem Equestris societas, ab Edvvardo III. qui à Ioanne Gallorum Rege capto, speciosissimè triumpha-

umphavit, est instituta. Sunt verò *Garretterij Equites*, bellicâ virtute vetustateq; Natalium lectissimi Duces, qui solemni sacramento adacti, mutuæ, perpetuæq; amicitiæ se devovent, nec ad tuendum Collegij decus, nobili conspiratione quodvis periculum adire, nec subire mortem recusant. *Garetterij* autem *Sodales* ob id appellantur, quod sinistri cruris suram fibulato baltheolo, vel cæruleâ periscelide (unde & *Equestris Periscelidis Ordo* dicitur) aureis literis Gallicè inscripta; *Honi Soit qui mal ij pense*, h. e. ignominiâ afficiatur, qui malè cogitat, sinistram tibiam substringunt, in memoriam caligariæ fasciolæ, quæ illustri fœminæ, ab Edvvardo flagranter adamatæ, dum ea choream saltaret, soluto fortè nodo deciderat, eamq; Rex ipse repentè sustulerat, ut in honorem mulieris, non amatoriâ vanitate, sed gravi & maximè honestâ ratione, insignium Procerum tibijs dicaretur. Eius autem Collegij, cæremonia, Vindesorij quotannis, stato die D. Georgio Cappadoci, Equitum tutelari dedicato, præsidente Rege, celebratur, mosq; est, ut Sodales galeam & scutum, cum gentilitijs insignibus, conspicuo templi loco, suspendant. Garrettterij Equites in Angliâ. Equestris Periscelidis Ordo.

Tres præcipuas *areas latas & amplas* Castrum hoc Vindisorium, non sine gratâ spectantium voluptate ostentat. Quarum *priori* nitidissimis ex candido saxo, supernè planis, plumboq; contectis ædificijs cincta, Garetterijs Equitibus hospitia præbet; habetq; insularem in medio domum, præcelsâ turri conspicuam, quam Gubernator Præfectusq; Castri inhabitat; In eâ publica est culina, suppellectili, rebusq; culinarijs atq; domesticis instructa, & spaciosum triclinium, in quo Equites, communi quotidiè mensâ utuntur. Ad hanc autem Garetteriam societatem Angliæ Rex & Gubernator, idoneas pro voluntate suâ personas deligit; quas nobili ex parentelâ tertio propinquitatis gradu esse oportet, quiq; ob graviorem ætatem, reiq; familiaris angustias, precibus DEO offerendis, quam bellicis tumultibus magis habentur idonei; Singulis pensionis annuæ XVIII. libræ, denarij V. assignantur, & vestis. Huius autem tam magni- Castri Vindisorij tres areæ. I. Area.

ficæ fundationis, præcipuum institutum est, ut pro incolumitate Regis, & pro felici administratione Regni, quotidianas ad Deum preces fundant, hinc rebus divinis vacant, & bis quotidiè ad Sacellum, orationis gratiâ conveniunt; Hæc etiam area ad lævam magnificâ structurâ exornatur, Sacello peraugusto CXXXIIII. passus longo, & XVI. lato; in quo pro Equitum numero XIIX. Subsellia à temporibus Edvvardi III. parata habentur. Estq; ædicula hæc sacra, magnificis Regum monumentis, decorata, Edvvardi IV. Henrici VI. & VIII. eiusq; Conjugis Reginæ Ioannæ. Sacellum hoc Regiâ liberalitate dotatum 2000. libras annuatim habet, qui quidem proventus Edvvardi III. & Henrici VII. Regum munificentiâ, plurimum sunt adaucti. Cæterùm in hanc Periscelidis ordinis societatem, potentissimi quiq; Orbis Christiani Principes cooptari, instar maximi honoris duxerunt, & jam à primâ institutione, in hunc ordinem, qui è XXVI. Equitibus constat, Reges ascripti fuerunt, plus minus XX. præter Angliæ Reges, qui eiusdem Præsides habentur, ut Duces & alij maximi nominis taceantur plurimi.

In choro Sacelli interiore videntur *insignia, gladij & vexilla* XVI. *suspensa*, inter quæ sunt Caroli V. & Rudolphi II. Imperatorum, Philippi Hispaniarum, Henrici III. Galliarum, & Friderici II. Daniæ Regum &c. Casimiri Palatini Comitis ad Rhenum &c. aliorumq; Orbis Christiani Principum, qui in hunc Periscelidis Ordinem sunt cooptati.

In choro posteriore vel appendice huius Sacelli, monstrabantur nobis præparamenta quædam ad *sepulchrum* magnificentissimum *Cardinalis Wolsai*, posteà capite plexi. Sunt in ambitu IIX. magnæ columnæ ex Orichalco; propius ad tumulum IV. in formam candelabrorum factæ; Tumulus ipse ex marmore candido & nigro &c. quæ omnia, uti fama est, in sepulturam Reginæ Elisabethæ asservantur; Sumtus in hanc rem jam facti æstimantur, *ultra 60000. auri libras*. Conspicitur deinde in Sacello toga equestris Edvvardi III. Item Epitaphium Edvvardi Finij Lincolniæ Comitis Clintoniæ & Saiæ Baronis, inclyti Perisce-

lidis

lidis Ordinis militis & summi quondam Angliæ Admiralij.

Altera editiore in loco Arcis VVindesorij Area validissimis cincta muris, turri & magnificis ædificijs clara, vetus quondam castrum fuit, de quo hunc in modum veterum Annales; Anno Domini 1359. Rex Edvvardus incipit novum ædificium in Castello de VVindesore, ubi natus fuerat, ob quam causam illum locum amplioribus ædificijs & splendidioribus decorare præ cæteris procuravit. In hâc Castri Regione, Ioannes Galliæ Rex, & David Rex Scotiæ, de quibus uno eodemq; tempore, Edvvardus III. magnificè triumphavit, tenebantur captivi; Quorum consilio, ob jucundam loci amœnitatem, & sumtibus ob sui redemptionem hoc castrum in eam magnificentiam paulatim excrevit, ut non arx, sed justæ magnitudinis & humanis præsidijs inexpugnabile oppidum videatur. Et hæc quidem castri regio, solius Scotiæ Regis, unicâ exceptâ turri sumtibus constructa est, quam, quia VVinchestoriæ Episcopus Sodalitij equestris Prælatus condidit, VVinchestriæ turrim appellitant. Hæc gradus habet C. eâ opificum industriâ perfectos, ut facilem equis ascensum præbeant; CL. passus in ambitu continet. In eâ omne armorum genus, ad Arcis defensionem necessarium, asservatur. Area II.

Tertia demum celeberrimi VVindesorij Castri area longè amplissima, captivi Gallorum Regis impensarum sumtibus ædificata; ut editiore situ, ita elegantiâ atq; nitore priores longè superat. Ea CXLVIII. passuum longitudine, & XCVII. passibus in latum protenditur. In medio fontem limpidissimæ aquæ, per occultos terræ meatus, quatuor milliarium spatio, maximis sumtibus deductum, ostentat; Sumtuosissimis insuper ædificijs clausæ, qua orientem spectat, Regiæ nobilitati tecta præbet; Meridiem versus Sphæristerium habet aulicæ recreationi destinatum; Septentrionale verò latus decenter exornat domus regia, magnificis cænaculis, aulis & hypocaustis, privatoq; Sacello, cuius concameratio superior rosis & lilijs deauratis est distincta; In eo quoq; amplissima illa cœnatio conspicitur LXXVIII. Area III.

passus longa, lata verò XXX. in quâ solemni & peringenti sacrorum pompâ, annuam D. Georgij tutelaris, memoriam, Garetterij Equites celebrant.

Inde CCCLXXX. passus longa, septem verò lata ambulatio incredibili venustate se offert fulcimentis ligneis undiquaq; conscepta, quæ nobilibus magnificisq; Viris, sustentacula præbet, ut inde Venationes, & falconum aucupia, in areâ admodum latâ conspiciant. Nam prata ac pascua vario herbarum ac florum genere, vestita, perenni viriditate collibus ad castrum usq; leniter intumescunt, deinde in libratam planitiem, maximâ spectantium voluptate, sese ostendunt.

Præter jam commemorata, notatu quoq; digna sunt; 1. *Hypocausta* duo, speculis constrata, & incrustata; 2. *Cubiculum* in quo natus est Henricus VI. Angliæ Rex; 3. *Cubiculum Reginæ Elisabethæ*, in quo Mensa est, marmore rubro candidis fibris asperso; 4. *Xystus* figuris & emblematis gypso impressis undiquaq; ornatus; 5. *Cubiculum*, in quo Regij lecti cubiculares sunt, Henrici VII. & uxoris ipsius, Edvvardi VI. Henrici VIII. Annæ Boleniæ, qui omnes in longitudinem & latitudinem XI. ferè habent pedes, tapetis auro & argento fulgentibus instrati; Elisabethæ quoq; Reginæ lectus, varijs tegumentis, & stragulis acu pictis adornatus, sed non tam longus & largus ut cæteri; *Tapetum* in quo repræsentatur Clodoveus Galliæ Rex cum Angelo florem liliorum ipsi porrigente, ut eo pro insignijs uteretur; Etenim Galliæ Reges anteà tres in scuto habebant bufones, in quorum iocum, tria lilia aurei coloris, in campo cœruleo, reposuerunt; Atq; hoc tapetum vetustissimum Regi Galliæ ereptum esse dicitur, tum temporis, cum Angli Galliâ potirentur. Monstrabatur hic inter cœtera nobis *Monocerotis cornu*, in longitudine 8½. spithamas excedens, valoris 100000. librar. auri; *Avis Paradisi* tres spithamas longa, tres verò digitos crassa, rostrum habens cœruleum, sesquiarticulum digiti longum; Superior capitis pars, coloris lutei; inferior autem optici; infe-

Lecti regij in Anglia.

Insignia liliorum Galliæ Regum unde.

Cornu Monocerotis in Anglia Vindesorij.

Avis Paradisi Vindisorius

riusſub gulâ plumæ utrinq; exertæ, coloris ſubrubei ſunt, quemadmodum & in dorſo & reliquo corpore; alarum longitudo coloris lutei, duplo maior eſt, ipſâ ave; Supra dorſum eminent juxta avis longitudinem, duæ utrinq; fibræ aut nervi, quorum extremitas maior, fili craſſioris formam habet, coloris plumbei, & ad nigredinem vergentis, quibus, cum pedibus careat, quieſcere volens arboribus inhærere dicitur; *Pulvinar* à Regina Eliſabethâ, artificioſiſſimè propriâ manu contextum. rij in Anglia.

E. regione Vindiſorij trans Thameſim, cujus utraq; ripa ponte ligneo hic conjungitur, *Ætona* cernitur, Collegium nitidum, & literarum humaniorum celebre Gymnaſium, ab Henrico VI. conſtructum, in quo præter Præfectum, Socios VIII. & Cantores, pueri ſexaginta gratuitò aluntur; Grammaticam docentur, & tamdiu in hoc Gymnaſio commorantur, donec exploratâ ingeniorum ſagacitate, & facto in ſtudijs progreſſu in Academiam Cantabrigienſem mittantur. Ætona celebre Gymnaſiũ Vindiſorij.

Cum hinc ad diverſoriũ noſtrum reverteremur, fortè fortunâ incidimus *in ruſticos ſpicilegia ſua celebrantes*, qui ultimam frugum vehem, floribus coronant, additâ imagine ſplendidè veſtitâ, quâ Cererem forſitan ſignificare volentes, eam hinc inde movent, & magno cum clamore Viri juxta ac mulieres, ſervi atq; ancillæ, currui inſidentes per plateas vociferantur, donec ad horreum deveniant; Agricolæ fruges hic non in manipulos, uti apud nos fieri conſuevit, colligunt, ſed ſtatim, quamprimum reſectæ vel demeſſæ ſunt, carris imponunt, & in horrea ſua convehunt.

311. *Stanes*, vicum tranſivimus.

15. 312. HAMPTONCOURT, Arx Regia, ex coctis lateribus à Thomâ Wolſæo Cardinale ad opes ſuas oſtentandas magnificè extructa, quæ quinq; peramplas areas, cultiſſimis ædificijs cinctas, opere admodum ſpecioſo includit. Ad portam ſecundæ areæ eſt *aurea Roſa*, cum Symbolo Reginæ; Dieu eſt mon droiſt; Ex alterâ parte, interiore nempe, hujus portæ, ſunt XII. Impe- 5.

ratorum

ratorum Romanorum effigies ex gypso. Area ipsa primaria, lapide quadrato constrata est, in cuius centro fons salientis aquæ, coronâ deauratâ statuæ justitiæ subpositâ tectus conspicitur, quam columnæ ex marmore albo & nigro sustinent. *Sacellum Arcis splendidissimum* est, in cuius superiori parte, Regia sedes tota transparet & pellucet à fenestris cristallinis. Deducti fuimus in Cameras Duas, quas præsentationem vel audientiæ vocant splendentes tapetis aureis, argenteis & sericis diversi coloris; Sub Regio, sive Majestate ex margaritis hæ voces erant consutæ; *Vivat Rex Henricus* VIII. Est ibi quoq; parvum Sacellum tapetis splendidè ornatum, in quo Regina sacra tractare solet; In cubiculo Reginæ lectus, preciosissimis stragulis sericis erat coopertus; Non procul abhinc vidimus lectum, cuius conopoea Anna Bolonia texuit, & Henrico VIII. Angliæ Regi marito suo donavit. Omnia reliqua conclavia, quorum sunt plurima, tapetis artificiosissimè ex holoserico diversi coloris, auro & argento textis, quibus ex parte historiæ sunt impressæ, ex parte habitus Turcici & Americani ad vivum repræsentati, erant adornata.

In atrio hæc visu digna;

Speculum pellucidum, imagunculis & columnis ex alabastrite factis ornatum; *Effigies Edvvardi* VI. Regis Angliæ fratris Elisabethæ Reginæ; Vera *Lucretiæ effigies* cum pugnâ Papiensi depicta; *Historia Passionis Christi* ex cochleis margaritarum sculpta; Vera *Mariæ* Stuartæ *Scotiæ Reginæ* securi percussæ, eiusdemq; filiæ *imago*; Effigies *Ferdinandi Principis Hispaniarum*, Philippi filij, & *Henrici* VIII. *Angliæ Regis*, sub cuius pictura *Biblia sacra* eleganter *in membranam scripta* erant collocata; *Sphæra artificialis*; Varia *instrumenta Musica*; *Tapetia* in quibus Æthiopes Elephantib' insidentes repręsentantur; *Lectus* in quo natus perhibetur Edvvardus VI. matre puerperâ Semeriâ in eodem morte extincta; In cubiculo quodam *tapetia* erant *ditissima*, quæ parietibus affigi solent, quando legati peregrini, ad Reginam

nam admittuntur. Multa ibidem *Pulviaria, auro & argento decorata,* multæ vestes stragulæ, & tegumenta lectorum, pellibus Ermelinis suffulta; Omnia deniq; tabulata per totam arcem auro argento & fulgentia. Porrò est quoddam in hac Arce *conclave,* quod *Paradisus* appellatur, in quo præterquam quod omnia & auro argento utq; gemmis ita resplendent, ut oculos hebetent, est *Instrumentum Musicum* totum *vitreum,* solis chordis aut setis exceptis. Introducti posteà in hortos amœnissimos, vidimus Rosmarinum ita parietibus implantatum & applicatum, ut eos omnes penè contegeret; Estq; hæc Rosmarini fruticis plantatio in Angliâ frequentissima.

313. *Kingston,* vicus. 11.

Prandij. 314. NONESUCH aut *Nonesutsch,* ut nos pronunciamus, Secessus Regius, quem magnificentissimus Rex Henricus VIII. in loco saluberrimo, prius *Cuddington* dicto, delitijs & otio suo destinavit, tantâq; magnificentia & elegantiâ exstruxit, ut ad ostentationis arcem aspiret; & omnem Architectonices peritiam, in uno hoc opere coacervatam existimes; Tot sunt ubiq; spirantia signa, tot absolutæ Artis miracula & Romanæ antiquitatis æmula opera ex gypso affabrè facta, ut optimo jure hoc suum nomen habeat & tueatur, quod Latinè ut nonnullis placet, *Nulli secunda,* sonat, vel ut alius cecinit; 4.

Hanc, quia non habeat similem, laudare Britanni
Sæpe solent, Nulliq; parem, cognomine dicunt.

Ædes verò ipsas sic circumcingunt vivaria, damis referta, horti delicati, luci topiario opere exornati, areolæ & ambulacra sic arboribus obumbrata, ut non aliam sibi sedem ipsa Amœnitas, ubi cum Salubritate unâ cohabitet, delegisse videatur.

In hortis voluptuarijs & artificialibus, multæ sunt columnæ & pyramides marmoreæ; *fontes* itidem salientis aquæ *duo,* alter formâ rotundâ, alter pyramidis instar, cui aviculæ insident aquam exspuentes; In luco Dianæ, in quo fons artificialis est visu admodum jucundus, Actæon aspersione DEarum in cervum transmutatur, hâc inscriptione additâ.

Y Actæon

Actæon.

Splene opus humano, capiti si Pictor equinas
Iungere cervices aut canis ora velit;
Cervinum Diana caput, cervibus istu
Addit, in injusto, viscera justa rogo.

Diana.

Mente opus humanâ, ne feros in corpore mores,
Parrhasius pingat, Praxitelesvè dolet.
Cervina Actaon tua sunt pracordia; quidni
Cornua sint? prudens pectora stulta queror.

Videtur postea alia quoq; pyramis marmorea, ex qua undiquaq; fistulæ exeunt; quæ obviantes aspergunt.

Cœnæ. *Londinum.* 9.

Brevis Angliæ Descriptio.

BRITANNIA, quæ hodie *Anglia* & *Scotia* duplici nomine appellatur, & duo in se Regna continet totius nostri Orbis Insula maxima est, & oceano, Mari Germanico & Gallico ambitur; Pars huius maxima & Australior nunc Anglia, ab Anglis, qui ex Provinciolâ Regni Daniæ, quæ hodiè Angel nuncupatur, progresseam occupârunt, sic denominatæ, proprium habet Regem, qui præter DEUM, superiorem non agnoscit. Divisa est Regio in *XXXIX. Comitatus*, quibus *XIII.* in Walliâ adjunxit Henricus *VIII.* Angliæ Rex, qui primus eam Regionem, in Comitatus distribuit: In hisce Comitatibus difficilioribus temporibus, Præfectus Regius, quem *Lieutenant* vocant, ne quid detrimenti capiat Respublica, constituitur. Singulis verò annis Nobilis quidam ex Incolis præficitur, quem *Vice Comitem*, quasi Comitis Vicarium vocant: Eius est publicas pecunias Provinciæ suæ conquirere, mulctas irrogatas, vel captis pignoribus colligere & Ærario inferre; Iudicibus præstò adesse, & eorum mandata exequi; Duodecim Viros cogere, qui in causis de facto cognoscunt, & ad Iudices referunt (*Iudices* enim in

Anglia,

Anglia, *Iuris solum, non facti* sunt Iudices) condemnatos ad supplicium ducere & in minoribus litibus cognoscere: In majoribus autem jus dicunt *Iusticiarij*, quos olim Itinerantes, nunc Iustitiarios ad *Assisas* vocant, qui quotannis hos Comitatus bis obeunt, ut de caussis cognoscant, & de incarceratis sententiam ferunt.

Quod ad Ecclesiasticam Iurisdictionem attinet; Cum Romani Pontifices Ecclesias singulas singulis presbyteris assignassent, & Parochias eis divisissent, Honorius ArchiEpiscopus, Cantuariensis, circa Annum à salute reparatâ *636.* Angliam primus in Parochias distribuere cepit. Quemadmodum autem *Duas* nunc *Anglia habet Provincias*, sic *ArchiEpiscopos duos, Cantuariensem* nimirum, totius Angliæ Primatem & Metropolitanum; *& Eboracensem*; Quibus subsunt *XXV.* Episcopi; Cantuariensi *XXII.* Eboracensi tres reliqui.

Terra est frugifera, pecore maximè abundans, quo fit, ut incolæ quasi plures pecuarij, quã aratores sint; quod magis fermè pabulo quam arvo colendo studeant; sicut tertia propemodum terræ pars tantum pecori relicta sit inculta. Regio est, quocunq; Anni tempore temperatissima, atq; cœli nulla gravitas, adeò ut *rari* sint *morbi,* & inde minor Medicinæ usus quàm alibi. *Fulmina* hic admodum *rara.* Solum est fæcundum, sed *vinum tellus non gignit,* verum aliunde nobilissima vina importantur, uti sunt, Aurelianensia, Gasconica, Rhenana, Hispanica. *Cerevisia* quæ ex hordeo coquitur *maximo in usu est, optimiq; saporis,* sed fortis, & quæ facilè eos inebriat. Colles passim multi, nullis arboribus consiti, neq; aquarum fontibus irrigui, qui herbam tenuissimam atq; brevissimam producunt, quæ tamen ovibus abundè pabulum suppeditat; per eos ovium greges candidissimi vagantur, quæ sive cœli, seu bonitate terræ, mollia, & longè omnium aliarum Regionum tenuissima ferunt vellera. Hoc *vellus verè aureum* est, in quo potissimum Insulanorum divitiæ consistunt; nam magnã & auri & argenti copia à negotiatoribus ejusmodi inprimis coemendi mercis gratia, in Insulam

quotannis importatur. *Canes* præstantissimos habet. Fert *aurum, argentum, stannum* (ex quo vasa domestica ducta, apud omnes Europæos, in mensarum usu, argenteis fulgore comparantur) plumbum & ferrum, sed eius exigua copia *Equos* parvos, sed celeres habet; *Vitraria officinæ* permultæ.

De moribus Anglorum.

Sunt Angli graves ut Germani, magnifici domi forisq; magna assectantium famulorum agmini secum trahunt, quibus in sinistro brachio scuta ex argento facta appendunt, & non immeritò vexantur, illos caudas à tergo habere; In saltationibus & arte Musicà excellunt; Sunt enim agiles & alacres, licet crassiores corporibus quam Galli; mediam capitis partem capillos detondent, utroq; latere illæso; sunt boni nautæ & insignes pyratæ, astuti, fallaces, & furaces; Londini singulis annis, ultra 300. sicuti vulgò fertur, suspenduntur; Decapitatio minoris apud ipsos est infamiæ, quàm strangulatio; Ire prope murum honoratior eis locus; Frequens falconum & accipitrum apud Nobiles in Venationibus usus; In edendo civiliores Gallis, parcius utuntur pane, carnibus verò largius, quas optimè assant; In potum copiosè immittunt saccarum; Tegumenta lectorum sunt tapetia, etiam apud Rusticos; laborant frequenter leprâ, albâ vulgò dictâ, quam primis Normannorum temporibus in Angliam irrepsisse, fama est; In ædibus duas plærunq; contignationes habent, excepto Londino, ubi tres rarò quatuor reperiuntur; Ædificant ex ligno, vel, qui lautioris sunt fortunæ, ex coctis lateribus, tecta habent depressiora, quæ ditiores plumbo tegunt.

Sunt potentes in prælijs, undiquaq; debellant adversarios, nullumq; penitus patiuntur jugum servitutis. Delectantur quoq; valdè sonitibus, qui ipsis aures implent, uti explosionibus tormentorum, tympanis & campanarum boatu, ita ut Londini, multi qui se inebriaverint turrem unam aut alteram, exercitij causa ascendant, & per horas aliquot, campanis signum

dent,

dent. Si quem exterum egregia forma & statura ornatum vident dolore dicunt, quod non sit homo Anglicus, vulgò *Englishmen.*

Familiæ illustres in Anglia hæ habentur, & quæ desierunt cruce notavi.

✝ Th. Hovvard, Dux Norfolciæ, & Comes Surriæ, hæreditarius Mareschallus Angliæ; Ducatus desijt ob perduellionem, ille capite truncatus. ✝ Gray Dux Suffulciæ, sublatus titulo sub Maria. ✝ Phil. Howard Co. Arundell jure materno, & Surriæ paterno, filius superioris Ducis Norfolciæ, damnatus læsæ Majestatis & amisit dignitates. Edwardus Vere Comes Oxonij, est hereditarius Camerarius Angliæ. Percy. Co. Northumbriæ, ortus à Ducibus Brabantiæ. ✝ Carolus Nevill Comes Westmerland exulat in Belgio, bonis & dignitate exutus ob rebellionem. Talbott Comes Salopiæ Anglicè, Shrerosbury. Gray Comes Cantij exiguos habet reditus. Stanly Comes Derbiæ & Regulus Mauniæ. Mannors Comes Rutlandiæ. Sommerset Comes Worcestriæ, ortus à spurio Sommers. familiæ, quæ stirps est è Regia Plantaginalorum familia. Clifford Comes Cumberland. Ratcliff Comes Sassexiæ. Hasting⁹ Comes Hunligton, è familia Eboracensi per feminam. Bourchier Comes Bath. ✝ Ambrosius Sutton alias Dudley Comes Warwici obijt ἄπαις ante aliquot annos. Wriolhesly Comes Sonthampton. Russel Comes Bedford. Herbert Comes Rembroke. ✝ Edwardus Seymour Comes Hertford, filius Ducis Sommersetti capite mulctatus sub Edwardo *VI.* ✝ Robertus Sutton vel Dudley Comes Leycestriæ frater Warwicensis, obijt ante aliquot annos. Robertus d' Euvreux Comes Essexius & Essuanus in Norm. creatus hereditarius Mareschallus Angliæ, 1598. Carolus Howard è familia Ducum Narfolciæ, creatus Comes Notthingam 1597. Angliæ Ammiralleus & Consiliarius Regius. Fiesnes Comes Lincolniæ. Broune Vicecomes Montis acuti. Howard è familia Ducum Narfolciæ, Vicecomes Bindon. Novill Abergareny Baro; de hac Baronia jam controvertitur. Touchet Baro Andley.

Zouch Baro Zouch. Peregrinus Berty Baro Willonghby de Ersby & Beake, Præfectus Bervvick. Barckley Baro. Barckley ex antiqua familia Regum Daniæ. Parcker Baro Marley. ✠ Dacre Baro Dacre, de Gyllesland, vacat hæc Baronia. ✠ Baro Dacre ad Austrum, obijt ante quatuor annos, Baronia ad filiam pervenit. Brosze Baro Cobham, Guardianus quinq; portuum. Stafford: Baro Stafford. ad inopiam redactus, Heres est familiæ Ducum Buckinghamei; qui hereditarij erant Connestabilis Angliæ. Gray: Baro Gray de VVilton. Sorvvpe: Baro Sorvvpe de Boulton. Subton Baro Dudley. Sturton: Baro Sturton. ✠ Nevill Baro Lalimer, obijt ante aliquot annos sine masculis heredibus, de Baronia controvertitur. Lumley Baro Lumley. Blunt Baro Montioy. Ogle Baro Ogle. Darcy Baro Darci. Parcker Baro Mounbegle, filius & hæres Baronis Morley. Hanc Baroniam habet jure matris è familia Stanley. Sandes Baro Sandes. Vaux Baro Vaux. VVindsor Baro VVindsor. VVentvvorth Baro VVentvvorth. Borough Baro Borough ad inopiam redactus. Baro Mordant. Baro Evers. Baro Rich. Baro Sheffield. Baro North Consiliarius Regius & Thesaurarius hospitij Regij. Baro Hundsdon Consiliarius Regius & Cubicularius hospitij Regij. Sackvill Baro Buckhurst Consiliarius Regius. Tho. Sicil: Baro Burghley filius Thesaurarij Angliæ. Cicil Baro Rosse Burghley è filio nepos Thesaurarij pronepos. Adhuc puer habet Boroniam jure matris, filiæ Comitis Rutlandiæ. ✠ Hovvard de Matravers, filius Comitis Arundell, adhuc natalibus non restituitur. ✠ Baro Cheyny. Baro Cromvvel. Baro VVharton. Baro VVillonghby de Parham. ✠ Baro Pagett exulat dignitate exutus. Baro Chandois. Baro St Iohn. Baro de la Ware, ipsius majores ceperunt Regem Galliæ. Baro Compton penè omnia dissipavit. Baro Norris. Tho. Hovvard filius secundogenitus Ducis Norfolciæ, Baro Andley de Saffronvvalden jure materno. ✠ Guilielmus tertius Norfolcij filius neq; Baro est, neq; adhuc natalibus restitutus. Hactenus de familijs illustribus.

Navi-

22. Navigio Thamesi secundo Londino discessimus & *Graenevvviciam*, Arcem Regiam à dextra reliquimus de quâ supra.

315. *Barcking*, vicus à sinistrâ conspectus.

23. Coenae. 316. *Gravesendo*, Angliae oppidulum portu commodo celebre, ad quod maximae naves ex Belgio appellere solent. Hinc cum postridiè cymbâ progrederemur ulterius; prius Nobiliss. Davidi Strzielae Boëmo, & Thobiae Salandro Inspectori ipsius, nostris per Galliam & Angliam Comitibus indivisis, qui per Belgium in patriam redire cogitabant, ultimum vale diximus, nobis rursum in Galliam contendentibus; DEUS autem ter maximus voluntati ipsorum restitit; Nam adhuc praesentibus nobis, optimum Strzielam diarrhaeâ correptum, paucis post discessum nostrum diebus, uti ex literis Salandri postea percepimus, Londini febris ardens extinxit. 22.

317. *Quinckburg*, Castellum à dextrâ vidimus; Inde cum paulò ulterius essemus progressi, ostrea in ipso Mari in nostro conspectu capiebantur, quae alibi non delicatiora nec plura, teste Ortelio in Epitome Theatri Orbis terrarum in Angliâ.

318. *Witzsteffel*, pagus. hic navigio egressi. 35.

319. CANTUARIUM, ubi sedes ArchiEpiscopi & Primatis Angliae est, oppidum pervetustum, Romanoq; saeculo proculdubio, illustre, quod alias etiam *Cantuaria*, vulgò *Canterbury* dicitur, pedites venimus. *Duo* sunt hic *Monasteria* penè contigua, 4.
Christi scilicet, & D. Augustini, utrumq; aliquando Monachis ordinis D. Benedicti repletum; quorum alterum, Christi nomine obliterato, temporibus subsequentibus D. Thomae dedicatum est, situm quasi in medio oppidi sinu, & tantâ Majestate, cum duabus ingentibus turribus in coelum se erigens, ut procul etiam intuentibus, quemadmodum Erasmus inquit, religionem incutiat.

In choro templi istius, cuius ingressum cancelli ferrei prohibent monumenta videntur sequentiâ;

Henrici IV. Regis Angliae cum uxore suâ Navarraeâ ex marmore candido.

Nico-

Nicolai VVoltonis, qui fuit consiliarius, Henrici *VIII.* Edvvardi *VI.* Mariæ & Elisabethæ, Angliæ Regum & Reginarum.

Edvvardi Principis quondam tertij in Aquitaniâ, Ducis de Corne Kolle & Comitis Cestriæ.

Reginaldi Poli cum hàc inscriptione;

Depositum Reginaldi Poli Cardinalis & ArchiEpiscopi Cantuariensis. Cardinalis Chastillon.

Sellam deinde vidimus, in quam collocari solent Episcopi, quando investiuntur. In vestibulo templi, quod est ad Austrum, in saxum incisi sunt tres armati, qui Thomam Beckettum ArchiEpiscopum Cantuariensem, ob martyrium inter Divos relatum, trucidarunt, additis his cognominibus.

TUSCI; FUSCI; BERRI;

Hic cum ambulando defessi, nos pane & cerevisiâ aliquantulum refecissemus, postea statim equos cursorios côscendimus,
320. & secundâ aut tertiâ noctis horâ, in oppidum *Dubrim*,
Cœnæ: vulgò *Dover*, venimus. In viâ, quæ satis erat aspera & pericu- 12.
sa, tale quid nobis accedit; Dux viæ, vulgò *Postillon*, adolescens, ad globuli sclopetarij ictum, cum duobus ex nostris comitibus præcesserat; nos tardius insequendo socios nostros in tenebris è conspectu nostro amittimus; Reperimus postea bivium; ad dextram locus erat declivis & palustris; ad sinistram colliculus; Hic dum dubij, utra harum viarum eligenda sit consultamus, ecce derepentè videmus à dextro latere equites quosdam, nostris quoad equos, quoad vestitum & staturam corporis omninò similes; quapropter lætabundi illos sequi statuimus. Sed accidit, ut isti, DEO ita nos protegente, nobis inclamantibus, nihil responderent, sed viam suam palustrem persequerentur, adeò strenuè, ut singulus pedum positus & ictus multæ comitarentur flammæ igneæ; quæ res non immeritò nobis suspicionem movit de latronibus, de quibus eramus admoniti, vel de spectris nocturnis potius, quæ, sicuti posteà nobis quoq; relatum est, in istis

locis

locis solent esse frequentia; Accedebant ignes fatui magno numero, ita ut horrore vel stupore quodammodò concuteremur; Verum factum est, ut paulò pòst *Via Dux* cornu signum daret, quo indicio, nos ad sinistram convertimus, & sic ad comites nostros salvi pervenimus; qui à nobis interrogati, num obvios habuissent istos, quos videramus equites; Responderunt; Se neminem vidisse; Variæ deinceps hac de re ut fieri solet, latæ sunt sententiæ; Quicquid autem sit, certum profectò nobis imminebat periculum, à quo, quod simus liberati, soli DEO tribuendum & asscribendum est.

Porrò Dubris Angliæ oppidum, quod inter cautes considet (ubi portus ipse olim fuit, cum Mare se insinuaret, uti ex anchoris, & navium tabulis erutis colligitur) portus opportunitate, quæ jam ferè nulla est, & in Galliam trajectu magis celebratur, quam suâ vel elegantiâ vel frequentiâ. Celeberrimus enim & brevissimus hic est trajectus XXX. millium passuum, qui spatio quinq; vel sex horarum secundo spirante vento, potest absolvi, sicut nosmetipsi sumus experti; Numerant hinc nonnulli *Caletum* usq; Octodecim, *Boloniam* verò sedecim milliaria Anglicana, quæ Italicis longiora dicit esse Ortelius, in suo Theatro. Templum habuit Martino sacrum, à Victredo Cantij Rege fundatum, militum etiam Templariorum ædes, quæ jam disparuerunt, sedemq; præbet ArchiEpiscopi Cantuariensis Suffraganeo; qui cum gravioribus ArchiEpiscopus negotijs districtus sit, quæ ordinis sunt, non quæ Iurisdictionis Episcopalis, gerit. E colle seu potius rupe, quæ à dextra omni ex parte ferè confragosa, in admirandam altitudinem exurgit *Castellum amplissimum*, instar Vrbiculæ, opere munitissimum, & turribus frequentissimum, subjecto freto quodammodo minatur: *Clavem & Repagulum Angliæ* vocat Matthæus Parisiensis; Vulgus hominum à Iulio Cæsare constructum somniat; A Romanis autem primò conditum, ex lateribus illis Britannicis in Sacello, quibus usi sunt in suis substructionibus, verisimile est, Guliel. Camden. in Britanniâ.

24 Prandij. Hic sumto prandio, & relictâ Angliâ, Caletum nave contendimus; Erant in nostro comitatu, Generosus Dominus *Gulielmus Slavvata Baro Boemus*, cum suo ministro; *Corfutius Rudih*, Nobilis Danus; *Gulielmus & Adolphus ab Eynatten*, Iuliacenses fratres, & *Henricus Hoen* cognatus ipsorum. Antequam hinc solveremus; quilibet nomen suum dare, quâ de caussâ in Angliâ fuisset, & quonam tendere vellet, rationem reddere cogebatur; quo facto, & veniâ discedendi concessâ, Vallisiæ prius & arculæ nostræ, ab ijs, qui ad hanc rem sunt deputati, aperiebantur, & pecuniæ indigenæ caussâ diligentissimè perquirebantur; Etenim ultra decem libras Anglicas nulli licet ex Angliâ secum efferre; aliâs id, quod superest, aufertur & fisco regio infertur.

Cœnæ. 321. CALETUM, Galliæ oppidum, vulgò *Calais*, Gessoriacum navale veteribus dictum, ad portum *Icium* situm, ex quo brevissimus est in Britanniam trajectus, cuius Cæsar in Comment. frequenter meminit. Hodie portu gaudet insigni, ad cuius defensionem, in ipso quasi ingressu, *arx* quædam, *Richeban* vulgo dicta, fuit, nunc planè diruta, quam cum Hispani, in proximâ obsidione ex improviso occupassent, inde multum damni & oppido & arci, alioquin munitissimæ, intulerunt, ita quidem, ut intra breve temporis spatium, cum terrestris etiam accessisset oppugnatio, utroq; sint potiti. Habet oppidum tres portas, fossas amplas & profundas, quæ aquâ marinâ implentur; muri tum temporis quibusdam in locis adhuc erant dejecti, quamvis sedulo reficerentur à Galliæ Rege Henrico IV. in cuius potestatem, jam pace cum Hispaniarum Rege factâ paulò ante redierat. 18.

Cum hinc discedere vellemus, ab hospite petimus bombardas nostras, quas illi servandas dederamus; is verò currui qui nos præcesserat illas impositas esse dicebat: *Rhedigerus & Eynatten*, rem certò exploraturi, sequimur currum, verum nullas ibi bombardas invenire potuimus; inde facilè collegimus, hospitem tantum hoc facere ad inpediendum iter nostrum; Redimus rursum in hospitium, & multò acrius hoc nomine illum

illum compellamus, nihil tamen impetravimus. Defertur res posteà ad *Gubernatorem* oppidi, *Fick*, nomine, qui cum nos Germanos esse perciperet, humaniter nos excipiebat, ob benevolentiam sibi in Germania exhibitam summopere commendabat, & adjungebat nobis quendam ex satellitibus, qui nobiscum ad hospitem ibat, illo viso perterrefactus quidem est, sed rursum bombardas denegabat, & ad Prætorem nobiscum contendere volebat, qui jam non aderat. Nos cum videremus hanc moram, ex proposito, necti, currus quoq; per duas ferè horas ante portam nos expectasset, insuper audiremus, omnibus *bombardas per totam Galliam* sine exceptione *interdictas esse*, sub pœna suspendij: egimus satelliti gratias, & ut nos Domino Gubernatori commendaret, rogavimus, atq; ut bombardæ si adhuc invenirentur, satellitibus darentur, ut qui his magis digni essent, & ne hospes illas, qui furtim eas nobis subtraxerat, retineret. Ita apud hunc hospitem nequam amisimus bombardas nostras, quas Genevæ carè emeramus, & jam sæpius probatas carè quoq; habebamus.

25. 322. *Marguise,* } vicos transivimus.
323. *Huict mille,* }

Ad dextram reliquimus Oceanum Britannicum; & albicantes illas rupes, propter quas Anglia *Albion* olim dicta fuisse videtur, ferè semper in conspectu nostro habuimus, cælo sudo & sereno.

Cœnæ: 324. Bononia, sive *Bolonia*, vulgò *Boulongne* Galliæ oppidum haud ignobile, in duas partes divisum; quarum altera Bolonia superior in colle mœnibus validissimis & fossis præaltis cincta, templum habet D. Mariæ sacrum, ad quod devotionis ergò magnus est hominum concursus; Venduntur ibi *laminæ argenteæ*, quibus impressa est imago Virginis Mariæ, quas peregrinantes ad templi fores hìc emere, pileisq; affigere solent: Altera Bolonia inferior ad radices montis sita, vicus non septus ante Anglorum tempora, & in Gallias Adventum; Ibi fanum D. Nicolao sacratum & aliud Franciscanorum Sodalium; Mare 7.

Anglicum vicum alluens, portum hic inter duos montes efficit amplissimum, qui Plinio portus Morinorum dicitur; Propè fanum Sodalium, quod non longè abest à mari, facilimus est trajectus in Angliam; Distat à Bolonia superiore centum ferè passus & eo quid fortè amplius; Totus ille locus sabulosus, ex eo genere, quod *sabulum fervens* homines maritimi vocant; Vnde Boloniæ nomen à ferventi sabulo, Gallico nomine inditum putant. Ex opposito Oppidi *pharus* est, vel *specula* structuræ vetustissimæ, fosâ ac muro aliquando cincta, ut indicant ruinæ, quæ nocturno tempore navigantibus ignes ostendit; Constructam hanc à Romanis & longo post tempore à Carolo Magno restauratam fuisse Reginus testatur; Vulgus verò existimat, ab Anglis esse conditam, cum Gallias obsiderent, dicitur Gallicè *Tour d' Ordre*; Huic turri vicinum est propugnaculum, cuius muri per vallem ad superiorem usq; oppidi partem se dilatantes inferiorem quoq; partem cingunt.

A Caleto seu Calesio ad Boloniam usq; omnes agros alioquin fertilissimos vastatos vidimus; Vocatur nunc totus hic tractus, vulgò, *le pais conquis*, eo quod hunc Rex bello jam acquisiverit, & recuperaverit.

Terrestri itinere hinc discedere latronum causâ non potuimus, sed mari, cui nos valedixisse jam putabamus, rursum committere coacti, totam noctem, quam luna illustrabat, navigando transegimus, & die sequente salvi atq; incolumes, DEI benefi-
27. Prandij. ció, *Depam* Normandiæ in Galliâ oppidum, de quo suprà, appu- 24.
limus; Verùm non diu hic commorati, sed sumto prandio conductitios equos conscendimus, & Ambianum versus iter suscepimus. Conspicitur ad dextram propugnaculum quoddam omninò destructum, unde Angli postremò pulsi esse dicuntur, ita ut deinceps in suum se recipere Regnum sint coacti.

Cœnæ. 325. *Heu* oppidulum Guisiorum in Normandiâ; Ibi in templo quod D. Laurentio sacrum est, multa videntur illustria monumenta, & inter alia hæc; 7.

Ex marmore candido Philippi Principis Artesiæ, Comitis quon-

quondam d' Eu,& Conneſtabilis Franciæ qui mortuus eſt Micolicæ in Turciâ XVI. Iunij, Anno Chriſti, M. CCC. XVI. Caroli de Arteſia, Comitis de Eu, & Paris Franciæ.

Simonis de Ivar, & Ioannis Comitiſſæ de Dreux. M. CCC. XLIX.

Eſt ibidem Arx egregia, cum hortis amœniſſimis.

28. Prandij. & Cœnæ. 326. *Abbatis Villa* vulgò *Abbeville*, oppidum Picardiæ ad Somam flumen ſitum, in Comitatu Ponthieu, qui à multitudine pontium nomen ducit; Regio enim paludoſa admodum, & ſtagnis invia multis in locis eſt. Cepit ab Abbatiâ, veluti nomen indicat, quæ poſteà in oppidi magnitudinem & formam excrevit. Templa ſunt hic aliquot egregia, inter quæ S. Oltrandi, cujus ibi reliquiæ aſſervantur, præ reliquis excellit. Soleæ & Paſſeres piſces venduntur hic in magnâ copiâ, & ad Solem ſiccantur. 7.

29. Prandij. 327. *Picquigmi*, Picardiæ in Galliâ oppidulum, cui in colle munitiſſima Arx adiacet. 7.

Cœnæ. 328. AMBIANUM, vulgò *Amiens*, ab ambitu aquarum, ut quidam volunt, ſic nuncupatum, *totius Picardiæ Metropolis* eſt, antiquitate & Epiſcopali ſede clara, munitiſſima, vallo & foſsis ex uno quidem latere ſiccis, valdè tamen profundis, ab altero verò aquâ plenis; Quatuor habet portas: 1. *Montreſcu*; 2. *Noyon*; 3. *Beauvais*, & 4. *D. Hautoy*. Per portam Montreſcu ingreſsi ſunt Hiſpani, hoc uſi ſtratagemate; Quidam ruſticum ſe ſimulans, in carro nuces, pyra, poma, & alios id genus fructus, advexit, cumq; ad portam veniſſet, carrum ſubvertit, & nuces ac fructus reliquos hinc inde diſperſit; Milites ad portam excubias agentes, & nihil mali ſuſpicantes eos colligunt, & dum nimis intenti in hanc rem ſunt, ab Hiſpanis peditibus, qui carrum ſtatim ſunt ſecuti, opprimuntur, & trucidantur; Factum id hyemis tempore, circa horam quartam matutinam; Poſteà mox dato ſigno cæteri Hiſpani ex inſidijs accurrunt, & duo millia Equitum intrant, Urbem occupant, prædantur, & omnia diripiunt: Platęa per quam hoſtes ſunt ingreſſi, plus quam duodecies, à *Somâ* flumine eſt interſecta, cui quoq; totidem pontes ſunt 3.

impositi, ex quibus, si oppidani, unum saltem, vel duos dejecissent, tam subitò Urbe potiri non potuissent; Henricus IV. Galliæ & Navarræ Rex, in nuperrimâ Oppidi huius obsidione, ab eâ parte, qua Hispani introgressi sunt, idem oppugnavit, & semel atq; iterum promotis castris, ea tandem ad fossas usq; Urbis, instar Lunæ falcatæ protulit; Inclusa fuit Castris Regijs in exiguâ valle, quædam Abbatia D. Magdalenæ consecrata, ad quam Rex tentorium suum posuit; Hunc locum Hispani in Urbe adhuc obsessi, creberrimè tormentis petierunt, ita ut Rex ibi in magno versaretur periculo; Nam pro certo nobis affirmatum, imò monstratus etiam locus est, ubi arbor sub quâ fortè Rex stabat, globo tormentario tacta, Regi interitum minata fuerit, nisi DEUS hoc malum clementer avertisset. Ad vicum *Lomprée* castra locaverat Albertus Austriacus Cardinalis, globuli sclopetarij tantum jactu a primis regijs castris distantia, ita ut Regi à tergo esset; & sicuti is Regem, sic Rex Urbem obsidere videbatur, quâ & tandem potius est, quemadmodum videre licet in Emanuelis Materani Belgicâ hist. univers. lib. 17. Nunc in locũ portæ Monstrescu, quæ in editiore oppidi parte sita, & Castello fortissimo novè extructo (ex quo Rex & Urbem defendere, & ut imperata quoq; faciat, cogere potest) tota penitus occlusa est alia à latere dextro, quæ à D. Petro nomen habet, est aperta.

Sunt magnifica in hâc Urbe templa, quorum primarium, sive Cathedrale D. Virgini Mariæ sacrum, ex quadratis lapidibus sub Philippo Sapiente Galliæ Rege, Anno Christi M. CC. XX. in tantam altitudinem erectum est, ut alibi vix altius reperiatur; in loculis argenteis, summo altari impositis, reliquiæ Sanctorum asservantur; Firminij Martyris; Firminij Confessoris; Domicij Ecclesiæ huius quondam Canonici; Sanctæ Ulfiæ; Fulciani; Gentiani; Vorlusij; Luxoris; Aschij; & Aschioli &c. Caput item D. Ioannis.

Conspicitur ad altare tumulus cuiusdam Hispani de quo in tractatione pacis actum, ne Vexilla suspensa deijcerentur, nec inscriptiones delerentur, sed ista destructa sunt omnia, tumulo saltem intacto conservato.

In

In templo Cordigerorum legitur Epitaphium Petri Bultelli, Ioannis Bultelli, Civis Ambianensis filij.

Vt tener occumbit curvo flos tactus aratro;
Immatura perit grandine quassa seges;
Sic fera mors Iuvenem rapuit florentibus annis,
Invida me raptum sic tulit ante diem;
Vix mihi jam primo vernabat flore Iuventus,
Binaq; vix fuerant lustra peracta mihi;
Cum mea fatales ruperunt pensa sorores,
Et rupit vitam mors violenta meam.
O sævam Lachesin, quod nunc rapis, heu brevis est flos,
Qui poterat Verni temporis esse decus;
Quid fraudare juvat primæ lanuginis annos,
Et celeri mortis facta ciere manu?
Parcere te decuit viridi florentibus ævo
Ingenij meritis gratia si qua foret.
Sed quid ego varijs manes infesto querelis,
Incusans subita fata severa necis?
Nulli certus adest vitæ status; Omnibus horis,
Omnia Victricis sub juga mortis erunt.
Non vita æternum, non est fortuna perennis,
Mors semper rapido captat avara pede.
Heu nihil est ullis Parcas urgere querelis,
Reijciunt surdâ quaslibet aure preces.
O quoties, multos sibi qui promiserat annos,
Illius in primo flore juventa perit.
Ergo quid est, vivi longè quod possumus esse,
Vndiq; cum miseros certa ruina petat?
Cum properè pereant ipso placitura sub ortu
Ceu cadit in tenero candida flore Rosa:
Est melius nobis, quod sit brevis exitus ævi;
Quid juvat ad paucos tradita vita dies?

Gratia

Gratia magna DEO, *primis qui protinus annis,*
Luminis aspexit me meliore notâ.
Mortis eram vivus, morieis ago tempora vitæ;
Felix in Christo qui cupit esse puer.
O nimium felix, ò terq; quaterq; beatus,
Cuius in hunc ætas incidit ipsa diem.
Nam benè cum pueris agitur, quos limine Vitæ
In misera raptos Christus ad astra vocat.
Quid cupidi vitæ seros inhiamus in annos?
Est Vitæ Virtus maxima, posse mori.
Obijt die XVI. M. Novemb. Anno Christi
M. D. LXXXVI.

Epitaphio versus hi literis aureis subscripti leguntur.

Corpora pulvis erunt, & mens pia floret in avis,
Nullus in hoc expers funeris Orbe fuit.
Sed tamen iste cinis putridiq; cadaveris ossa
Paulò animæ pòst sunt restituenda suæ.

Cæterum Picardiæ Regio frumenti & omnium frugum ferax est, non tamen vini; Verum id potius incolarum ignaviæ, socordiæq; quàm soli intemperiei aut Cœli injuriæ imputandum, sunt qui censeant.

Octob. 1. Ambiano Kal. Octobris in rhedâ Ambianensi Lutetiam
1. Parisiorum proficiscentes, hæc vidimus.
Cœnæ. 329. *Breutelle*, Picardiæ oppidulum. 7.
2. 330. *Clairmont*, oppidum Galliæ. 7.
Prandij. 331. *S. Leu*, oppidulum transivimus.
3. 332. *Lusarche*, Galliæ oppidulum. 7.
Cœnæ. 333. *Equan*, Arcem Connestabilis Mommorrancij in Galliâ, à Dextrâ reliquimus.

Lutetia Parisiorum, de quâ suprà.

7. Hic equis conductitijs exspatiati sumus, ad arcem Regiam, 7.
Cœnæ. 334. vulgari idiomate *Font en belan* nuncupatam, quæ jacet in 14.
terri-

territorio Gastinois, arenoso, malè habitato, & sylvis ut plurimum referto; Quod autem Reges hanc arcem in istis desertis (quæ appellatio hodiè etiam ipsi in subscriptionibus literarum ibi datarum tribuitur, videlicet; *Donne ès nos deserts*) exstruxerint, propter nullam aliam caussam factum crediderim, quam propter venationes. Habet *Arx* hæc nomen ab aquâ bellâ q. d. Fons in bellâ aquâ; Nam sunt ibi propè arcem scaturigines plures; Et in stagno quodam areæ incluso videtur fons limpidissimus aquæ salientis, à quo tanquam præcipuo nomen hoc desumsisse fertur; Muris & fossis est circumdata, multorumq; judicio censetur omnium in tota Galliâ pulcherrima, & magnificentissima.

Placuit in istâ hæc notare;

1. *In cubiculo quodam* Henricus IV. Galliæ & Navarræ Rex, totus armatus, equo insidens ad vivum depictus cernitur.

2. *In Sacello* duæ columnæ marmoreæ, cinerei coloris Xystum fulciunt, sub quo machina horaria Astronomica est.

3. *Atrium* varijs picturis illustratum & valdè pellucidum.

4. *Xystus*, ex quo amœnissimus in hortos prospectus est XI. statuis pectoralibus ornatus.

5. *Atrium amplum*, choreis & saltationibus destinatū CCXV. pedes longum.

6. *Horti* arboribus consiti, amœnitatisq; caussâ parati ibi sunt plurimi; Quocunq; enim ex arce respicis hortos vides; In uno horum, statuas à Reginâ Matre Catharinâ Mediceâ eò translatas ex Italiâ vidimus; Cleopatram ex Orichalco;

Statuam virilem æneam, ossa in manibus tenentem, ad cuius pedes lupa Romulum & Remum lactat; Romæ & Tyberis fluvij adumbratio.

Dianam Ephesinam ex saxo antiquissimi operis, & quidem illam ipsam, quam adorarunt Ephesij, & propter quam periclitatus est D. Paulus Apostolus, Actor. 19. cap.

Abelis & Caini fratrum statuas.

Postea in alio quodam horto, stagno undiquaq; circumdato, statuam Herculis.

Postridiè hinc rursum discessimus, & in vico quodam pran-
8. dio sumto, Lutetiam Parisiorum vesperi reversi sumus. 14.

In reditu ad sinistram reliquimus Palatium & Arcem 335. *Bißart*, vulgò nuncupatum, maxima ex parte nunc dirutum, in quo olim *Dæmona Necromantiam* professum esse, multi sunt qui confirmare non dubitant. Audivimus pro certo, plærosq; qui videndi saltem causâ, locum accedunt, hodiè etiam horrore quodam concuti, unde facilè conijcere licet, qualis olim schola fuerit.

15. *Lutetiâ* curru discessimus & hæc loca vidimus.

336. *Vie saine*, q. d. Lucus vitæ sanæ, Arx Regia ad sinistram relicta.

337. *Charenton*, Galliæ oppidulum transivimus, ubi *Matrona* fluvius, vulgò *la Marne*, Sequanæ jungitur, & fines Insulæ Franciæ constituit.

338. *S. Maur*, de fosses Regia Arx, ad sinistram relicta.

339. *Brye Conte Robert*, vicus. 6.

Prandij. 340. *La Grange*, ædes egregias à sinistrâ reliquimus.

Cœnæ. 341. *Cygnes*, pagus. 3.

16. 342. *Agendicum*, vulgò *Provvins*. Galliæ oppidum antiquis- 10.
Prandij. simum, quod testatur turris ibi fortissima à Iulio Cæsare condita. Meminit huius Cæsar Comment. de bello Gall. lib. 6. & lib. 7. Multi situm huius oppidi cum Urbe Hierosolymâ comparant; & demonstrant rudera murorum, multo amplius hoc aliquando fuisse.

Cœnæ. 343. *Noviomagus*, Galliæ oppidulum, vulgò Mogen, ad Se- 4.
quanam in Campaniâ situm.

17. 344. *Bavillon*, pagus. Incolæ ex *cretâ* hic ædificant, quam in 8.
Prandij. magnâ copiâ fodiunt.

Cœnæ. 345. TRECÆ, vulgò *Trois*, Campaniæ Gallicanæ Metropo- 5.
lis, Episcopatu & mercaturâ nobilis, adeò, ut à quibusdam *Lutetiæ filia* appelletur, ad Sequanam posita & benè munita est. In

templo

templo S. Petri primario videntur antiqua monumenta saxea, Comitum Campaniæ. Campus circumquaq; est fertilissimus, gaudens pratis & pascuis quàm plurimis.

18. Hinc carro discessimus, viâ, propter crebriores pluvias valdè lubricâ & periculosâ, unde factum, ut in Suburbijs, rota fracta per aliquot horas, donec reficeretur, subsistere cogeremur.

19. 346. *Sanct Bar.* pagus. 4.

Cœnæ. 347. *Bar sur Seigne*, Campaniæ oppidulum transivimus.

Prandij 348. *Chy.* vicus in Campania. 5.

Cœnæ 349. *Anbutre*, pagus. Inter hunc pagum & sequens oppidum Chastillon, sunt limites Campaniæ & Ducatus Burgundiæ. 3.

350. *Chastillon*, oppidum Ducatus Burgundiæ in Galliâ. 1.

Prandij. Cœnæ. 351. *Baigne*, Vicus in Ducatu Burgundiæ. Hîc omnes fere vici & pagi muris includuntur. 7.

21. Prandij. 352. *Sanct Seigne.* Monasterium, cum vico Ducatus Burgundiæ. Hîc ad montem, cui templum Sancti Martini impositum est, *Scaturigo* fluvij *Sequanæ* tam magna est, ut uni rotæ Molendini sufficiat. 5.

Cæterum Burgundiæ Provincia, in hac viciniâ tota montosa & petrosa est, gignens quidem præter frumentum etiam Vinum, sed ætatem planè fugiens & ultra annum non durabile.

353. *Chanseau*, Galliæ Vicus in Ducatu Burgundiæ, ad sterilem montem positus.

354. *Tallon*, Galliæ oppidulum fortissimum in Ducatu Burgundiæ, colli impositum, à dextra relictum.

Cœnæ. 355. DIVIO, quasi *Diviopolis*, id est, Divorum seu DEorum civitas, vulgò *Dijon*, Burgundiæ Ducatus in Galliâ Metropolis, naturâ & arte contra omnem impetum hostilem, satis munita, ad Oscarum fluvium, vulgò Ousche, valdè piscosum, ab Aureliano Imperatore quorundam opinioni condita, licet eam alij multò antiquiorem esse asserant, Parlamento celebris, in solo plano, frumenti & vini feracissimo sita, à quo tamen non procul absunt montes, Vinum quoq; nobilissimum gignentes; à Rege Galliæ Gubernatorem recipit, qui ipsius nomine, toti Ducatui 4.

imperat; fortè tum temporis, dum ibi commoraremur, Mareschallum de Biron, magni nominis Virum, Gubernatorem accepit.

In Capellâ Sanctâ, vulgò la saincte Chapelle videtur monumentum marmoreum Casparis de Saulx, Mareschalli quondam & Admiralii Franciæ; deinde in sellis ibidem multorum Principum & Comitum, qui Velleris Aurei fuerunt Equites, vulgò les chevaliers de Toison, insignia sunt depicta; Contiguum est Palatium Regium, in quo Ducatus, sive Provinciæ Gubernatores residere solent.

23. Discessimus hinc equis conductitijs, aëre valdè nubiloso & pluvioso.

Prandij. 356. *Ausonne*, Galliæ oppidum in Ducatu Burgundiæ, ad Ararim fluvium. Inter hoc & Dolam est rivulus quidam cum Molendino, Ducatus & Comitatus Burgundiæ limes. 4.

Cœnæ. 357. *Dola*, vulgò *Dole*, Burgundiæ Comitatus oppidum, fortissimum, ad *Dubin* fluvium, vulgò *le Doubs* positum, Academiâ & Parlamento claret, & Regi Hispaniarum paret. 3.

24. 358. *Rochefort*. Arx Regis Hispaniæ, in Comitatu Burgundiæ à dextris relicta.

Prandij. 359. *Sanct Veit*. pagus in Comitatu Burgundiæ. 4.

Cœnæ. 360. VESUNTIO, *Visantium*, nunc *Bisontium*, vulgò *Besanson*, Oppidum Sequanorum maximum inter Celtas, sive Gallos, naturâ loci munitũ, nunc comitatu Burgundiæ circumseptum; Civitas est Imperialis ac utriusq; Burgundiæ Metropolis, nomen antiquum retinens, mutatâ saltem literâ, V. in B. ut Romanis & Vasconibus pronunciandi mos est; Situm habet, qualem Cæsar in Commentarijs de bello Gallico lib. 1. descripsit, amœnissimum, in Valle frumenti & Vini feracissimâ, quam *Dubis* fluvius, intra duos montes maximâ ex parte etiam Vitiferos, calcei equini instar ambit, & nunc quibusdam in locis quoq; interfecat; Claret ArchiEpiscopatu & Academiâ, quæ Anno Christi M. D. XL. tempore Iulij III. Romani Pontificis, & Caroli V. Romanorum Imperatoris ibidem est instituta. 3.

Ad

Ad Urbis Curiam magnificè extructam, cuius portæ imposita est *Aquila*, Sacri Rom. Imperij insigne, unâ cum statuâ Caroli V. Imperatoris, est *fons aquæ salientis*, eximij operis.

In templo Cathedrali D. Stephano dicato, monstrabantur nobis ab Æditus, ornamenta, Infulæ & vestes Sacerdotales, auro, argento & gemmis graves, magni pretij; In Altaris summi medio, sive Centro videbatur *Rosa*, in lapidem incisa, quam circumdabat hic versiculus;

Hoc signum præstat populis cœlestia Regna.

Post Altare est *phiala*, sanguine D. Stephani impleta; In choro conspicitur egregium *Candelabrum* ex ære heptagonon, quod Hierosolymitano correspondere affirmatur; In Capellâ Sanct *Soire* sunt reliquiæ quædam involucrorum sive Linteaminum, quibus Christus sepeliendus fuit involutus; In mediâ templi parte, summo Altari oppositâ, sunt antiqua monumenta saxea, Comitum Burgundiæ, à quibus non procul absunt eorundem effigies, in muro depictæ, hisce subscriptionibus additis;

Gerardus Comes Viennensis & Dominus de Salius;

Gualterus Comes Burgundiæ & Viennensis.

Reginaldus Comes Burgundiæ Viennensisq; & Matisconensis;

Ottho Comes Burgundiæ & Dux Meraniæ;

Stephanus de Burgundiâ, electus Bisunt; frater Otthonis Comitis;

Otto Comes Burgundiæ, qui instituit duos Capellanos ad Altare S. Theodati;

Reginaldus Comes Burgundiæ, pater Beatricis Imperatricis;

Wilfernus Comes Burgundiæ, Matisconensisq; Viennensis;

Guillernus Magnus Comes Burgundiæ, Viennensisq; Matisconensisq;;

Versiculi sequentes ibidem sunt subjecti;

Bis quater hic Comitum sunt corpora, queis dedit ictum
Mors, & ibi Solitum nobis solvere tributum;

Sepultura prudentum Burgundiæ Comitum;

Spiritus in cœlis horum, manibus Michaelis
Sunt sancti, portate in altam sedem Lares;
Nobilium turba, quos Mors subduxit acerba,
Octo jacent Comites, ut patet, ipse vides;
Istis parce DEUS, *dic lector voce benignus,*
Vt tibi post mortem conferat alter idem. Amen.

Ab hoc templo, quod in summitate Montis positum, descenditur ad aliud D. Ioanni sacrum, cui vicina est *porta* antiquissimæ structuræ, C. Iulij Cæsaris, figuris & characteribus hieroglyphicis insignita, vulgò *la porte noire*, dicta.

Vesontione equis conductitijs discessimus, in maximis pluvijs & aquarum inundationibus.

26. 361. *Montfaucon*, Arx in monte à dextris conspecta.

362. *Baume les nonnes*, oppidulum Comitatus Burgundiæ transivimus.

Prandij. & Cœnæ. 363. *Clairvau*, q. d. *Clara vallis*. Wirtembergici Ducis oppidulum ad Dubim fluvium situm. Hinc propter imbrium copiam, qui per integrum octiduum duraverant, ulterius hoc die progredi nequivimus. 7.

364. *L' Isle*, Oppidulum ad sinistram reliquimus.

365. *Pont Ioiur*, Hic pons unà cum turri, à Duce Wirtembergico ad Dubim fluvium positus est, quo omnes ex Burgundià venientes transitu prohiberi possunt.

Prandij. 366. MONS BELIGARDI, vulgò Gall. *Montbeliart*, Germ. Mumpelgartt / totius Comitatus ad Ducem Wirtembergensem pertinentis, oppidum primarium sive præcipuum est, duabus arcibus ornatum, quarum altera in oppido elegantissima, altera verò extra oppidum in Colle fortissimà vulgò *La Crotte*, tormentis & alijs ad defensionem necessarijs rebus benè instructa est. Ad radices huius Collis ædificatur hodiè Collegium, futuræ 4.

turæ Academiæ, ut quidam volunt, initium, Germanis & Gallis non incommodum; Vtraq; enim linguâ hic utuntur incolæ; Totus iste tractus sylvis & montibus est inclusus.

367. *Tel,* oppidulum Comitatus Montis Beligardi transivimus. Arx huic adjuncta.

Cœnæ. 368. *Fleurmont,* Austriacæ domus oppidulum in Helvetiâ. 3.

28. 369. Waldtstuffe/ pagus Austriacæ domus. 2.

Prandij. *Basilea Rauracorum Augusta*; 2.


Cœnæ.

Cum huius Urbis superius facta sit mentio, libuit hæc paucula saltem hic adijcere;

In ædibus *D. Felicis Blateri,* Archiatri Basiliensis, in Majore Basileâ sitis, sunt inter alia naturæ miracula, quæ habet plurima, *duo Skeleta* humanorum corporum integra, unum pollicis, alterum spithamæ longitudinem habens; *Scacchia* item *lusus,* qui propter summam subtilitatem, calamo anserino potest includi; omnis generis *gemmæ, metalla, plantæ, pisces marini* siccati, & alia innumerabilia.

In minore Basileâ sunt ædes magni illius Viti Amerbachij, quas nunc incolit Dn. Ludovicus Iselius Iureconsultus; In his visu dignissimus est, egregius antiquissimorum *numismatum thesaurus,* ex auro, argento, cupro, ære, plumbo &c. omnium ferè Romanorum imperatorum, usq; ad Carolum magnum magno studio, ab ipso Amerbachio collectus.

Reliqua quære suprà.



ITER

ITER FRANCOFVRTENSE CAMBII CAUSSA.

Styl. vet.
17. B*asileâ* navigio Rheno secundo discessimus.
370. Newburg/ oppidulum à dextrâ conspectum.
Cœnæ. *Brissacum*, Archiducum Austriæ oppidum, de quo supra. 6.
18. *Argentina*, libera Imperij Romani Urbs, de quâ supra. 9.
Prandij. Inde Francofurtum quadrigis profecti sumus.
22. Liechtenaw/ Comitum de Hanauu oppidulum, de quo 3.
Cœnæ. supra.
23. Rastadt/ Marchionum Badensium oppidulum, de quo 3.
Prandij. supra.
Muhlberg/ Marchiæ Badensis oppidulum, de quo supra.
Cœnæ. Linckenaw sive Linckenheim/ pagus uq ad Rhenum de quo 3.
supra.
24. *Graben*, Marchiæ Badensis oppidulum, ubi limes Marchiæ Badensis & Episcopatus Spirensis est.
Prandij. *Spira Nemetum*, Imperij Civitas, vulgò Speyer; de qua 3.
supra. Antequam huc veniremus Rhenus erat traijciendus.
371. Die Hütte/ pagus ad dextram relictus.
Incipit hic Palatini Electoris ditio.
372. Oberschen/ Palatinatus oppidulum transivimus.
Franckenthal/ Palatinatus oppidulum quoq; transivimus; de hoc vide supra.
Cœnæ. *Wormatia*, Sacri Romani Imperij Civitas, Comitijs aliquoties ibi celebratis, clara, vulgò Wormbs/ de quâ supra. 6.
25. 373. Newhausen/ Electoris Palatini oppidulum Pædagogio celebre, à sinistra relictum.
374. Görlitzheim/ Vicus; Hic Rhenus traijcitur.
375. Hennichen/ pagum transivimus.
Prandij. 376. Ysels bruck/ pagus Hassiæ Landgravij. 3.
Cœnæ. *Francofurtum*, ad Mœnum. Imperij oppidum de quo 3.
supra. Quibus hic adde, quod Pipinus Caroli Magni Pater, in hoc oppido Sacrum Salvatori *templum*, & Canonicorum Collegium,

gium, hodiè *ad S. Bartholomæum* vocatum, ædificavit; quod postea Carolus Magnus, paternæ pietatis, & singularis erga hanc Urbem affectionis, insecutus vestigia, complutibus villis, censibus annuis, prædijs, decimis, & juribus, magnificè dotavit; quem pari pietate, & posteri aliquot Imperatores & Reges Romani deinde sunt imitati.

Carmelitarum fanum præstantissima nobilitatur tabulà, D. Virginem Mariam, in cœlum emigrantem repræsentante, quam Magni illius Alberti Dureri immortalitate dignissima manus, summo artificio delineavit; Eam optimi quiq; pictores, non sine admiratione frequentissimè sunt contemplati. Providit etiam huic Urbi Carolus IV. Romanorum Imperator, in Aureâ bullâ, ut nullo alio in loco Rex Romanorum, vel Imperij Successor, quam hic, eligeretur. Nam anteà quantum ad ipsum Electionis locum, variè observatum erat, licet etiam prius, ut plurimum, Electio Francofurti fuerit celebrata; Vnde & hic mos inolevit, ut, cum in dissensione Electorum duo pariter Rom. Reges nominarentur, alter in agro Francofurtensi justo exercitu consideret, alterumq; sesquimensis spatio, cum eo conflicturus, expectare consueverit; qui, cum vel prælio, vel alias cedente adversario superior extabat, tum demũ in Urbem recipiebatur, & pro Rege agnoscebatur; Ita accidit Henrico Thuringiæ Landtgravio, & Conrado Friderici II. Imperatoris filio; Ludovico Bavaro & Friderico Austrio; Similiter Gunthero Comiti Schwartzenburgensi, & Carolo IV. Porrò in Nundinis Francofurtensibus, illi qui in arte gladiatoriâ excellunt, Magistri titulo, si id ambiant, à Magistris ejusdem artis, civibus tamen huis Urbis, ex speciali Romanorum Imperatorum & Regum Privilegio insigniuntur; Id quod alibi non licet.

Francofurto Heidelbergam curru ivimus.

Aprilis. 2. Styl. vet. 377. Springlingen/ pagum transivimus. Inter hunc & Francofurtum, duæ columnæ lapideæ propè viam sunt erectæ, satis amplo spacio à se invicem distantes, quibus *Cervi saltus*, à canibus agitati, notatus esse dicitur.

378. Langenheim/ Vicum transivimus.
Cœnæ. 379. Allehenligen/ Vicus.
3. 380. Darmstadt/ Oppidulum cum Arce Landtgraviorum Hassiæ transivimus. 2½.

381. Eberstadt/ Vicum transivimus. Hic incipit Via, quæ Heidelbergam ducit, vulgò die Bergstrasse, propter vitiferos colles, campos fertiles, opaca nemora, & prata Virentia, omnium amœnissima, ita ut plæriq; affirment, Italum aliquando hâc profectum, in hæc verba prorupisse; *O Germania, Germania quàm libenter velles esse Italia.*

382. Zwingenbergt, Oppidulum cum Arce.

383. Benßheim/ Oppidulum; Hic incipit Electoris Palatini ditio.

384. Heppenheim/ Oppidulum cum Arce.
Prandij. 385. Weinheim/ Oppidulum. 5.

386. Ladenburg/ Episcopi Wormatiensis oppidum, à dextra conspectum.

387. Ettenheim/ Vicum transivimus.

Heidelberga, Palatinatus Metropolis, de qua suprà. 3.

Adde hic aliquot Illustrium virorum Monumenta
In templo cathedrali ad S. Spiritum;

I. *Otthonis Henrici* ex marmore albo & nigro, alabastrinis simulachris hincinde exornatum.

II. *Ioannis Casimiri*, ex alabastrite & pario marmore cum hâc inscriptione.

Ioanni Casimiro;
Frid; III. Elector; F;
Comit; Palatin; ad Rhenum;
Duci Bavariæ;
Pro Septem Viro;

Qui sibi vixit nunquam, Reipub. Christ. semper, quam domi militiæq; strenuè juvit atq; ornavit; Religione Orthodoxâ, scholisq; bonarum artium instauratis; Galliâ & Belgiâ à gravissi-

gravissimis periculis vindicatâ; curâq; perpetuâ in hoc evigilavit, ut concors Patria, à vi fraudeq; externâ tutior stabili quiete cum dignitate frueretur; Omni deniq; officio Principis laudatissimi constanter & sincerè perfunctus, autoritatis suæ & virtutis summæ humanitati conjunctæ, triste desiderium, bonis reliquit omnibus; Fridericus IV. Elector Patruo, Tutoriq; de se optimè merito; Obijt postridiè P. Non. Ianuar. cIↃ. IↃ xcII.

III. *Ludovici* Palatini in tabulâ ex orichalco, qui obijt XVI. die Martij Anno Christi M. D. XLIV. Ætatis suæ LXVI.

IV. *Friderici* III. qui obdormivit XXVI. Octob: sub horam quartam pomeridianam, Anno Christi M. D. LXXVI. annum agens LXII. cuius Epitaphium integrum habetur in delicijs Nathanis Chytræi; Et uxoris ipsius, quæ fuit Maria Brandeburgica ex Alabastrite lapide.

V. *Friderici* II. qui mortuus est, Anno Christi M. D. LVI. XXVI. Februar. Ætatis LXXIV. Alezæ, & uxoris suæ Dorotheæ ex Regiâ stirpe Daniæ Regum prognatæ.

VI. *Ludovici* Comitis Palatini, & uxoris suæ, quæ fuit filia Philippi Landtgravij Hassiæ, ex marmore, sine inscriptione.

VII. *Roberti Imperatoris* ex saxo cum inscriptione tali;

Robertus Bavariæ Dux Comes Rheni Palatinus, Romanorum Rex, justus, pacis & Religionis amator, dignus DEO visus, qui pro justitiâ pateretur; Huius sacræ ædis, & Collegij institutor, qui cum castissimâ Conjuge Elisabethâ, Norici Montis Burggraviâ quiescit; Vitâ functus Anno Christi M. CCCCX. Kal. Iun. XV.

IIX. *Tabula* ex orichalco cum hâc inscriptione;

Frewlin Elisabeth Pfaltzgräffin bey Rhein/Hertzogin in Beyern rc. wardt geboren den XV. Iunij, Starb den XI. IXbris Anno Christi M. D. LXII.

IX. Sub monumento *Philippi*, cuius etiam statua ad latus erecta videtur, talis legitur inscriptio;

Philips von Gottes gnaden Pfaltzgraff bey Rhein / Hertzog in Nieder vnd Ober Bayern ic. ist alhier zu Heydelberg den *XVI.* Tag Iulij Anno Christi *M. D. XLVIII.* begraben worden.

X. Illustrissimi Principis *Wolffgangi* cum hâc inscriptione.

Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Wolffgango, Comiti Palatino Rheni Duci Bavariæ &c. Philippi Electoris filio, inter eos, qui ad justam ætatem pervenêrunt natu minimo, Principi bonitate ingenij, honestâ frugalitate, avitisq; moribus servandis præstanti, & sorte suâ mediocri, per omnem vitam contento; Illustrissimus Princeps Frider. *III.* Elector, hoc monumentum consanguineo charissimo fieri curavit.

Natus est Anno *M. CCCC. XCIV.* Vlt. Octob. Exemtus rebus humanis *XI.* Aprilis Anno Christi *M. D. LVIII.*

XI. Tumulus ex saxo *Annæ Comitissæ Frisiæ*, quæ mortua est Anno Christi nati *M. D. LII. XII.* Maij.

XII. Exulum Susceptori

S.

Huldrico Fuggero,

Raymundi F. Georg. N. Iacobi Pron. Kirchbergæ & Weissenhorni Domino; Qui in Pauli *III.* P. R. Cubiculo, veritatis lumen ex familiâ primus & solus agnovit; Vitamq; privatam amplissimis dignitatibus anteferre didicit; Dum veterum scriptis liberali sumtu comparandis & evulgandis intentus, à patrimonij administ: profusioris prætextu, deijcitur;

Apud Fridericum *III.* Electorem Palat; fortunam Constantiâ & æquanim; superavit;

Suis intereà restitutus, fraternis quinetiam bonis auctor, eundem in re lautâ, quem in afflictâ, cultum animumq; retinuit;

Annua pauperibus quingenta legavit;
Sex liter; Studiosis stipendia constituit;
Bibliothecam pij Exilij unicam Comitem
Palatinatui moriens donavit;
clɔ. Iɔ. XXCIV.

Obijt

Obijt XVIII. Kal. Iulij.
Ætatis LIIX.

Heredes & Legatarij gratæ memoriæ ergò Consanguineo & Hospiti B. M. hocce Mon. P.

In superiore huius templi parte est *Bibliothe ca,* Electorum Palatinatus *instructissima*, in quâ manuscripti saltem libri, ultra 80000. coronat. æstimantur.

In Templo Petrino hoc legitur Epitaphium.;

Exercituum Ductori
S.
Petrus Beutrichius
Monbelgardensis,
Cum gentis suæ hon. tenuitatem, Virtutis & Erudit:
fama illustrasset;
Prud. & integritatis laudem ex varijs Legatio nibus
retulisset;
Francorum Regem liberas voces ferre ac perferre
docuisset;
Helvetium militem industriè conscripsisset;
Gallorum cohortem per hostes infestos Bonnam
perduxisset;
Apertis occultisq; inimicorum machinis invictus,
Sub ipsâ Navarreæ expeditionis,
Contra
Impiæ conjurationis Tyrannos susceptæ initia,
A ter max; Imp; lectus emigravit;
cIↄ. Iↄ. XXCVIII.
Prid. Eid. Febr. Ætat. Anno XLII.
Ioannes Casimirus; C. & Adminis. Palat; Bavariæ Dux;
Consiliario, legato; Tribunoq;
Meritiss. P.

In cœmeterio huic templo adjuncto,
Sequentia extant monumenta;

I. DEO IMM. S.

Et virtuti ac memoriæ Olympiæ Moratæ, *Fulvij Morati* Ferratiensis Philosophi filiæ, Andreæ Gruntleri Medici Conjugis lectissimæ; Fæminæ, cuius ingenium, ac singularis utriusq; linguæ cognitio, in moribus autem probitas, summumq; pietatis studium, supra communem modum semper existimata sunt, quod de eius Vitâ hominum judicium, beata mors sanctissimè ac pacatissimè ab eâ obita, divino quoq; confirmavit testimonio. Obijt mutato solo Anno Salutis D.LVI. supra millesimum; Ætat; XXIX. hic cum Marito & Æmilio fratre sepulta. Gulielmus Rascalonus M. D. BB. PP.

II. Siste gradum quisquis transis hâc forte viator,
Vt discas mortis tristia fata meæ.

Ego *Ioannes Ranzovius* infelix puer, Henrici Ranzovij, Regis Daniæ, tam in Ducatu Holsatiæ & Slesuicensi, quam Ditmariensi, Gubernatoris filius, in hanc Urbem literarum gratiâ, cum Ducibus Holsatiæ, D. Friderico, & D. Philippo missus, peste correptus, & paulò post, in verâ invocatione DEI, Anno M. D. LXXXII. Octob. XVII. mortuus, ac sine cæremonijs vespere eodem die hìc Sepulturæ datus, & sic humanâ ope destitutus; à DEO autem ex hâc mortali Vitâ, ad perpetuam immortalitalem evocatus, in patriam cœlestem locatus, & à parente tristissimo hoc monumento donatus, resurrectionem mortuorum, & reperationem omnium rerum expecto.

Durum est extra patriam mori.

Hic ego Ranzoâ prognatus stirpe Ioannes
Mortuus humanâ conditione cubo.
Cimbria me genuit, sed non post fata recepit,
Sicq́ peregrinâ sum tumulatus humo.
Hanc me pertraxit studiorum fervor ad Vrbem
Principibusq́ Comes, Nobilibusq́ fui.

Hic

His licuit cunctis ad patria rura reverti,
Vnum me reducem noluit esse DEUS.
Sed benè; mens etenim cœlesti sede recepta
Visitat aeterna docta Lycaea schola.
Corpus humus tegit exanimum, dum suscitet illud
Extremi Christus tempore Iudicij.

III. Epitaphium lectissimæ fæminæ *Mariæ Covetæ* Parisiensi, Conjugi D. Danielis Tossani, positum à familiâ cum lachrymis.

Si virtus diræ posset fera spicula mortis
Effugere & mœstas funeris exequias.
Musica si dulcis, morum si mira venustas,
Et pietas castæ juncta pudicitiæ.
Non hoc tu mater tumulo contecta jaceres
Conjuge deserto, pignoribusq; tuis.
Sed qui in te Vitæ, morumq; exemplar habebant
Exemplar sanctæ nunc quoq; mortis habent.
Obijt in Christo XXVIII. Martij Anno Christi
M. D. LXXXVII. Ætat. XLIII. vixit cum Marito
XXII. annos.

Præter Arcem Electoralem, & alia huius oppidi ornamenta, est hic quoq; Academia celeberrima à Ruperto II. Comite Palatino Rheni & Bavariæ Duce Anno Christi 1346. vel ut alijs placet 1387. 17. IXbris fundata; quam Principes subsequentes, & magnificis ædificijs, & liberalibus beneficijs auxêre plurimum.

In introitu Collegij Casimiriani, characteribus aureis in marmor hæc inscriptio incisa legitur.

Ingenuo labori & Solertiæ.
D. D.
Collegium hocce Casimirianum Religionis Orthodoxæ,
Doctrinæ exquisitæ, Facundiæ singularis, artiumq;
liberalium fontem & seminarium;

Posteæ-

Posteris Principibus Æmulationis exemplum, sui studij in Academicos, munificentiæ in studiosos, auctuarij conlati in egenos testimonium;

In æternitatem Palatini nominis; A fundamento extrui fecit, absolvitq; Princeps providentissimus Eruditorumq; amantissimus.

Ioannes Casimirus

Palatinus ad Rhenum Comes, Dux Bojorum

Friderici IV.

Tutor ac Reipub. Administrator.

Anno Christi cIↄ. Iↄ. XCI.

Cæterum non longè à templo Petrino, sunt *horti Electorales* amœnissimi, in quibus arbores & plantæ exoticæ sunt plurimæ, salientes item aquæ, & Cancelli, intra quos aliquando solent equestria haberi exercitia; Nec procul ab hinc ad manum sinistram conspicitur turris fortissima, quæ vulgò der Trotz Keyser dicitur, spatio XXIV. horarum extructa.

Est alia quædam turris in ipsa arce, quasi in Angulo constituta, in quâ vidimus atrium, tantæ amplitudinis, ut centum mensæ ibi commodè locum habere possint;

In cellâ Arcis, peregrè advenientibus propinatur *vinum Lindenfelsij*, Anno Christi 1343. natum; videtur ibidem *Vas* tantæ capacitatis, ut in illo Vir hastatus stare possit erectus, *capiens 132. Vini Vehes*, vulgò Fuder/ *& tres amphoras cum triente*, vel amphoræ unius quartâ parte; Ad ferramenta & vincula quibus dolium hoc est religatum, adhibita sunt 122. ferri pond. centenaria.

8. Sextò Eid. April. qui erat festus dies Paschæ à Dn. Abrahamo Colbingero Augustano, Consiliario & Secretario Electorali, in Aulam ad prandium introducti sumus ubi Electorem ipsum unâ cum Conjuge, Mauritij Nassovij sorore; unico filiolo, & duabus filiabus, sorore item Electoris germanâ, atq; Electricis sorore Nassoviâ vidimus; Dn. Wolffgangum Zundelinum

num quoq; compellavimus, ac postridiè, cum rhedâ ordinariâ Spiram profecti sumus.

9. *Spira Nemetum*, vulgò Speyer/Sacri Romani Imperij oppidum, Episcopatu & supremo Cameræ Imperialis Iudicio à Carolo V. Roman. Imperatore instituto, celebre, de quo suprà. 3.
Cœnæ.

Placuit hic adijcere, monumenta quædam antiquissima.

In templo Cathedrali;

AVus Hic;

✠. Anno D. Incarn. M. LVI. Henricus III. Niger, III. Non. Octob. θ. ✠.

Pater hic;

✠. Anno D. Incarn. M. CVI. Henricus IV. Senior VII. Idus Augusti θ. ✠.

Filius hic;

✠. Anno D. Incarn. M. C. XXV. Henricus V. Iunior. X. KA. Maij θ. ✠.

Reliquorum monumenta in tabellâ propè sepulchra affixâ sic ibi leguntur;

Conradus Rex Romanorum *II.* & Imperator *I.* huius nominis, origine Dux Franconiæ, habuit conjugem nomine Giselam, de antiquo sanguine Regum Franciæ ortam; Hic Conradus, Ecclesiam Nemetensem, sive Spirensem, antiquitus constructam, in honorem Sancti Stephani Papæ & Martyris, diruit & amovit; Et Ecclesiam quæ nunc cernitur, gloriosè ædificare cepit, primarium ponendo lapidem, in profesto Sanctæ Margarethæ Virginis, Anno Domini *M. XXX.* in honorem Sanctissimæ DEI Genitricis, Mariæ Virginis superbenedictissimæ consecratum; Et hoc Reginbaldo Spirensium Episcopo præsidente; Et obijt idem Conradus II. Non. Iul. Anno Dominicæ Incarnationis, *M. XXXIX.* sepultus cum Giselâ Vxore suâ prænotatâ in hoc choro Regum.

Henricus *III.* Romanorum Rex & secundus Romano-

rum Imperator, pius ac niger appellatus, filius præfatorum Conradi & Giselæ, uxorem habuit Agnetem, quæ fuit filia Regis Angliæ; Obijt Anno Dominicæ Incarnationis *M. LVI. III.* Non. Octob. præsidente Episcopo Conrado. Idem Henricus crucem præciosam, in summo altari reconditam, huic Ecclesiæ largiter donavit.

Henricus *IV.* Romanorum Rex, & tertius Romanorum Imperator, filius præfati Henrici, habens Vxorem Bertham nomine, hic sepultus cum eadem, Anno Dominicæ Incarnationis; *M. C. VI. VII.* Id. Aug. & à filio suo Successore in Imperio incarceratus, & in Vinculis mortuus. Rudigero Episcopo præsidente.

Henricus *V.* Romanorum Rex, quartus Imperator, præfati Henrici *IV.* filius Spiræ sepultus; Obijt Anno Domini *M. C. XXII. X.* Kl. Maij; Horum duorum, Patris & Filij in Porticu Spirensis Ecclesiæ supra januam sculptæ sunt imagines; Hic sine liberis discessit.

Philippus Dux Sueviæ, Romanorum Rex electus, in discordiâ contra Ducem Brunswicensem hic sepultus, Bambergæ occisus; Obijt Anno Dominicæ Incarnationis *M. CC. VIII. XI.* Kl. Iulij præsedente Ioanne Episcopo in Monasterio Dunheim.

Rudolphus Romanorum Rex, origine Comes de Habspurgk; Obijt Anno Domini *M. CC. XCI.* hic sepultus.

Adolphus de genere Comitum de Nassau Romanorum Rex, tempore Friderici de Hollandiâ Episcopi Spirensis, in hoc choro Regum sepultus; Obijt Anno Domini *M. CC. XCVIII. VI.* Non. Iulij, & occisus per Albertum Ducem Austriæ, successorem in Regno.

Albertus Romanorum Rex, Dux Austriæ, filius Rudolphi Romanorum Regis, Anno Domini *M. CCC. VIII. IV.* Kl. VIIbris; Obijt à fratre patris sui Rudolphi Regis occisus, & hic sepultus.

Gisela, Bertha, & Agnes, cum præfatis octo Imperatoribus &

bus & Regibus, & Beatrix in cryptâ Ecclesiæ, Imperatrices gloriosè requiescunt; Et Conradus & tres Henrici præfati, non modò Ecclesiam conservando sed magnis & superabundantissimis privilegijs, clenodijs, muneribus & donis honorârunt;

Animabus eorum propitietur Altissimus.

In quodam Altari hoc Epigramma, è Græco in Latinum traductum, & sepulchro Christi, characteribus aureis, ut nonnulli putant, inscriptum, hoc tenore legitur;

Vita mori voluit, & in hoc tumulo requievit;
Mors quia victa fuit, nostram victrix abolevit;
Nam qui confregit inferna sibiq; subegit,
Fide suos ducendo fuit Dux, ipse cohortis;
Tartarus inde gemit, & mors lugens superatur,
Atq; Triumphator hinc Surrexit leo fortis.

Monumentum cum statuâ ex saxo, Georgij Comitis Palatini ad Rhenum, Episcopi Spirensis &c. qui sudore Anglico extinctus, obiit Anno Christi 1529. 21. VIIbris.

Portò Spirensium Agri, optimo vino rubeo, quod *Anserum pedes* vocant, frumento & amygdalis abundant.

Memorabilem hanc Urbem reddit incomparabile *Oliveti fanum* in ambitu Maioris Basilicæ constructum.

10. Spirâ curru discessimus, quod curruum genus vulgò die Hudern appellant.

388. Galgenheim/ pagum. Et

389. Germersheim/ oppidulum Palatini transivimus.

Cœnæ. 390. Rheinzabern/ oppidulum. Hic in cœmeterio videntur Antiquitates aliquot, sed absq; inscriptionibus. 4.

11. 391. Lauterberg/ oppidulnm Episcopi Spirensis. Et

392. Saltz/ oppidulum Palatini transivimus.

393. Weinheim oppipulum in Marchiâ Badensi transivimus.

Prandij. 394. Kembsheim/ pagus. 8.

Cœnæ. *Argentina*, libera Imperij Urbs, de quâ suprà. 2.

Hinc Basileam curru profecti sumus.

Prandij. 395. Posszen/ pagus. Hic incipit tractus, quem vulgò den Schiedt appellant. 4.

396. Marckelsheim/oppidulum Episcopi Argentinensis transivimus.

Cœnæ. 397. Bießen/ Vicus Alsatiæ in Germaniâ. 4.

14. 398. Badenwyler/oppidulum Marchionum Badensium, à sinistrà conspectum; Sunt ibi thermæ artificiales, eò nempè deductæ.

Pertinent ad Georgium Fridericum March. Badensem.

Ottmarschen sive Ottmarschheim/ Vicus de quo suprà. 3.

Cambetas vulgò Großkembs. Vicum transivimus; de quo suprà.

Cœnæ. *Basilea*, Rauracorum Augusta, de quà suprà. 3.



ITER

Aprilis 25. Styl. vet. Maij.

ITER ITALICUM PER ALPES RHOETICAS, ET REDITUS IN PATRIAM, PER COMITATUM TIROLENSEM.

5. Styl. Nov. CUm per aliquot dies Basileæ substitissemus, partim reficiendi nos caussâ, partim ut ad iter Italicum nos præpararemus, tandem nomine DEI invocato, ut pro immensâ suâ misericordiâ huic itineri periculosissimo, clementer quoq; benedicere dignaretur, inde valedicentes Nobilissimo & doctissimo viro Domino Iacobo Coveto, Parisiensi, hospiti nostro amantissimo, Equis conductitijs discessimus.

Augustam Rauracorum vulgò Augst. Et Rhinfeldiam Oppidum, de quibus suprà, transivimus.

Prandij. 399. Mempff/ pagus. 2.

400. *Habspurg*, Arcem in Helvetiâ, Comitum Habspurgensium olim sedem à dextrâ reliquimus.

Cœnæ. 401. *Brugk*, Helvetiæ oppidulum, ad Arulam fluvium situm. 2.

6. 402. Königsfelden, Monasterium dives Bernatum in cuius templo sepultus est Leopoldus Austriæ Dux, à Subditis suis Sempachij occisus, unà cum Magnatibus & Nobilibus suis, quorum effigies ibidem depictæ videntur hâc inscriptione additâ;

Dit ist die Abconterfetung Hertzogs Lupoldts von Osterrich/ der zu Sempach mit dieser siner Ritterschafft / Adel vnnd mit Raht erschlagen wardt / vff dem sinen / in dem sinen / vnd vmb dat sine / vff Sanct Cyrillentag im dreyzehenhundert vnd achtzigisten Jahre.

Videntur ibidem in conclavi quodam *galeæ* magni ponderis, tum temporis usitatæ; Item duæ *urnæ cinerum defunctorum*; Inter occisos fuit etiam quidam ex nobili Schellendorffiorum familiâ.

Limagus fluvius hic hippagone traijcitur.

Badam sive Badenam, oppidum transivimus de quo suprà.

Wettingen/ Monasterium, ad quod secundâ vice Limagum traiecimus, de quo suprà.

Prandij. & Cœnæ. 7. *Tigurum*, primarium Helvetiorum oppidum, de quo suprà. 3.

Hinc alijs Equis conductis, & testimonio sanitatis petito atq; impetrato, quod Itali *La fede* vulgò appellant, discessimus, sine quo nemo, nisi in omnibus ferè diversoriis subsignatum, & à personâ publicâ, Notario videlicet confirmatum fuerit, nullibi intromittitur.

403. Dolchen/ pagum. } transivimus.
404. Dißnoch/ vicum. }
405. Mullen/ ad dextram reliquimus.

Prandij. 406. RAPESVILA, vulgò Rappersweill/ Helvetiorum oppidum, quondam sedes Comitum à Rapersvilâ, quorum successores Habspurgij deinde in his locis dominati sunt, In Helvetiorum potestatem pervenit Anno Christi 1458. Duæ factiones Rapersvilæ fuerunt; Austriorum una; Helvetiorum altera; Ex hâc Sigismundus Dux quosdam captivos Oenipontem abduxerat; alii eo facto territi, ad Helvetios confugerunt; Verùm omnes Patriæ restituti sunt Helvetiorum intercessione, qui palàm præ se ferebant bellum illaturos oppido ni vincti liberentur, & exules restituantur. Accidit autem proximo anno, ut Helvetii à Constantiensibus contumeliis affecti, bellum illis inferrent; Ex eo bello, cum pace factâ, Vrii, Svitii, Vnderwaldii, & Glaronenses domum redirent, à Rapersvilensibus transitum per eorum Urbem ac commeatum suis militibus petiêre, atq; operâ eorum qui Helveticæ factionis erant, facilè impetravêre; Cæterum in Oppidum admissi, cum numero ac Viribus cives superarent, & maior quoq; Civium pars tota Helvetiorum esset, Cives sibi Sacramentum dicere coëgerunt, itaq; ab hoc tempore Rapersvila in horum quatuor pagorum potestate permansit, Servatâ tamen Civibus eâ, quam sub Austriis habuerunt, libertate. 2.

Est hic *Arx antiquissima, & pons ligneus*, supra Limagum fluvium, qui lacum Tigurinum limpidissimum optimis piscibus abundantem ingreditur, longissimus, vulgò, der Zuricher See.

Mercken

407. Mercken/ pagum,
408. Vtznach/ oppidulum, } transivimus.
409. Schönist/ Monasterium.

Cœnæ. 410. Wessen/ Helvetiorum oppidulum; opus nobis fuit ad conficienda quatuor hæc, itineris unius diei, milliaria, tredecim horis & ultrâ. 2.

Lacui Wallenstetensi, propter summam angustiam, inter altissimas rupes & scopulos, periculosissimo nos commisimus, & divino freti auxilio, feliciter eum superavimus.

Prandij. 411. Wallenstett/ Helvetiorum oppidulum. Non procul ab hinc oritur *Limagus* fluvius, qui lacum Wallenstetensem efficit, & appellatur vulgò die Lindt/ retinetq; nomen illud Rapersvilam usq;, ubi alium lacum, Tigurinum videlicet, ingreditur, & aliud simul nomen assumit, vulgò die Limmadt/ quo etiamnum gaudet, usq; dum in Rhenum se exonerat. 2.

412. SARUNEGANS, vulgò *Sargans*, q. d. Saræ anserem, Helvetiorum oppidum transimus; quæ appellatio à Sarunetum nomine, haud dubiè deducta est. Quoniam verò *Sarunetum sedes* est ad ortum Oeni fluminis, qui *populi* hodiè *Engadini* dicuntur, hi nostri Sarunetes, aut Saruneganſii, superiorem fortè coloni sunt, aut suum nomen non ab illis, sed à *Sarâ* fluviolo oppidum hoc præterfluente acceperunt; Paruit olim Sarunetum regio, Comitibus Werdenbergiis, qui propterea Sarunetum Comites dicti sunt; Ac aliquando Regio hæc Austriis Principibus, & posteà Comitibus Toggiis oppignerata; rursus tamen à Comitibus Sarunetiis, redemta ac possessa est, donec Anno Christi 1483. Georgius Werdenbergensium Comes eam septem pagis Helvetiorum venderet. Ab his præfecti ordine mittuntur, qui in Arce olim Comitum domo, habitantes, Sarunetibus imperant; Sunt autem hi pagi septem veteres, ad quos & Turgea, & Liberæ Provinciæ pertinent. Oppidum ipsum Sarunetum, quamvis Helvetiis pareat, suis tamen privilegiis fruitur; proprios Magistratus sibi creat, qui Civibus Ius dicunt, & caussas civiles cognoscunt.

Rega-

413. Regatium *Ragatz*, Vicum ad fluvium Menner situm, transivimus, unde non procul absunt fines Helvetiorum & Rhætorum.

Haldenstein/ arcem ad dextram reliquimus ad Rhenum fluvium.

Cœnæ. 414. CURIA, Rhœtiæ oppidum vulgò Chur. Fœderis Domus DEI, deß Gottshußpundts caput, Episcopatu celebre; licet is qui nunc est eò loci Episcopus, omni in Subditos & territorium potestate exutus, vix habeat unde secum uno atq; altero famulo honestè sustentet. Habet autem *Curiensis Civitas*, peculiarem Rempublicam, non dissimilem Tigurinæ, & alijs eiusdem generis; Primum enim cives omnes *in quinq; tribus* distincti sunt; Ex singulis tribubus, Viri *XIV.* publicis consiliis intersunt, ita utrumq; consilium homines *LXX.* habet; Ex his è singulis tribubus quinq; in *Minus consilium* deliguntur, quibus adduntur quinq; Magistri tribuum anni superioris, atq; ita Consessus virorum *XXX.* conficitur; horum pars media Viri *XV. Senatores* vocantur, qui Rempublicam administrant; Senatui præsunt *duo Consules*, quorum annuum per Vices est imperium; Senatus verò & Magistratus Urbis quotannis Novembri Mense, die D. Martino sacro deliguntur. Porrò Viri *XXX.* quorum paulò ante mentio facta, caussas criminales judicant; & huic judicio præsidet *Præfectus Urbis*, der Stadtvogt; duo autem hoc munere alternis annis funguntur, sicut & Consules. Alter deinde est consessus Iudicum, cui præest *Prætor Urbanus*, der Stadtrichter/ ac *XV.* Assessores habet, *V.* tribuum Magistros & *X.* ex consilio *XXX.* Virorum, qui propterea Iudices vocantur; In hoc Iudicio controversiæ Civiles & actiones pecuniariæ de debitis solent dijudicari. Caussas matrimoniales, Senatus sive Minus consilium dijudicat. 4.

Cæterùm gentes fermè omnes, qui in hoc confinio habitant, hodiè ab Italis *Grisones* appellantur, olim *Cani dicti*, quam Vocis Etymologiam quoq; Germani retinuisse videntur, qui eos Graupundter/ h. e. Canos fœderatos nominant.

Hic

9. Hic alios Equos conduximus.

415. Zurzundt/ Vicum transivimus.

416. Paduz/ Pagum Rhœtiæ quoq; transivimus.

417. Raz/ Rhœtiæ Vicum transivimus.

Prandij. 418. *Tusciana*, vulgò Thossis. Rhœtiæ Oppidulum, ad quod incipit iter difficilimum, & periculosissimum, propter rupes immensas, summas Viarum angustias, & continuos quasi pontes, in alto supra cataractas Rheni suspensos, quos dum necessariò, tremebundus tamen transis, semper metuens, ne infra te concidant; Vix etiam fieri potest, quin horrore summo quis concutiatur, ob ineffabile murmur Rheni, intra scopulos, & quasi in abysso se volutantis. 2.

Cœnæ. 419. SPELUGA, vulgò Spluge, celebris vicus, in summis Rhœtiæ Alpibus situs, à quo mons nomen accepit; Rhœti vocant, *Colmen del orso*; Germani, den Vrschler vnnd den Splugerbergt. Non procul abhinc, dimidio vix, ut relatum nobis est ab incolis, milliari, *Rhenus oritur*; de cuius fontibus Cæsar comment. de bello Gallico lib. 4. 2. Rheni fontes.

10. Postridiè montem *Spelugam*, vulgò Splugerbergt/ ob summas difficultates nobilem, totum nivibus altissimis tectum ascendimus, in maximo gelu, & tanto cum labore, ut quamvis quatuor uteremur viæ ducibus, qui præibant, & palis ac rutris viam aperiebant, propter frequentes tamen lapsus, in gravi cum nostris equis versaremur discrimine, ita ut in huius montis ascensu & descensu, plus quam VI. horas insumserimus.

Prandij. & Cœnæ. 420. *Gamboltschin*, pagus Rhœtiæ; Hic incolæ idiomate Italico uti incipiunt, sed corruptè. 2.

11. 421. *S. Iacomo*, vulgò; Latinè S. Iacobi fanum sive templum ad dextram reliquimus.

Prandij. 422. CLAVENA, Rhœtiæ oppidum, vulgò Cleven/ Ital. *Chiavenna*, ad fluvium *Mairam* situm, qui non procul abhinc, in lacum Comensem, olim Larium nuncupatum se effundit. 1½.

Hic alios Equos conduximus.

423. *Nouva*, Rhœtiæ vicus. Hic cum nimiùm difficilis ascen-

ſu mons eſſet, partem Lacus Comenſis ad usq; pagum *Pocadado*,
424. ubi *Telinia Vallis*, vulgò Våltlin *initium* eſt, nave trajecimus, & rurſus equos conſcendimus. Vallis Telinia, ſeu Volturena.

425. *Dubin*, pagum Vallis Teliniæ ſive Volturenæ tranſivimus; Pons ibi ligneus *Abdua* fluvio impoſitus eſt, qui tùm temporis fortè exundans difficiliorem & periculoſiorem nobis reddidit viam.

[Volture]næ. 426. *Kyais*, Volturenæ pagus; Hecalem hîc cœnam habuimus. 18½.

12. 427. *Morbenium*, Volturenæ ſive Teliniæ Vallis oppidulum, vulgò Morbing/ Præfecturâ clarum. Montem huic oppidulo Vicinum, per quem Bergomum verſus in Italiam iter eſt, propter nivium copiam tranſire nequivimus. 2.

[Sondr]andij. 428. SONDRIUM, vulgò Sonders/ celeberrimum totius Volturenæ ſive Vallis Teliniæ oppidum, *Præfecturâ* nobile, quæ dignitate & poteſtate reliquas omnes præcedit, & qui eam tenet, non *Præfectus* aut *Poteſtas* nominatur, ſed *Capitaneus*. Nam præter Sondrienſem Præfecturam, pacem & tranquillitatem totius Vallis tuetur, & ſi quod periculum immineat, Imperatoris munere fungitur. Capitaneo additus eſt Vicarius, qui unâ cum Capitaneo civiles controverſias Sondrienſis Præfecturæ cognoſcit; Prætereâ Ius dicit in criminalibus & capitalibus cauſſis, quæ ex totâ Valle ad eius tribunal deferuntur, ac in conſilio habet Viros doctos & Iurisconſultos, ac juxta leges & ſtatuta *Volturenæ Vallis* ſententiam fert, quam tamen in ſingulis Præfecturis, hi quos Poteſtates vocant, moderari & mitigare poſſunt. Prætereà in omnibus cauſſis provocare licet ad Senatum Dominorum Rhætorum, vel ad eos, quos illi *Commiſſarios*, (ut vocant) Iudices ordinarint & miſerint; aut deniq; ad *communitates*, quæ *ſumma* penes Rhœtos *poteſtas* eſt. 15.

Cæterum fluvius *Abdua*, cuius paulò ante ad pagum Dubin, facta eſt mentio, *per mediam* quaſi *Volturenam fluit*, ita ut Vallem iſtam in duas æquales portiones ſecare videatur; quarum una in collibus *Vinum generoſum* producit, altera fert *Caſtaneas*

ſtaneas nuces in magnâ copiâ; Ad utramq; fluminis ripam ſunt campi fertiles, & prata amœniſſima.

Alij hic rurſum conducti ſunt Equi.

Cœnæ. 429. *Villa*, Volturenæ vicus. Hic primum vidimus currus in quibusdam Italiæ locis uſitatos, cum parvis & depreſſioribus rotis. 4.

13. Prandij. 430. *Edelo*, oppidum Venetorum, quorum Iurisdictio hic incipit. 16.

Mutandi hic viciſſim fuerunt equi.

431. *Zem*, pagus Venetæ ditionis. 12.

14. 432. *Breno*, Venetorum vicum tranſivimus.

Cœnæ. 433. *Civita*, Venetorum vicus. 8.

Prandij. 434. *Lovero*, Oppidulum Venetæ Iurisdictionis ad dextram reliquimus.

435. *Biſognia*, Venetorum oppidulum. Hic lacum nave trajecimus, qui ab hoc oppidulo nomen habet. 14.

Cœnæ. 436. *Eſelo*, Oppidulum Venetorum, ubi Brixiam usq; equos alios conduximus. 15.

15. Prandij. 437. BRIXIA, vulgò *Breſcia*, ſub Venetorum Imperio, oppidum nobile ad radices montis poſitum, antiquitate amplitudineq; ædificiorum, cum multis Italiæ Urbibus certans; De hoc autem Epigramma non inelegans tale prodidit Iulius Cæſar Scaliger, noſtri ſæculi Poëta præclarus; 14.

Quæ pingues ſcatebras ſpeculâ deſpectat ab altâ,
Poſtulat Imperij Brixia magna Vices.
Cœlum hilarum, frons læta Vrbi, gens neſcia fraudis,
Atq; modum ignorat divitis Vber agri.
Si regeret patrias animis concordibus oras,
Tunc poterat Dominis ipſa jubere ſuis.

Propter diſſenſiones etenim Gallorum, ac Inſubrum vicinorum, jugo olim oppreſſum, varias paſſum eſt calamitates; nunc tandem ſub Venetorum Imperio, quietum floret opibus ac mercaturâ frequenti, rebus omnibus affluens, ſolertis ingenij

populo, ac Nobilitate magna abundans; Agro item olei, vini, frumentorum, fructuumq; omnis generis excellentissimorum, fertilissimo locuples; habetq; *metallorum venas* fœcundas, inprimis *ferri & aris*, unde ex sclopetorum, & bombardarum optimarum fabricatione, maximus Civitati redit quæstus. T. Livius, alijq; magni auctores tradunt, Brixiam Regum Romanorum tempore, à Gallis Cenomannis esse conditam, quam posteà Romani, *Transpadanâ Galliâ*, in potestatem redactâ, suæ ditionis etiam fecerunt; Constat ex Livio, fidem populo Romano constantissimè quondam præstitisse, atq; præcipuè difficilimis Hannibalis belli temporibus. Coloniam Romanorum factam esse volunt bello sociali confecto, cum Veronam & alia trans Padum oppida, Cn. Pompejus Strabo, Pompeij Magni Pater colonias deduceret. Nec diu posteà C. Cæsaris auspicijs, simul cum alijs Transpadanis Ius Romanæ Civitatis accepit, atq; sub Imperatoribus Romanis deinde, quamdiu Imperium in Italia stetit, admodum floruisse constat. Testimonio sunt antiquitatis monumenta varia, quæ adhuc in eadem Urbe vicinoq; territorio passim reperiuntur; nimirum pulcherrimæ marmorum inscriptiones, statuæ, statuarumq; tituli, atq; illustrium hominum Epitaphia plurima; ex quibus Urbis illius amplitudo prisca facilè colligi potest.

Porrò visu & notatu digna hic sunt;

I. Summum *Templum Mariæ Gratiarum*;

II. *Conventus* Faustini;

III. Episcopi *Palatium*, statuis ornamentisq; varijs opulentum.

IV. *Forum* porticibus ac Prætorio superbo conspicuum.

V. *Castrum* munitissimum, in quod ex peregrinis Germani potissimùm, magno tamen cum delectu intromittuntur: Gallis, & alijs plærisq; minus notis, pentius exclusis; Quinimò *Præfectus*, cui cura & custodia istius loci commissa est, juramento obstrictus prohibetur, pedem extra Castri portas unquam efferre, vel in-

vel inde exire, priusquam successorem acceperit; In editiore loco positum est, ita ut oppidum, à quo dimidij circuli instar ambitur, inde commodè defendi, & in officio quoq; contineri possit;

Propugnacula habet *duo*, alterum altero superius, ut si inferius fortè occupatum sit, à superiore se defendere possint obsessi; Porta postica servit eò, ut si fortean in Oppidum jam ab hoste interceptum non pateat aditus, aliundè militi de commeatu prospiciatur; *Cisternæ* sunt ibi *quatuor*, quarum unaquæq; per integrum annum præbet aquam; Ex propugnaculis transitur in *Armamentarium*, in quo tormenta bellica, tela & jacula omnis generis, quibus hostes arceri solent, ostenduntur; Monstratur ibidem & *stabulum* tàm amplum, ut 300. Equis sufficiat.

Rebus hisce omnibus singulatim perlustratis, quadrigis hinc discessimus.

438. *Lonado*, vicum transivimus.

Cœnæ. 439. *Defenzano*, Insubriæ sive Galliæ Cisalpinæ aut Transpadanæ Oppidulum, ad lacum Benacum situm, sub Imperio Venetorum. 18.

16. 440. *Rivoltellam*, Insubriæ sive Galliæ Cisalpinæ oppidulum, sub Venetorum imperio transivimus; Quemadmodum &

441. PESCHIERAM, Venetorum in Galliâ Cisalpinâ Oppidum, naturâ & arte fortissimum, ad Lacum Benacum, vulgò *Lago di Garda*, Germ. der Gard See/ situm; qui sicut omnium Italiæ lacuum censetur amœnissimus, si tranquillus est; ita navigantibus periculosissimus, si tempestate commoveatur; id quod hodiè notum est, & olim fuisse, à Virgilio, in illius descriptione his verbis notatur, lib. 2. Georg; Lacus Benacus.

Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino.

Etsi autem multi Autores Benaci laudes & utilitates, prolixà descriptione decantarunt: tamen Sabellicus, lib. 2. decad. 3. paucis verbis multas comprehendit, sic scribens; Est *Benacus* amœnissimus Italiæ Lacus, omninò longior quam latus; Longitudo illi, ab occasu brumali ad Aquilonem XXX. circiter millia

passuum excurrens, quantum illi Mincius ad Meridiem auffert, tantum Sarca fluvius & Ponalis à Boreâ & septentrione reponunt. Ipsius *aqua* ita *perspicua*, ut si non omninò medium, ubi constat immensæ esse altitudinis, naviges, ima ferè stagna perspicere liceat; Sed vix tam amœnus est, dum nullo agitatur vento, quam violentus est minax, ubi turbari cepit; Vnus ex omnibus Italiæ lacubus, si eminentissimo Poëtæ credimus, cum vehementer concitus est, marino assurgit fluctu. Pisces alit optimos, in quibus *Carpiones* principatum obtinent; eorum captura ab extremo Autumno in Vernum tempus extenditur; ex profundis stagnis summo piscantium labore eruuntur. Vtramq; ripam cultissima oliveta vestiunt; his horti passim interjecti, felicibus consiti arboribus, quæ *citrea, medica, punica,* & quæ accolæ ipsi *Adamia* vocant, habent *mala*; Ora illa, quæ ad Veronensem agrum spectat, ad dextram, post Piscariam, Lagisium habet, Bardolinum, Gardam, undè posteà lacus nomen accepit; Turres, Masecinum, (quam & malam silicem audio à quibusdam appellatam) contra verò in ipsis aquis Sirmio est, Catulli Poëtæ venustissimi patria, cum vestigio vetustatis saxo, quod lacui imminet imposito Brixianorum; Post Sirmionem Rivoltella (sive ut alijs placere audio) Rivaltella, Minerbium, Felicianum, Portoësium; extremo loco *Salodium* totius Regionis caput; Montes inde asperrimi Boream versus ad Ripam usq; is locus cum Penetrâ, quæ non procul inde vivo saxo assurgit, Tridentini olim agri fuêre, Penetranæ Arci *Nacus* prominet vicus, unde Benacum vetusto nomine lacum appellatum suspicari libet, ut quem mutatâ literâ, Benacum dicimus, quia penes Nacum esset, prisci accolæ Penacum dixerint. Hactenus Sabellicus.

Prandij. 442. VERONA, vulgò Bern/ quibusdam etiam Dietrichs-Bern/ quasi Verona Theodorici Ostrogotthorum Regis, Galliæ Cisalpinæ sive Insubriæ oppidum, sub Imperio hodiè Venetorum, à Gallis Cenomannis conditum, Duce Brenno, à quo *Brenona* primò, deinde mutatis literis Verona dicta est, ut Iustinus 22.

lib. 20

lib. 20. circa fin. refert. Hi enim cum novas ſedes quærere ob inteſtinas diſcordias, & aſſiduas diſſenſiones cogerentur, in Italiam venêre, expulſisq; inde cultoribus Toſcanis, Mediolanum, Comum, Brixiam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam, & Veronam condiderunt ad Atheſim fluvium amœniſſimum, qui ex Tridentinis Alpibus ortus, non longè à foſsâ Clodiâ Pado miſcetur. Ex hoc oppido Plinium naturalis hiſtoriæ ſcriptorem, & Catullum Poëtam originem traxiſſe, quidam exiſtimant, Ovid;

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Cæterum viſu & notatu digna hic ſunt:

I. *Ædes Cathedralis* pervetuſta & ſumptuoſa;

II. *Templum Sanctæ Mariæ* antiquæ, in quo Tumulus eſt Comitum de Negarolis, Anno Chriſti *M. CC. X.* erectus; Item monumentum Scaligerorum magnificentiæ plenum, aquilâ ſcalam ſcandente inſignitum.

III. *Forum*;

IV. *Curia*;

V. *Theodorici*, aliorumq; Gotthorum, longobardorumq; Regum, *Arces* & *Caſtella*;

VI. Plurimorum Principum veterum *alta palatia, ac domus* nobilium excelſæ;

VII. In foro boario, vetuſtiſſima, & è quadrato ſaxo peramplíſſima *Amphitheatri moles*, quam *Arenam* Cives appellant; Cuius exterior paries, quatuor Zonis pulcherrimis cinctus, totidem columnarum, arcuum ac feneſtrarum ordinibus, quadruplici opere, Dorico, videlicet, Ionico, Corynthio, & compoſito in admirandam extollebatur altitudinem; quemadmodum ex dicti parietis quatuor arcuum parte colligi poteſt, quæ ſola reliqua manet erecta: Totum enim exteriorem Amphitheatri circulum, Barbari poſterioris ſæculi ſublatis ad alia ædificia marmoribus, usq; ad fundamenta ſunt demoliti: atq; tantæ Majeſtatis opus, non ſecus ac formoſam, adornatam & longè conſpicuam

Amphitheatrum Veronenſe.

ſpicuam Spartam quandam, diſcerptâ pulcherrimâ veſte turpiter admodum denudârunt: Ex reliquijs tamen, veluti ex vnguibus Leo, totius ſtructuræ magnitudo facilè cognoſcitur, ac quanta eius ars & pulchritudo fuerit. Ordinem enim unumquemq; parietis exterioris LXXII. portas, vel arcus, totidemq; columnas habuiſſe, docet ipſa circularis proportio, & Architectica dimenſio: Tertium autem operis Corynthiaci CLXIV. ſtatuis Colloſſæis, inter arcus & columnas redimitum fuiſſe, loculi & & veſtigia demonſtrant. Introducti in porticus triplices interiores concameratas, totam machinam circumambientes, vehementer admirati ſumus, Viarum & graduum labyrinthos ſibi invicem occurrentium undequaq;, quibus populus ſcandere in porticus ſuperiores, & in ipſa caveæ interioris ſedilia, vel deſcendere & exire, ſine turbæ obviantis impedimento, quàm commodiſſimè poterat. Ingreſſi Arenam mediam vidimus planitiem, ovatâ ſpecie extenſam, in longum decempedas XXXIX. in latum verò decempedas XXII. cum dimidiâ, circumſeptam undiq;, ſedelium ordinibus quadraginta duobus, gradatim, declivis tecti in modum ſupra porticus interiores aſcendentibus in altum; Quæ tantæ ſunt capacitatis, ut ſupra viginti tria hominum millia, per circuitum in ijs commodè ſedere potuerint: Spoliata quidem jam olim fuit à Barbaris interior hæc amphitheatri cavea marmoreis ſuis ſubſellijs: Sed nunc Equeſtris ordo, Nobilitasq; Veronenſis eandem ſuis impenſis reſtauravit, marmoribusq; veſtivit: Quæ feſtivis quibusdam diebus populo Venationes, ludos equeſtres, ac pedeſtria certamina publicè in eadem Arenâ Majorum more ſolet edere.

Cæterùm de tanti operis authore, cum apud Veteres nullam huius mentionem inveniamus, cuilibet ſuum ſit judicium; Moles ac magnificentia inſignis eius ædificij, nec non artificum & Architecturæ perfectio, unicuiq; facilè perſuadent, non rudi & impolito, & ad Romani nominis æternitatem florentiſſimo ſæculo Imperij, cuius potentiam repræſentant, tantam machinam excitatam fuiſſe.

Aliæ

VIII. Aliæ præterea *Antiquitates* oppidi monſtrantur; *Theatri veteris ruina*; *Pontes lapidei* in Atheſi, qui fluxu tortuoſo medium ſecat oppidum; Item *porticus*, partim combuſtæ partim dejectæ, nec non Iani quadrifrontes, & Arcus marmorei ſculpturis pulcherrimis elaborati, atq; titulis eorum, quorum ob merita publicè fuerunt erecti, inſigniti.

IX. Videntur *nova* munitionum urbis *ſtructura*, quibus Veneti maximis operibus & ſumptibus, continuoq; ſtudio eam inexpugnabilem reddere contendunt; immanes aggeres, ſpiſſiſſimi muri, turres ac propugnacula, tormentis bellicis armata, foſſæ profundæ atq; latæ, quas Atheſis intromiſſus redimplet; item portæ Urbis novæ, non tantùm artificio & operibus admodum munitæ, ſed etiam ſculpturis, ſtatuis & marmoreis columnis adornatæ.

X. Eſt quoq; non procul ab hoc oppido, in Valle quadam *Policella* dicta, locus Negarina nomine, ubi *ſaxum duriſſimum* viſitur, in quo *mammæ* ad juſtam muliebrium formam, ſculptæ ſunt, ex quarum papillis perpetuæ *ſtillant aquæ*; quibus ſi lactans mulier papillas aſperſerit, & laverit, exſiccatus aliquo, ut fit vel morbo vel alio caſu, illi lacteus humor revocatur.

XI. Veronæ vicinum *templum*, novum & *rotundum* D. Virgini *Deiparæ Mariæ* ſacrum, quod & ſtructuræ magnificentiâ & crebris miraculis valde eſt celebre, etiam viſu dignum eſt.

Porrò vecti hinc quadrigis per incultos & lapidoſos Veronenſium campos, qui ante Veronam in collibus poſitam, millia paſſuum viginti patent, & celebres ſunt, maximis ſummorum Ducum aliquot victorijs aut cladibus, in memoriam nobis revocavimus: Sabinum, Iulianum, Imperium invadentem, à Carino Cæſare in ijsdem campis victum & occiſum fuiſſe, atq; Odovacrum Herulorum & Turcilingorum Regem, qui Auguſtulo depulſo, Italiæ Regnum per vim occupaverat, & aliquot per annos, eam tyrannide oppreſſerat, à Theodorico Oſtrogotthorum Rege triduano prælio debellatum fuiſſe; cæſum item poſteà Lambertum Guidonis Spoletani Regis filium, cum qua-

tuordecim Hungarorum millibus à Berengario; nec multos post annos ab Hugone Arelatensi Arnoldum Bavariæ Ducem, cum paratissimo Germanorum exercitu, quem Veronenses primi Regem Italiæ contra Hugonem appellatum, specie triumphantis intra mœnia receperant; Devictum in ijsdem campis etiam à Rudolpho Burgundo Berengarium alterũ, Italiæq; Regno privatum; Avorum deniq;,patrumq; memoriâ,magnis sæpè prælijs, in illo camporum tractu, de Italiæ Principatu fortunâ variâ certatum fuisse &c.

443. *Soave*, Castellum Venetorum cum oppidulo à sinistrâ reliquimus.

Cœnæ. 444. *Villa nuova*, pagus Venetæ ditionis. 15.

17. 445. VICENTIA, ut nunc appellant, veteres tamen Roma- 18.
Prandij. ni *Vicetiam* dixêre, veluti antiqua marmora demonstrant, vulgò *Vicenza*, Galliæ Cisalpinæ sive Insubriæ oppidum, sub imperio Venetorum, antiquitate cum cæteris eius tractus oppidis certans, conditum, quemadmodum Sex. Pompeius Trogus affirmat à Gallis cum Mediolano, Como, Veronâ, Brixiâ, Bergamo, quos Tarquinij Prisci Rom. Regis temporibus, Tuscos ex ijs Regionibus pepulisse. Livius lib. 5. Decad. 1. memorat.

Notatu & visu digna hic sunt;

I. *Prædicatorum* fratrum *Cœnobium*, in cuius ornatissimo templo, monstratur sacra illa spina, ex coronâ Christi Servatoris nostri, quam à D. Ludovico Francorum Rege dono acceptam, Bartholomæus Vicentinus ejusdem Urbis Episcopus, atq; ordinis Prædicatorum, huic olim templo dedicavit, ubi cum magnâ Religione servatur.

II. *Templum* primarium sive *Cathedrale*.

III. *Forum* ædificijs splendidum & rerum venalium copiâ abundans.

IV. *Prætorium* magnificentissimum.

V. *Situs Oppidi*, quod à duobus amnibus, Bacchiglione & Rerone ibidem confluentibus irrigatur, habetq; mercium re-

rumq;

rumq; omnium inferendarum magnam commoditatem, ex agro illo Gallico circumquaq; frumenti, Vini, olei, fructuumq; quæ terra producit, omnium feracissimo.

VI. Sericum Bombycinum, bonitate præstantius alio.

446. *Artesigam,* Vicum Venetorum transivimus, ubi magnificum Contareni videtur Palatium.

447. PATAVIUM, vulgò *Padua,* Galliæ Cisalpinæ sive Insubriæ oppidum, antiquissimum Carrariensium quondam Principum, nunc sub Venetorum Imperio, olim *Antenorea,* ab Antenore Troianorum Duce, eius conditore, vetustissimorum scriptorum testimonio dictum; qui captâ jam Troiâ, unà cum Henetis & Paphlagonibus, in intimum Maris Adriatici sinum, sese contulerat; in plano situm, undiq; amnibus irriguum, latis & profundis fossis, aquâ repletis, validissimisq; muris cinctum, populo frequens, Episcopatu & Academia clarum; in quo visu & notatu digna sunt:

I. Templum Cathedrale, propter structuræ magnificentiam percelebre, sub se habens XXII. Basilicas.

II. D. Iustinæ templum cum Monasterio, ubi instauratio Religionis D. Benedicti cepit, olim Concordiæ sacrum, hodiè planè novum, è quadrato saxo, magnis impensis, & architecturâ mirificâ extructum; Viginti duo millia aureorum reditus superare dicitur; Monstrantur ibidem D. Lucæ Euangelistæ reliquiæ & ossa, in monumento Alabastretico antiquo, nec non aliorum Divorum Martyrum. Volunt etiam T. Livij sepulchrum & reliquias ibidem inventas esse.

In choro illo subterraneo, arcuato opere facto in lapidem hoc distichon incisum legitur:

Iustina vetus hac Diva pretiosa sepulchrum
Claudebant nostris saxa reperta viris.

In perystilio deniq; huius monasterij, videntur egregiæ & variæ picturæ, item effigies quorundam Imperatorum, qui

derelicto Imperio monachi facti sunt, & aliquot Monachorum, qui ex monachis Pontifices electi fuerunt.

III. Templum D. Antonij Ulyssiponensis Confessoris, cum Monasterio Franciscanorum, magnificentiâ cætera vincens, Iunonis olim, inde B. Mariæ, tandem Antonij, ob frequentia miracula, quinq; testudinibus altissimis plumbo tectis, & duabus turribus consurgit, pavimento marmoreo. Absolutum Anno Christi 1307. Duumviri cives Præfecti Ærario D. Antonij eleemosynas & oblationes custodiunt.

Interius contemplatione digna est *Capella D. Antonij*, unâ cum eiusdem sepulchro, ex marmore candido; Item *tabula anea* circa chorum ex veteri Testamento.

In marmore lydio aureis literis incisis hæc inscriptio videtur:

HANC Alexandri Contareni Venetæ Classis cum summâ potestate fortissimi Legati, D. Marci Procuratoris, quem nec venti in periculosissimis Reipub. temporibus retardarunt unquam, & Hariadenus Barbarossa Othomannicæ Clasis Imperator potentiss. sæpè timuit: tam admirabili artificio ductam effigiem, magni indicem animi, præclarumq; totius maritimæ disciplinæ simulacrum, ut posteritas haberet, quod instar immortalitatis ac gloriæ unicæ coleret; nec quicquam Patavino splendori deesset: Petrus & Raudulphus frat. Op. P. Vixit Ann. *LXVII*, dies *VIII*. Obijt Kal. Apr. *M. D. LIV*.

Ex opposito huius Epitaphij.

PETRI Bembi Card. imaginem Hieronymus Quirinus Ismeril F. in publico ponendam curavit.

Vt cuius ingenij monumenta æterna sint, eius corporis quoq; memoria, ne à posteritate desideretur. Vix. ann. *LXXVI. M. VII. D. XXIX.* Obijt *XV*. Cal. Febr. *M. D. XLVII.* Tumulus ex marmore albo, hac inscriptione: MONARCHA sapientiæ, Antonius de Roycellis, *M. CCCC. LXVI.*

Sub

Sub effigie D. Antonij, protectoris Paduæ,
hi versus extant:

Si tua te facies, tua te commendat imago,
Hac tua si paries oblita numen habet.
Sancte quid Antoni, confessor regula vitæ
Efficeret quondam religiosa tua?
Clara quid efficerent tua tot miracula totus
Quid faceres ::m spiritualis homo?
Quid facerent animi dotes, redolentia Paulum,
Quid facerent oris verba diserta tui?
O decus Antoni Lusitanæ gentis adesto,
Pelle patrocinio crimina nostra tuo.
Adsumus ecce tuum Lusitani invisere corpus
Da reditum, ô patrios da tetigisse lares.

Tumulus Annibalis Saviolæ I. V. D. qui mortuus est
Anno M. CCCC. XXIX.

Fama, fides, gravitas, celebres in honore labores,
Archetypos post hunc sollicitate viros.
Blandus is orator, vates, doctor, quoq; legum
In cunctis Fabius maximus omnis erat.
Virgo mater capias animam, Deus *optime parce*
Sic mentem cœlo, reddimus ossa solo.

D. M. S.

Carolus Comes in Ortenburg, ex antiquis Bavariæ Regulis oriundus, juvenis ingenio peramabili, industria præcellenti, modestia ac vitæ innocentia omnibus retro memorabilis, heic situs est, qui à primo jam ætatis flore, in præclaris Germaniæ, & Galliæ Gymnasijs optimis moribus & artibus doctus & eruditus, cum uberioris doctrinæ caussa Italiam adiisset, in primo eius introitu præmaturè denascitur, cui amantissimus frater Georgius unà cum agnatis mœrentes H. M. P. C.

Obijt anno *M. D. XCII. IV.* Kal. Ianuarij, cum vixisset

annos *XIX.* *M. II. D. XVI.* L.F.D.C. Nicolaus Regensdorff.

Amat victoria Curam.

D. O. M.

Eberwino Wiricio ex antiquissima augustaq; Comitium in Bentheim, Teckelburg, & Steinfurt, Dominorumq; in Rheda & Whevelinghaven &c. familia oriundo, juveni illustri, generoso, & omnibus tam animi quam corporis bonis ita absoluto, ut si victoria immortalis mortalem (ad quam pius per continuas equestrium, palestrium, studiorumq; liberalium curas, Regionum variarumq; linguarum exercitia & mores quotidiè properabat, anhelabat) non prævenisset, suis magno imperio, ornamento maximo fuisset futurus, animam DEO, corpus huic loco, sui desiderium bonis omnibus reddant, parentes mœstissimi, pientissimè poni fecere, Anno Christi, *M. D. XCVIII.* Obeunti, *M. D. XCV. X.* Iunij, *VI.* matutina Ætatis *XXI.*

Videntur deniq; monumenta, Reineri Arsendi qui fuit Bartoli Præceptor, Philippi de Gregorijs Siculi, Ulysijs Venturij, Antonij Ursati, aliorumq; præclarorum virorum.

Exterius Gattæ Malatæ statua in areâ Equestris ex ære, Donati Florentini opus.

Apud Eremitanos, ubi inclytæ Nationis Germanicæ sepulchreteum est, hæc Epitaphia videntur:

OSSA

Ill. quod & generi Adol: Geor. Ebent. Bar: ab Aversperg, Camer. Hered. Carn. & Slavon. *X.* Iul: piè defuncti, Anno *M. D. XCI.* Ætatis suæ *XIV.*

IACOBI.

Intus adest cortex olim bonitatis imago,
Vita etenim cœlo est lucida juncta Iovi.

VECELLII.

Ne lanceam in cœlum referres duplicem
Casto priorem cum nequivisset Venus

Aufer-

Auferre, candidate Iuris alteram
Iam jam paratam invidit atropos tibi.

D. O. M.

Nostitio Caspar de sanguine natus equestri.
Hic ubi Pruteni succina odora legunt.
Quum procul à patria peregrinis hospes in oris,
Fatali jaceo contumulatus humo?
Si pietas, virtus, si nobile stemma parentum,
Si doctrina necis frangere jura queant:
Invida non ullo me tempore fata tulissent,
Vixissem Pylios Nestoreosq; dies.
Sed quia laudatos fera mors intercipit ausos,
Nequaquam poterant parcere fata mihi.
Annis maior erat mihi docta scientia legum
Et vera duxi nil pietate prius.
In medio cursu virtutis ad ardua tendens
Culmina, fata meos praripuêre dies.
Patria me luget, fratres mœstiq; parentes
Queis desiderium triste relinquo mei.
Transiit athereas anima immortalis ad auras,
Terrenum corpus terra caduca tegit.
Cum tuba terribilem sonitum dabit athere surgam,
Semper & aternum glorificabo DEUM.

Obijt Anno Salutis *M. D. LXIV. XXVI.* Ianuarij vixit annos circiter *XXIII.* Fridericus à Nostiz frater, extremi amoris ergò F. & P. Anno *M. D. LXXIV.*

IACOBO BELLEGHERIO ALEX. F. PATAV. Pont. Cæs. q. IUR. Corona insignito, in causis verò forens. tuend. nulli secundo, simulachrum hoc æneum ad vivam effigiem ductum, ut illius memoria posteris asservetur: Francisca & Antonia sorores fratri B. M. una cum monumento F C. *M. D. LXIX.*

Ad fenestram hæc inscriptio:

An.

An. Christi *M. D. LXXI.* festo D. Iustinæ die, Selimus Ottomannus, superbus Orientis regnator, inhians Italiæ, quadringentis validissimis triremibus, victricia arma circumferebat; Veneta Respulica impari quidem ope, sed Christi insignibus exultans, hosti ruenti, extremaq; minitanti, obviam est facta; Vicit Christus, qui classe hostili disjecta, barbarica feritate contrita, anxiq; piorum metu depulso, gravi Christianorum jugo æternitatem promisit.

In templo Servorum Mariæ, est tumulus Pauli de Castro IC. disertissimi.

In templo S. Sophiæ, ubi Germanorum Artistarum sepulchretum est, prope portam sub Aquila Romani Imperij hæc leguntur:

D. S.

Germanorum Theol. Phil. ac Med. Collegium, qui de gratioso suo ordine scientiarum ac virtutis ardore, à dulci suorum complexu avulsi, vitam hic cum morte commutarunt, ut ceu vivos prosequebatur amore, sic piè demortuis pietatis cuncta præstaret officia, bonæ eor. memoriæ hoc monumentum

P. C.

Anno Christi *M. D. LXXXII.*

Consiliario Thoma Finckio Flensburgensi, Procuratoribus Roberto Kenchemo Iuliacensi, Petro Paulo Hochstettero Tub.

Este Salutati manes certissima cœli
Nunc postliminia atq; indigetes animæ
Et vestrorum hoc infausto gaudete nepotum
Ac sero officio pristinæ amicitiæ
Quod Germani homines vestra donavimus urnæ.
Custodem cinerum pervigilem hanc aquilam
Et desiderio & lachrymis pia lavimus ossa:
Ossa, etiam ignoto non malè nota solo.

Exornatum absolutumq; Consiliarijs Antonio Batto Cimbro,

Cimbro, Ioh. Spinglin Vien. Procuratoribus Wolph. Schiltero Stuck. Ioh. Bachovio Echt. Colon. *M. D. XL.*

In hoc templo sepultus est Ludovicus Cortusius, Iuris C. Patavinus, qui obijt *M. CCCC. XVIII. XVI.* Kal. Augusti: Hic moriens contra communem mortalium morem ex testamento interdixit suis propinquis lachrymas, & solitas funerum lamentationes, & quæcunq; lugubria solent ad mœstitiã parari, abesse prorsus voluit, addita etiam ex legato gravi mulctatione hæredi, si id facere neglexisset. Contra verò pro his acciri jussit Musicos, Cantores, & Cytharædos, & tibicines omnis generis, qui vario concentu unà cum Clero, funeris pompam partim præirent, partim sequerentur usq; ad quinquaginta, quibus singulis mercedem dimidij aurei nummi dandam statuit. Et quod duodecim puellæ innuptæ, ancillæ viridibus pannis feretro subirent, usq; ad templum ubi se sepeliendum mandaverit, quæ omnes pariter de more lætantium, quæcunq; vellent, modulantes alta voce concinerent, relicta singulis certa pecuniæ quantitate, dotis caussà. Huic funeri universus Clerus Patavinus, & omnis cucullatorum conventus adfuit, exceptis Eremitanis, quos testamento cavit, ne funeri suo ullo pacto interessent, ne sua fortassis illa nimia cucullarum nigredine hilaritatem exequiarum interim funestarent. In mentem ita posteritati voluit dubiam, incertam, fluxam, ac miseram humanæ vitæ conditionem.

IV. *D. Francisci Minoritarum &c.* videntur monumenta Hieronymi Cagnoli Vercellensis IC. & Christophori Longolij, cui Bembus monumentum posuit.

V. *Gymnasium*: Guizzolus Maltraversus Comes Baonis, Lucij & Castri Novi, è Regione Sancti Martini, hic ædes habuit, quæ nunc in Gymnasium sunt conversæ magnificentissimum. Cæterùm quia eò loci olim diversorium fuerat, sub Bovis signo, etiamnum hodiè Bovis nomen locus retinet.

Promotionum locus est aula Episcopalis prope templum Cathedrale, si qui verò publicè promoveri nolunt, promoven-

tur in ædibus privatis cuiusdam Comitis Palatini, uti ex hac inſcriptione apparet, quæ ſub cavædio eſt.

D. O. M.

Quod Inviĉtiſs. Rom. Imp. Carolus IV. Anno, M. CCC. LXIII. virum perIlluſtrem eundemq; Conſiliarium eius ſecretum, ac de ſacro Rom. Imperio, optimè meritum, Ioannem de Amatis univerſosq; deſcendentes perpetuis & quam ampliſſimis dignitatibus ac Privilegijs decoraverit, Ferrandus Comes & Eques, cum ea magnificè exſequi, tum hoc monumentum memoriæ & gratitudinis ergò extrui curavit, M. D. XCII.

Plura vide apud Anton. Riccobonum de Gymnaſio Patavino.

VI. Ambitus murorum Duplex.

Exterior 6200 paſſus continet cum ſex portis magnificis; Interior 3000. paſſ. ambitu altiſſimus, ſupernè deambulacrum habet perpetuum duorum hominum capax, cum pinnaculis Coronæ inſtar, à caſu prohibentibus, flumine vulgò *Brenta* undiquaq; circumdatus; XIV. portis, & totidem pontibus lapideis pervius, à Marſilio II. & Vbertino III. & Franciſco VI. Carrarienſibus magnâ ex parte ædificatus.

VII. Forum judiciale pulcherrimum, ampliſſimum, Sublime, contignatione penſili, nullis ſuffultum columnis, plumbo tectû, picturis exornatum à *Zoto* pictore, reſtitutis imaginibus ſuprà CD. Vitæ humanæ actiones cœleſtibus ſignis accommodatas exprimentibus, Petri Aponenſis inventione. Ad id quatuor gradibus altis, latis, marmoreis aſcenditur: ubi monſtrantur Virorum illuſtrium Patavinorum effigies, qui ſuis Virtutibus, immortalem famam nacti, Civitatem hanc vel nativitate, vel morte ſuâ decorârunt; Vt T. Livij Romanæ hiſtoriæ Principis, cuius etiam oſſa perhonorificè ibidem marmoreo in ſepulchro, antiquâ & recentiori inſcriptione addita, condita eſſe affirmantur; ut Imperatorum quorundam; item Aſconij Pædiani Oratoris, Arruntij Stellæ & Valerij Flacci Poëtarum, Iulij Pauli Iuriſcon-

fulti, qui Alexandro Severo Imperatori à consilijs fuit; eos breviter elegantis Poëtæ Germani versibus perstringere lubet, qui de hâc Urbe celeberrima sic cecinit:

Salve Vrbs doctiloquis sedes amplissima Musis,
Magna loco, spatiosa foris, placidissima cœli
Temperie, muroq; triplex, latissima fossis,
Et magnis celebrata Viris: Hâc Livius ille
Historiæ pater est genitus, servantur eodem
Illius ossa loco, statuis, tituloq; superbo;
Hic ubi juncta foro, nullis fulcita columnis,
Plumbea marmorei pulchrè stant tecta Palatij;
Hic etiam Paulus Iuris Legumq; peritus,
Et statuas alij meruerunt Vrbis alumni:
Hac quoq; Valerio patria est, qui Iasona laudat.
Hac patria Asconio & Stella; Prætoris in Arce
Effigies quorum & titulos spectare licebit,
Atria Romanum referunt ubi picta Senatum.
Hic quoq; supremâ Longoli conderis urnâ,
Inscripsitq; tua Bembus tria carmina tumba.
Te juvenem rapuêre Deæ fatalia nentes
Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo
Longoli, tibi si canos seniumq; dedissent.

Docta & ingeniosa ibidem Epigrammata plura notatu digna sunt.

Porrò in atrio huius Prætorij amplissimo prope januam, quâ in conclave Præfecti itur, lapis est rotundus cum hâc inscriptione: *Lapis ignominiæ & cessionis bonorum*, in quem ære alieno obstricti, qui non sunt solvendo, clunetenus nudi in magnâ populi frequentiâ & omnium conspectu considere coguntur.

Supra fores Prætorij, non longè à gradibus, ubi in conclave Prætoris ascenditur, hæc leguntur:

Dant Bernarde tibi duo munera Teutones; horum
Quod patet è saxo, quod latet ex animo est.

tur in ædibus privatis cuiusdam Comitis Palatini, uti ex hac inſcriptione apparet, quæ ſub cavædio eſt.

D. O. M.

Quod Invictiſs. Rom. Imp. Carolus IV. Anno, M. CCC. LXIII. virum perIlluſtrem eundemq; Conſiliarium eius ſecretum, ac de ſacro Rom. Imperio, optimè meritum, Ioannem de Amatis univerſosq; deſcendentes perpetuis & quam ampliſſimis dignitatibus ac Privilegijs decoraverit, Ferrandus Comes & Eques, cum ea magnificè exſequi, tum hoc monumentum memoriæ & gratitudinis ergò extrui curavit, M. D. XCII.

Plura vide apud Anton. Riccobonum de Gymnaſio Patavino.

VI. *Ambitus murorum* Duplex.

Exterior 6200 paſſus continet cum ſex portis magnificis; Interior 3000. paſſ. ambitu altiſſimus, ſupernè deambulacrum habet perpetuum duorum hominum capax, cum pinnaculis Coronæ inſtar, à caſu prohibentibus, flumine vulgò *Brenta* undiquaq; circumdatus; XIV. portis, & totidem pontibus lapideis pervius, à Marſilio II. & Vbertino III. & Franciſco VI. Carrarienſibus magnâ ex parte ædificatus.

VII. *Forum judiciale* pulcherrimum, ampliſſimum, Sublime, contignatione penſili, nullis ſuffultum columnis, plumbo tectũ, picturis exornatum à Zoto pictore, reſtitutis imaginibus ſuprà CD. Vitæ humanæ actiones cœleſtibus ſignis accommodatas exprimentibus, Petri Aponenſis inventione. Ad id quatuor gradibus altis, latis, marmoreis aſcenditur: ubi monſtrantur Virorum illuſtrium Patavinorum effigies, qui ſuis Virtutibus, immortalem famam nacti, Civitatem hanc vel nativitate, vel morte ſuâ decorârunt; Vt T. Livij Romanæ hiſtoriæ Principis, cuius etiam oſſa perhonorificè ibidem marmoreo in ſepulchro, antiquâ & recentiori inſcriptione addita, condita eſſe affirmantur; ut Imperatorum quorundam; item Aſconij Pædiani Oratoris, Arruntij Stellæ & Valerij Flacci Poëtarum, Iulij Pauli Iuriscon-

ſulti,

sulti, qui Alexandro Severo Imperatori à consilijs fuit; eos breviter elegantis Poëtæ Germani versibus perstringere lubet, qui de hâc Urbe celeberrima sic cecinit:

Salve Vrbs doctiloquis sedes amplissima Musis,
Magna loco, spatiosa foris, placidissima cœli
Temperie, muroq; triplex, latissima fossis,
Et magnis celebrata Viris: Hâc Livius ille
Historiæ pater est genitus, servantur eodem
Illius ossa loco, statuis, tituloq; superbo;
Hic ubi juncta foro, nullis fulcita columnis,
Plumbea marmorei pulchrè stant tecta Palatij;
Hic etiam Paulus Iuris Legumq; peritus,
Et statuas alij meruerunt Vrbis alumni:
Hac quoq; Valerio patria est, qui Iasona laudat.
Hæc patria Asconio & Stellæ; Prætoris in Arce
Effigies quorum & titulos spectare licebit,
Atria Romanum referunt ubi picta Senatum.
Hic quoq; supremâ Longoli conderis urnâ,
Inscripsitq; tuæ Bembus tria carmina tumbæ.
Te juvenem rapuêre Deæ fatalia nentes
Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo
Longoli, tibi si canos seniumq; dedissent.

Docta & ingeniosa ibidem Epigrammata plura notatu digna sunt.

Porrò in atrio huius Prætorij amplissimo prope januam, quâ in conclave Præfecti itur, lapis est rotundus cum hâc inscriptione: *Lapis ignominiæ & cessionis bonorum*, in quem ære alieno obstricti, qui non sunt solvendo, clunetenus nudi in magnâ populi frequentiâ & omnium conspectu considere coguntur.

Supra fores Prætorij, non longè à gradibus, ubi in conclave Prætoris ascenditur, hæc leguntur:

Dant Bernarde tibi duo munera Teutones: horum
Quod patet è saxo, quod latet ex animo est.

Mors saxis venit, haud animis licet ergò fatiscat
Hæc nota, mens semper grata superstes erit.

Palatium Præfecti vel Capitanei nunc à frontispicio renovatum est Xystis & Capitaneorum insignibus decoratum.

Domorum quatuor millia suo ambitu complecti aliqui volunt, inter quas hæ visendæ sunt:

Capilistarum, ubi equus Troianus, maxima machina lignea est. ICorum, ubi antiquitates omnis generis.

In pervetusta T. Livij domo, quæ in via Sancti Ioannis est, hæc annotavi:

D. M.

Flaviæ Quintillæ P. Q. F. & L. Curullo conjugi impatientissimo una H. superstiti P. Quintillus. Vixit dolore IIV. & S. H. M. I.

C. LEMONIUS C. F. MOLLO SIBI ET FREMANTIONI UXORI.	M. AVRELIO MARCELLINO Conjugi Dulcissimo Sauseia Crispina conjunx.

3. Sub quibusdam imaginibus hæc erant.

C. Luscius Quadratus sibi & Insteiæ Maximæ uxori & filiis V. F.	L. Luscius VEns. H. S. E. AN. XIX. M. II. D. XIII.	Luscia Quadratilla H. S. Est, Ann. XXV. M. IX. D. XXII.

In basi quadra hæc legi.

ΠΕΡΑΣ ΑΕΝΕΙΟΤ ΤΟΙ ΤΡΟΙΑΣ ΑΛΟΤΣΙΙΣ ΔΙΑΒΑΙ ΝΟΝΤΟΣ	D. M. BASSANUM ABASSA DICTVM AB HANTHENORE TROYANO Constructum.

Plateæ

Plateæ silice stratæ sunt ab Uberto Carrariense Duci III. viæ porticibus utrinq; instructæ, ut nec pluvius nec serenus Iupiter incommodare queat, aqua pluvia extra porticus libera defluente. Pontes lapideos fornicatos multos habet, inter quos pons Corvi nobilitatus est, ab Isabella Navignaria rustica, quæ confugientibus in Urbem agrestibus ob Maximiliani Imp. excursiones, ubi à via deflexisset, in Venetor. milites incidit, & quia ludibrio suam pudicitiam illis fore intelligebat, cum alia ratione non posset, de ponte in flumen sese præcipitem dedit. Arcem; quæ est è regione portæ Sarasinechæ Brenta alluit, ibiq; turris Ezzelini tyranni videtur, cum profundissima fovea, in quam interfectorū Civium cadavera dejecisse nobis narrabant. Turres privatorum plurimæ, seditionibus Guelforum, & Gibellinorum excitatæ, quarum factionum origo hæc esse dicitur: Anno 1240. cum Fridericus II. Imp. in Italiam proficisceretur; excommunicatus est, à summo Pontifice; lustrans verò singulas civitates, facilè deprehendit, qui propensum ergà se haberent animum. Qui igitur ei favebant, Germanico nomine Ghibellinos, eos verò qui adversum à se habuerunt animum, appellavit Guelfos. Horum vocabulorum ratio est incerta. Hinc tandem varia & multiplicia scelerum genera in plurima sunt subsecuta secula.

IIX. *Curia publici consilij* cum porticu Prætorio adhærens, columnis marmoreis suffulta saxo constructa, plumbo tecta.

IX. *Hortus Sphæricus*, amplus, irriguus, inter duo templa augustissima D. Antonij Confessoris & D. Iustinæ, omni genere herbarum medicinalium refertus, ad studiosos Medicinæ in re herbariâ erudiendos, Sebastiani Fuscareni & Nicolai Theupoli auspicijs ceptus, suadente id Clarissimo Medico Francisco Bonafidio Patavino; Anton. Riccobon. de Gymnasio Patavino lib. 1. cap. 5.

X. *Castellum Antenoris* antiquissimum, in quo quidem est Armamentarium, sed armis planè vacuum, eò quod Veneti, ne rebellionis ansam præberent, ea Arsenali suo intulerint.

XI. *Antenoris Sepulchrum*, dum fundamenta Xenodochij domus DEI jacerentur, repertum. Arca marmorea ad D. Laurentij Basilicam translata, & Lovati tetrasticho exornata.

Inclytus Antenor, patriam vox nisa quietem
Transtulit huc Henetum Dardanidumq; fugas.
Expulit Euganeos, Patavinam condidit Vrbem,
Quem tenet hic humili marmore casa domus.

Reinerus Reineccius in historiâ Iuliâ sive syntagmate Historico, Monarchiâ 1. sub tit. Regn. Troian.

Ensis in eâ repertus *deauratus*, versibus Latinis barbaris, fatalem interitum Urbi denuncians sub Aliteræ principatu; Id quod sub Attila Hunno, Agilulfo Gotho, Acciolino tyranno & Ansedisio eius Nepote & Præfecto, sub Alberto item Scaligero, post Canis Scaligeri mortem (cui dotis nomine cum Thaddæâ Carrariense Patavium obtigerat) Urbem tenente (qui eum ensem ad se recepit) & Andræâ Nerio Prætore Garrariensium, reipsâ experta est civitas.

XII. *Situs Patavij*, ante Attilæ excidium ad lævam Medoaci fluminis Orientem versus erat, ubi Vicus Ruthenæ olim extabat, corruptâ voce hodiè Ruina dictus. Post excidium verò in oppositâ fluminis ripâ, ædificari cœptum palustri solo, ubi nunc forum est. Hodierno tempore citra & ultra Medoacum exteriore murorum ambitu, sex millia & ducentos passus adæquat. Distat ab Euganeis collibus sex passuum millibus, à Mari M. X.IX. Itaq; propter vicinas Venetias in totius terrarum Orbis meditullio, positum videri potest. Medoaci utriusq; opportuno affluxu totius agri sui divitias recipere, deficientia importare, abundantia in æstuaria exportare, & paucarum horarum spatio, Nobilissimo Venetorum Emporio & sua communicare & peregrina ex eodem subvehere potest.

XIII. *Ager Patavinus* (quæ Marchiæ Trevisanæ portio) olim latius, nunc his terminis continetur; A Meridie Athesis fluvius procurrit; A Septentrione Muso parvus amnis dilabitur: Ab orien-

Oriente æstuaria Venetiarum; Ab Occidente autem colles Euganei, & Ager Vicentinus; Vnde hic versus perveteri Urbis Patavinæ sigillo insculptus legitur;

Muso, Mons, Athesis, Mare, certos dant mihi fines.

Patet omnis hic circuitus, centum & octoginta passuum millia; in quo spatio sunt tercentum, & quadraginta septem Villæ seu pagi. Patavio municipali jure hoc tempore subiacent septem insignia oppida, quæ sunt; *Montimanum, Castrum Baldum, Atheste, Mons Silicis, Sacci oppidum, Campus S. Petri, & Citadella*; Item sex vici; Miranum, Oriacum, Titulum & Livianum, Arquadum Francisci Petrachæ sepulchro celeberrimum, Consylvium & Anguillaria. Sunt præterea in hoc territorio Euganei Colles Poëtis decantati; & juxta hos Aponus Vicus & fons thermarum, cuius Claudianus & Martialis meminêre; Item Cassiodorus in Epistolis lib. 2. Epist. 39.

Huius agri Patavini tanta est fertilitas, ut ex abundanti frugum copiâ, vicinis quoq; Civitatibus, absq; ullâ civium suorum inopiâ, quæ ad usum vitæ necessaria sunt, largissimè multa suppeditet. Generositas Vini magna est; Venationes, Aucupia, & piscationes frequentes. Adeò fluminibus irrigatur, ut, maximo incolarum commodo & utilitate, nullus agrestis vicus ultra quinq; passuum millia distet à flumine. Hanc omnium rerum mirabilem copiam atq; abundantiam, triviali proverbio demonstrant Itali dicentes; *Bononia la grassa, Padua la passa*; ac si Latinè dicas; Patavium fertilitate Bononiam (quæ fertilissima est) superare.

Quinq; milliaribus à Patavio sunt balnea Aponi, vulgò *Bagni d' Abano*, nominatæ, quæ *thermæ* ijs, qui à duplici tertiana afficiuntur, restitutionem, auxilio DEI, adferunt: Inter utrumq; humili clivo, in medio agro, crater vivo saxo sub dio extat, aqua fervidissima perpetuo canale, duas molas farinarias versat. Antequam huc veniremus, ad latus sinistrum prope templum vidimus Epitaphium cuiusdam Germani, hac inscriptione;

Et ma-

Et manibus DITHMARI KISLEBEN, nobilis Germani, è Saxonibus oriundi, qui cum ab ineunte ætate præclarum virtutis atq; ingenij ſpecimen dediſſet, ita ut magnam apud omnes ſui admirationem excitaret, peſte, cuius vitandæ gratiâ Patavio huc conceſſerat, abſumptus eſt: Si ætatem ſpectes minus perpropere pro eo vero virtutis & gloriæ fructu, quem jam percipiebat, haud immaturè die XV. Auguſti Anno LXXVI. ſupra M. D. Æt. XXIII. Ex mandato Andreæ parentis mœſtiſſimi, & jam Nonagenarii, Adrianus à Wisberg cognatus, qui non ſolum vivo omnia officia præſtitit, verùm mortuum etiam proprijs manibus humavit, & Iohan. Brandis popularis, & amico olim ſuo incomparabili, P. C. H. M. D. A.

Aſpera quem terris mors, & fera peſtis ademit,
Hac ſua Kislebius oſſa reliquit humo.
Huic jam Nobilitas jam cœperat inclyta virtus.
Et magnum ingenij fama parare decus.
Invida ſed rerum quæ ſemper culmina carpunt.
Illum etiam ante ſuos fata tulere dies.
Huc igitur quicunq; citò virtutis & alti
Ingenij tantas ſpes periÿſſe doles;
Huic mœſti lachrymas & odores ſpargite flores,
Flos modo qui doctæ nobilitatis erat.

Non longè à balneis diſtat *templum S. Mariæ di Mont' ortono,* quod propter miracula à vicinis populis diligenter viſitatur, videntur ibi varia votorum genera appenſa, inter quæ tale deſcripſi:

Triſtis eram, longo tenuit me Gallia bello,
Nulla erat in Medico ſpes neq; multa DEO.
Corripuit cuſtos audacter me meus; heus tu
Collige te, & mentem volve nefande tuam.
Virgo tuis poterit ſuccurrere maxima votis,
Cur dubitas tenues fundere dure preces?
Filia, ſponſa patris, mater ſpes unica noſtra,
Oranti priſcam reſtituit faciem.

Tunc

Tunc ego singultu & lachrymis pia vota resolvi
Suscepit voces Diva Virago meas.
Lætus ago ingentes pro tanto munere grates
Virgo tibi, vitæ sola medela meæ.

Prope hoc templum est scaturigo saluberrimæ aquæ; & inde Patavium usq; portatur, quam multi pro medicina bibunt, vulgò appellatur L'aqua della Madonna. Vicino huic loco est monasterium sumptuosissimum, Monastero di Praja nominatum, & inhabitatur à Monachis S. Benedicti.

Hinc ad *Medoaci* fluminis, vulgò Brentæ, ostium profecti sumus, obstructum olim à Venetis, ne fluvius ibidem stagnis illabens, eius lacunas & eutipos oppleret, suâq; alluvione sensim terrestrem accessum ad Urbem faceret; Appellant nunc locum
448. *Leucæ officinam*, ubi navigia mercibus onusta, rotarum volubili machinâ, ex aquis sublatâ per aggerem hinc inde transferuntur vel è stagnis in fluvij fossam, vel ex fluvio in ipsa stagna. Luzze Fusina vulgò.

Cœnæ. 449. VENETIÆ, Urbs in intimo Maris Adriatici sinu, nostro ævo omnium celeberrima opulentissimaq;, cuius tanta magnificentia ac dignitas, ut etiam illi, qui hanc perlustrârunt, admirari eam potius, quàm dignis laudum elogijs celebrare queant; Cui quidem *Vrbium Reginæ ac Dominæ*, jure datur optimo ac merito, quod Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 24. de Marone his verbis scribit: Eius, inquit, gloria hæc est, ut nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur. 25.

De primis eius initijs diversa Historiographi tradunt; Sabellico Fr. Læand. subscribit prima huius inclytæ Urbis initia, in Annum Christi 421. incidere, quo tempore fama iam erat sparsa, transgressuros Danubium Hunnos, Italiæ invadendæ causâ. Itaq; Aquileienses & Patavini, sævissimi hostis terrore, & ob Urbium suarum interitũ, Adriatici Maris Insulas fugâ occupârunt, & initio in Rivum altum se recipientes, prima Venetiarum Urbis fundamenta jecêre in intimo sinus Adriatici recessu, Insulas ferè LX. (adiectis tandem alijs duodenis) parvo in-

ter ſe ſpatio disjunctas, intercurrentibus Euripis, continente; Quas à vehementiori Maris impetu, agger tenuis, littus vocant, artificio providæ naturæ, prætentus tuetur; Is curvus, inſtar arcus, & oſtijs quinis interruptus, quæ ſingula modicum portum efficiunt, navigijs & aquis marinis, aditum in æſtuaria præbent; Opportuna habet flumina, quibus res omnes, cum ad hominum uſum, neceſſitatemq; tùm ad delitias & voluptates utiles, invehuntur, ut, (quod dictu mirabile) in quâ Urbe nihil fermè gignitur, in eâ omnium maxima & incredibilis exuberet copia. Quare non immeritò à Iaſone in l. ſi inſulam 84. ff. de verbor. obligat. *Paradiſus delitiarum* appellatur. Quid de piſcium abundantiâ, de ædificiorum ſplendore, de ſacratiſſimarum ædium ornamentis, de venerandorum Patrum prudentiâ, referam? non immeritò fatentur omnes ingenuè, tàm potentem, tàm nobilem, tàm illuſtrem, tàm opulentam Remp. Deorum immortalium nutu fundatam, eorumq; providentiâ, in hodierum usq; diem moderatam eſſe.

Leges antiquas ſuæ civitatis colunt, in quo non minima laus ineſt; hoc etiam magna laude dignum, quod ſocios & inquilinos, ſummâ juris æquabilitate fovent, peregrinos quoq; ſummâ proſequuntur humanitate. In Conſilijs de Repub. capiendis, atq; omninò in bellis ſucipiendis, in percutiendis fœderibus, in tuendâ pace magnâ prudentiâ utuntur, quæ cum maxima ſint, maius tamen eſt ad Imperium retinendum, quod loci opportunitas, aditus omnes facillimè prohibere poteſt.

Notatu & viſu digna hic ſunt;

I. *Innumera* hic *mortalium* varijs ex Orbis partibus, corporum vario cultu, *multitudo* negotiatur;

II. *Civitas* tota *triplici ordine* populi conſtat; Patricijs, Civibus, & plebe artificum; Imperij ac Reipub. auctoritas, apud Patritios conſiſtit, qui cum ipſam Urbem, tum Civitates, oppidaq; ditionis Venetæ moderantur, de quâ re videndus Caſpar Contarenus, de Magiſtratibus & Republicâ Venetor. & Ioannes Bodinus de Repub.

III. *Vrbs in Regiones est divisa senas*, proinde Sextaria vocant.

IV. *Plebanicas congregationes* habet LXXII.

V. *Cœnobia* XLI. quorum decem & septem conventus Monachorum sunt; XXIV. Virginum.

VI. *Fora* habet *conjuncta tria*; In capite, quod littus spectat, columnæ peringentes binæ cernuntur; quarum una D. Marci Leoninum alatum signum; altera D. Theodori statuam sustinet; In ipso intercolumnio, supplicia de condemnatis sumuntur; Allatas simul tres columnas eiusdem magnitudinis ferunt onerarijs navibus, è Græcia Sebastiano Cianio Duce, earumq; unam vi ponderis, dum è navib⁹ extraherentur in terram, ruptis architectorum instrumentis, in aquas decidisse & in fundo adhuc sub sereno dio cerni posse tradunt.

Binæ hæ columnæ ingenio & industria Longebardi cuiusdam Architecti erectæ fuêre, qui non aliud industriæ præmium à Republ. postulasse dicunt, quam ut aleatoribus in eo intercolumnio ludendi impunè semper libertas esset, & constat hodiè, *scholam nebulonum aleatoriam*, sub ijs columnis assiduam, & frequentem videri.

VII. Augustum *D. Marci templum*, sumtu & artificio mirabile; quod quidem amplissimum, ac ex marmore nobili constructum est. Pavimentum ex Porphyreticis, Laconicis, Thasijs, Ophiticis, aliorumq; præciosiorum marmorum lapillis tessellatum, ac varietate colorum resplendens, picturas egregias, & insignia emblemata repræsentat ubiq; spectantiũ oculis, quæ curiosa ingenia diversis conjecturis exercent; Inter quæ nonnulla esse dicuntur Ioachimi Abbatis Sanflorij inventa, vaticinijs olim ante aliquot secula clari, quibus rerum Italicarum mutationes quasdam prænunciatas fuisse volunt quidam; quemadmodum interrpetantur duos cristatos gallos, vulpem dilaniantes significasse duorum Regum Galliæ victorias, de Ludovico Sfortia Mediolanensium Principe. Præterea per Leones opimos & pingues ex aquis prodeuntes, rursum per alios macilentos in Templũ D. Marci Venetijs.

terrà procumbentes, ipsum significasse tradunt Venetæ Reip. (*cuius insigne leo est*) fatum atq; conditionem: Maritumis videlicet commercijs opulentam, bellisq; navalibus potētem ac felicem; è contrà relicto mari, ad continentis dominatum, terrestres q; expeditiones conversam, infelicem ac imbecillem mox futuram; Parietes templi seu Basilicæ, marmoreis tabulis, varietate colorum pulcherrimis sunt incrustati; Testudinem templi sculpturis ac picturis ornatam sustinent XXXVI. solidæ columnæ ex vario marmore, & plures ex Phrygio pulcherrimæ, crassæ per diametrum pedes duos. Tectum quinq; hemisphærijs plumbo vestitis constat; Frons autem quà parte ex foro quinis æreis portis patet aditus in Templum, à solo ad fastigium usq;, Græcanico opere cum emblematis inaurata est, crebræq; per ordines eminent Divorum statuæ ex marmore perinsignes. In huius frontis supercilio, supra mediam portam maiorem miræ venustatis, *quatuor Equi ex ære Corinthio inaurati* unius quadrigæ antiquæ iustà staturà ac magnitudine vivorum equorum exornant ingressum. Ad hoc augustum D. Marci templum, quod integro D. Marci Corpore exornatur, asservari aiunt Cardinalis Bessarionis Nicæni Bibliothecam, optimis Græcis libris refertam, ex quà multa præclara opera exierunt. Ascenditur hìc per gradus aliquot marmoreos, in summi delubri penetralia, *Chorum* nunc vocant, quòd ibi sacerdotum multitudo canentium, dum res divinæ peraguntur, conveniat, & inprimis hìc spectanda aræ maioris tabula Constantinopoli delata olim, & ex auro puro, argentoq; fabricata, ac artificiosà figurarum cælaturà, multisq; inæstimabilis pretij gemmis & margaritis exornata, quam nemo non vehementer admiratur. Aram istam tegit testudo, quaquà versum in crucem fornicata, atq; tota ex marmore Ophitico pulcherrimo Tiberiano, fulcita quaternis columnis ex Pario marmore, quæ circumquaq; cælatæ veteris ac novi Testamenti historias repræsentant. Post aram, apud sacratissimi Corporis Christi ædiculam, quatuor nobilissimæ columnæ ex alabastrite, vitri ferè instar, pellucidæ mirum in modum resplendent,

dent,

dent. Hæc aliaq; rara ad lubitum in templo hoc considerantur.

In sacrario D. Marci *Thesaurus* custoditur, quo ingredi datur, à dextrâ Basilicæ parte per portam sublimem opere tessellato elaboratam auro coloribusq; , visunturq; ibidem effigies Divorum Dominici atq; Francisci, quas fama est, Ioachimum Abbatem prædictum, multis annis, antequam hi sancti viri in terris nascerentur, in eo opere effingi curavisse; Aperitur deinde *Thesaurus ingens, stupendaq; prorsus opes divitiarum*: atq; ostenduntur Divorum inprimis imagines, *corona ex auro plurima*, atq; capita cum pectoribus humanæ magnitudinis ex auro item puro fabrefacta, gemmis ac margaritis preciosissimis exornata. Visuntur *Carbunculi, adamantes, Smaragdi, topasij, Chrysolithi, hyacinthi*, ac *uniones mira magnitudinis* & pretij incredibilis. Itē cochleæ, cymbæ, pateræ, ac vasa potoria, ex onyche, Iaspide, & achate multiplicia. Monstrantur donaria magnorum Principum excellentissima, *monocerotum duo cornua* procera, & unum brevius, *pyropus seu carbunculus ingens*, à Dominico Grimano Cardinale Thesauro huic illatus; item *vrceus ex preciosissimis gemmis*, quem olim Vscassanes Persarum Rex Venetis dono misit: Spectatur etiam mitra solemnis, quæ novi Ducis capiti, cum inauguratur, solet imponi, quamq; festis maioribus in publicum prodiens gestat; Est autem valdè conspicua limbis & clavis aureis gemmisq; nobilissimis plena, habens in apice precij inæstimabilis carbunculum. Quid referam sine numero videndos ex auro argentoq; cælato calices, cantharos, thuribula, candelabra, guttos & pelves, aliaq; vasa rei divinæ in usum pulcherrimè fabricata? Longum esset enumerare singula. Poëtæ igitur non indocti versibus finem his imponere satius est.

Thesaurus D. Marci Venetijs.

Innumeros calices hic, aurea vasaq; cerno,
Apta ministerijs, usibus apta pijs:
Ac plures chlamydes gemmis auroq; rigentes,
Quam quot luciferos integer annus habet.

Mollia prætereo, quæ Seres vellera quondam
Nere, sed Ausonides iam didicêre nurus.
Nec refero tinctas concha Sydonide vestes,
Nemo sacerdotum quas numerare potest.

IIX. Iuxta Basilicam S. Marci, ex quadrato lapide extructa est *Turris æquilatera*, quàquàversum lata pedes amplius quadraginta, non Basilicæ contigua, sed intervallo pedum LXXX. separata; Eius fundamenta subterranea pluris, quàm turrim ipsam à solo constitisse Sabellicus auctor est. Sublime fastigium tegulis æneis inauratis tectum est, quod Sole splendente quàm longissimê ab Istriâ Liburniâq; navigantibus conspicitur; Ascenditur per scalas lapideas concameratas, quæ per interiores turris parietes cochleatim, circumambiendo exurgunt sensim ad cacumen usq;. Pulcherrimus est è turre summâ undequaq; prospectus, primum in Urbem ipsam ex multis insulis conflatam, & pontibus magnâ ex parte connexam; Monstrantur hic VI. Urbis Regiones, Vici, fora, templa, Cœnobia, & alia ædificia publica insignia; Item Insulæ exiguæ circum Urbem in ipso stagno sparsim iacentes permultæ, quæ Monasterijs, Templis, Ædificijs ac hortis pulcherrimis excultæ sunt; In nonnullis etiam oppida quædam & coloniæ vetustæ Aquileiensium, Vicentinorum Opiterginorum, Concordiensium, Atestinorum, Altinatū, aliorumq; vicinorum populorum, qui Hunniacis temporibus, sæviente per Italiam Attilâ, in hæc æstuaria, veluti in loca tuta commigrârunt. Apparet à fronte *littus incurvum* instar arcus per XXXV. circiter milia, pelagus Adriaticum excludens, & beneficio naturæ stagnis præstructum ad tutelam Urbis atq; tot insularum contra fluctus & furibundi Maris violentiam; Ostijs quinis tamen exiguis interruptum est, quæ parvis navigijs, ac aquis marinis viam ac aditum in stagna præbent; Visuntur portus profundissimi, *Clodianus ac Medoacus*, castellis ac propugnaculis ita muniti, ut classes ingentes, cum volunt, excludant facilè; Patescunt ultra pelagus à fronte & à sinistris Carnorum Alpes & Istriæ promontoria; à dextris Apennini ante juga Galliæ Cisalpi-

Turris D. Marci Venetijs.

Littus Adriatici sinus.

Cisalpinæ plana fructifera, Euganeiq; colles nobilissimi cum Athesis & Eridani ostijs. Deniq; à tergo rursus Noricorum ac Rhœtorum Alpes nivosæ.

In huius turris quatuor cardinibus hæc incisa leguntur:

✠. XRS REX
VENIT IN PACE
ET DEUS HOMO
FACTUS EST ✠.

IX. Visu dignum est *Ducis Venetorum Palatium*, Regijs opibus & Asiatico luxu refertum; in quo præter alia celebratur *magna porticus Armamentarij Palatini*, quæ non nisi magnis principibus Viris & Advenis aperiri ac ostendi solet; Est autem telorum ac armorũ omnis generis ornatissimum, copiâ plenum atq; opulentiâ summâ mirabile. Videns tot thoraces, galeas, scuta, cassides, ocreas, clypeos; item Baltheos, gladios, hastas, lanceas, multipliciaq; tela picturis encausticis, auro, argento, gemmisq; splendida, & insigni cælaturâ decora, non gregariorum militum, sed Imperatorum, Ducum, & Præfectorum Centurias aliquot ex illo Armamentario instrui dignê, & armari posse dixeris. Palatium Ducis Venetorum.

Videntur ibi quoq; Venerij & Barbarigi Ducum, adversus classem Turcicam victores, statuæ pectorales ex Orichalco. Ludovici Vrsini arma, qui Patavij capite plexus est. *Cista*, si illam aperire velis, per quatuor cardines globulos emittere potest, *Instrumentũ* instar balestæ, quo sagitta aliquem occidere potes, nequis animadvertat; Arma Cata Melatti. Tormentum ex solido elaboratum & effossum.

Hic spectantur Comitia, & concilium publicum, quod in atrio magno & spatioso ibidẽ haberi solet. Vtq; cognoscas rationes suffragiorum, quibus inter Patritios creantur Magistratus, & dispensantur Reipublicæ beneficia; apud Ducem utrinq; in lateribus sedent primores Magistratuum Xviri, præcognitores, quos *Sapientes magnos* appellant, & qui Duci à consilijs sunt; Reliqua Patriciorum multitudo in subsellijs per totum atrij spatium.

cium. *Consilium magnum* vocant hæc *Comitia*, ad quæ nemo admittitur, nisi genere Patricius, & qui ætatis annnm XXV. excesserit. Taciti ineunt suffragia cum calculis & globulis argenteis, quos discurrentes per subsellia distributores singulis dividunt, alij deinde collectores, in vasculis ligneis uno ore angusto, quo manus inseri potest, & inferius in binos loculos divisis colligunt. Quo fit ut ipsi ignorent collectores, an in dextrum vel sinistrum loculum ponat calculum suum, & an probet vel improbet Magistratum creandum suffragator. De hâc verò Comitiorum ratione vide latius Caspar. Contaren. lib. 1. de Magistratibus & Republicâ Venetorum.

Hoc atrium Maioris Consilij, picturis elegantissimis, inprimis verò, omnium Ducum, qui principio, ad hodiernum usq; diem regnarunt, ipsorum imaginibus & effigiebus decoratum est, ubi etiam videtur locus, in quo sella cum velo nigro depicta est, quæ significat locum *Marini Falerij Ducis*, qui cum de patria male meritus esset, capite plexus fuit, & in locum ipsius effigiei, hoc inscriptum:

QVESTO E IL LVOGO
DI MARINO FALIERO
A CUI PER SENTENZA
DEL SENATO FU PER
SUO GRAVE ERRORE
TAGLIATA LA TESTA.

Videtur postea talis inscriptio:

Andreas Contareni Dux, qui Clodianæ classis imperator, servata patria, atrocissimos hostes felicissimè debellavit. M. CCC. LXIII. vixit postea annos XIV. Hic Dux tali modestia fuit, qua testamento cavit, ne sepulchro suo Ducis insignia aut gentilitia familiæ suæ arma, affigerentur. Videtur quoq; pictura quædam artificiosissimè facta, ubi cum eam inspexeris, sinistrorsumvè te flexeris, videbis caput Asininum depictum, cum verò ad dextram te verteris, caput vel faciem Hispanicam; Cætera

deniq;

deniq; conclavia egregijs ac magnificentissimis tabulatis, picturis alijsq; ornamentis, decora sunt. Cernitur quoq; in lapidea tabula deaurata inscriptio adventus Henrici III. Regis Galliæ.

X. Quædam alia magnifica Urbis ædificia visenda, non adeò procul dissita, nempe *Xenodochia* sumtuosa, *ædesq; sacræ*, marmoreis parietibus, columnis, statuis atq; picturis pulcherrimis opulenter admodum instructæ; *Nobilium* familiarum & *Principum*, *Senatorum* ornatissima *Palatia*; quæ ingentes huius Urbis opes testantur, & eandem non minus quàm raræ & pretiosæ gemmæ regiam coronam auream decorant.

XI. Spectandæ sunt illustrium Civium *statuæ equestres & pedestres*, publico sumtu positæ diversis in locis, eorum videlicet, qui vel domi prudenter, vel militiæ fortiter cũ potestate Rempublicam administrârunt; inter quas est celebris illa *colossea* equestris inaurata *Bartholomæi Coleonij*, militari gloriâ pernobilis ac Imperatoris sui temporis primi, quam Veneti publicâ impensâ, meritorum virtutis ac fidei singularis ergò ante ædem Divorum Ioannis & Pauli in areâ cum elogio rerum ab ipso benè gestarum in altâ basi erexerunt, hac inscriptione:

BARTOLOMEO COLEONIO Bergomensi ob Militare imperium S. C. Iohanne Mauro & Marino Venereo Curatoribus, Anno Sal. M. CCCC. LXXXXV.

In templo *S. Petri* quod *antiquissimum* est, videtur Cathedra marmorea Petri Pini Episcopi: & hæc monumenta:

Beatus Laurentius Iustinianus, Primus Venetiarum Patriarcha, Die VIII. Ianuarij, 1455. Ibidem.

Bernhardus Iustinianus, Leonardi Procuratoris filius, Beati Laurentij Patriarchæ nepos, Miles, Orator, & Procurator.

In templo S. *Francisci della Vigna* tale monumentũ legitur:

M. Ant. Mauroceno Equit. & Procuratori, viro eloquentiâ, rerum doctrina, civilibus negotijs & bellica virtute claro; Qui cum omnia ornamenta, quæ in Repub. sunt amplissima, sua virtute adeptus esset, maioribus tamen digniss. semper est judicatus, legationes innumeras, maximasq; sapienter fortiterq; gessit, te-

sit, repressa præsertim apud Maximilianum Imp. quorundam Legatorum temeritate, Legatus in castris, Imperatoria omnia munia feliciter obijt. Insubrico bello Magister Eq. designatus, mira celeritate transmisso Abdua se Gallor. Regi conjunxit & Ludovicum Sfortiam, victoriæ spe jam exultantem, armis Regnoq; spoliavit. Ex altera parte:

Cremona capta, Mediolani Principis insignibus potitus, ea suis ædibus affixit. Quæ ut suæ virtutis & præclaræ victoriæ posteris monumenta essent, exacta iam ætate, dum videt totam Europam armari contra Rempub. & luctuosi belli causam præcidere cõtendit, divino cõsilio è vita discedit, ne urbem, quam auctam Imperio & florentem opibus reliquerat, paulo post multis cladibus afflictam videret. Obijt Anno Salutis M. D. IX. Sext. Id. Aprilis, omnium ferè suorum bonorum Sylvestro Mauroceno Ioan. F. Q. S. M. & ab eo uni semper ex eadem familia usu fructu legato. Vix An: LXXV.

S. sepulchro, monasterium, ubi videtur sepulchrum Christi, in formam illius, quod Hierosolymis est, fabricati, ibiq; hæc inscriptio legitur:

Hoc mirum spectetur opus compagibus auctum
Rupibus, artifici saxa revulsa manu.
Gens mausoleum sileat vesana sepulchrum
Quod fuit & Domini, Martia Roma sui.
Illa duo congesta viris, monumenta fuêre,
Hoc Christo tanta mole paratur opus.
Quanto homini superum præstat Rex, summus & auctor,
Tanto hoc est alijs, clarius & melius.

Inferius.

Quis jacet hic? Rex Dominus; cur mersus acerbo
Funere? quo lectis gentibus astra daret.

S. Georgio de Greci Templum, in quo Græci cæremonijs suis sacra sua peragunt, Ea quæ ipsorum sacerdos ex sacra scriptura prælegit aut decantat, optimâ & purâ Græcâ linguâ, & non illâ, quam in familiari sermone & conversatione utuntur, tractare

ctare solet. Cæremoniæ ipsorū sacrorum, à Catholicis sunt differentes, differens etiam administratio Cænæ Dominicæ à Missa.

S. Charità. Ibi tale monumentum legitur:

Nicolao de Ponte Principi, qui ad Reipubl. administrationem præter nobilissima scientiarum ornamenta, singularem quoq; sapientiam atq; innocentiam cum attulisset, amplis. honoribus & legationibus apud omnes Europæ Principes, præclariss. functus, illisq; potiss. duabus, altera ad Tridentinam synodum, altera exacta jam ætate, ad Gregorium XIII. Pont. M. suscepta, optimè de Patria meritus, ad Principatum evectus, Repub. gravissimo ære alieno liberata, Urbe plurimis belli subsidijs & pacis ornamentis aucta, discessit, memorabile suis civibus Exemplum. Anno M. D. LXXV. III. Kal. Sextil.

Santa Maria gloriosa, overo de i Frati, splendidissimum ac magnificum fratrum B. Francisci monasterium, in quo multa egregia & illustria monumenta, inter quæ hæc annotare placuit:

ACCIPITE CIVES Francisci Foscari, vestri Ducis imaginem, ingenio, memoria, eloquentia, adhæc Iustitiæ, fortitudine animi, si nihil amplius, certè summorum Principum gloriam æmulari contendi. Pietati erga Patriam meæ satisfeci nunquam. Maxima bella pro vestra salute & dignitate, terra, mariq; per annos plusquam triginta gessi, summa felicitate confeci. labantem suffulsi Italiæ libertatem, Turbatores quietis compescui, Brixiam, Bergamum, Ravennam, Cremam imperio adiunxi vestro. Omnibus ornamentis Patriam auxi. Pace vobis parta, Italia in tranquillum fœdere redacta, post tot labores exhaustos, ætatis anno LXXXIV. Ducatus quarto supra tricesimum, salutisq; M. CCCC. LVII. Kal. Novemb. ad æternam requiem commigravi.

VOS IUSTITIAM, ET CONCORDIAM quo sempiternum hoc sit Imperium, Conservate.

Ibidem: Benedictus Pisaurus, V. Clariss. Imp. Turcarum Class. altera ex Ionio in Hellespontum fugata, altera in Ambracio sinu capta, Leucade & Cephalenia expugnatis, aliisq; recu-

peratis Insulis, Nauplia obsidione liberata, Richio sævis. Pirata interfecto, Divi Marci Procurator creatus, pace composita; Corciræ obijt.

In templo *S. Sebastiani* hæc inscriptio legitur:

Nicolaus Crassus forum primum, navigationem deinde secutus, adversa fortuna, fortunis omnibus spoliatus, ad forum iterum reversus, hunc postremò locum laborum omnium, & miseriarum quietem, sibi & posteris P. M. D. LXIII.

S. Salvatore, ubi Cornatiorum aliquot monumenta.

S. Bartholomeo, ubi tempore Quadragesimali conciones Germanicæ habentur, suntq; ibidem sepulturæ Germanorum Opificum præcipuorum.

S. Nicolao del lito, ubi egregia & abundans scaturigo aquæ dulcis est.

Intra tot Ecclesias, templa & monasteria, reperiuntur quoq; *septem scholæ*, vel conventus, Fraternitates aliàs vocant, in quibus ceu in Academia vel Gymnasio, imparantur & exercentur operationes Christianæ, in beneficium animarum, fratrum tum defunctorum tum vivorum, & hisce nominibus insigniuntur:

Scuola della Carità.
Scuola di san Giovanni Evangelista.
Scuola della Misericordia.
Scuola di san Marco
Scuola di S. Rocco, in qua talis inscriptio legitur:

M. D. LXXVI.
ALOYSIO MOCENIGO
PRINCIPE VENET.

Sæviebat pestifera lues, qua nulla unquam vel diuturnior vel perniciosior extitit, nostrorum criminum ultrix, passim urbe totâ Cadavera jacere prostrata, carbunculis, maculis, bubonibusq; horrentibus obsessa, ijsdem ædibus, eadem hora funera funeribus continuari, ubiq; lachrymæ, suspiria, singultus, ubiq; totius Civitatis miserabilis aspectus; Civibus repentè vel obeun-

obeuntibus, vel metu perterritis, dulcem Patriam deserentibus; demum aliquando Deiparæ Virgini, ac Beatissimo Rocco deprecatoribus, visa est hæc Erynnis adeò tristis ac dira, extremo mense Decembris, cum Martio cæpisset grassari ac furere, vim ferè omnem amisisse, quo quidem temporis intervallo cum societatis nostræ, Quadringenti plus minus Fratres intercidissent, ijsdem ipsis Fratribus, eorumq; Familijs, Præstantissimi Viri Dominici Ferro, Magnæ societatis Magistro, studium, diligentia, benignitas, charitas nunquam sanè defuit, qui quidem tandem cladem, hoc ipso monumento testatam voluit, utq; legens posteritas admiretur, ingentemq; Venetorum multitudinem, pestis crudelitate absumptam pientiss. lachrymis prosequitur.

Scuola di san Theodoro &

Scuola della passione.

Hæ sunt deniq; *solemnitates annua,* quibus Dux cum purpuratis Senatoribus, certa Urbis loca visitare solet, more Maiorum, in alicuius rei gestæ aut alicuius facinoris, Veluti:

1. Die Ascensionis. 2. Invisitare solet Dux 2. Februarij templum S. Mariæ formosæ, à præcessorib⁹ viris religiosis ita institutum, videlicet ut clerus, ac populus, in unoquoq; anno, in purificationis S. Mariæ festo, ad honorem & laudem Dei, & Beatæ Mariæ semper Virginis, Dei genetricis, processio scholarum fieret propter recuperatas virgines. 3. Templum S. Mariæ XVII. Iulij propter recuperatum patavium. 4. Invisitat templum S. Iustinæ, propter victoriam contra Turcas obtentam, anno 1571. 5. In festo Corporis Christi, solennissima processione totius Cleri, & omnium Fraternitatum Dux cum splendido Procerum comitatu in area D. Marci circumire solet, Senatori cuivis, peregrino adjuncto, qui iter Hierosolomytanum suscipere cogitant. 6. Alla Giudeca propter liberationem pestis. 7. Al Palazzo Giovedi Grasso, ad spectacula publica, venationes & mactationes Taurorum.

Princeps qui tum regnabat, & has Cæremonias continuabat, fuit Marinus Grimanus, ex Illustri genere natus, &

maximo iam ſenio confectus, & ornatu corporis planè Regio incedebat, & purpurea veſte vel aurea plerumq; uti ſolet, capiteq geſtabat velamen linteum pro Regio Diademate, id ſupra geſtat capitium purpureum, limbo aureo ornatum, cuius pars quæ occiput tegit, in cornu formam aſſurgit, vulgò *Corno Ducale*.

XII. Vicos rivi dividunt, at tranſitus ubiq; pontibus conjungitur, vel ligneis vel lapideis, quorum in univerſum, tam publici, quàm privati CCCC. cenſentur; inter quos præcipuus & conſideratione digniſſimus eſt *Pons Rivi alti*.

XIII. *Navicularum numerus*, quibus civitas peragratur, *VIII.* millium amplior eſſe putatur.

XIV. *Navale* locus eſt intra Urbis ambitum, mœnibus undiq; validis munitus, & cum opportunis ad cuſtodiam turribus, quem *Arſenale* nominant; in quo perpetuo *CCCC.* occupantur homines, triremibus, ijsq; rebus, quæ ad navigationem requiruntur, conficiendis intenti, quorum ſtipendia *M. CC.* in hebdomadam aureorum nummûm ſunt; In ipſo Navali, navium longarum, quæ in pontibus, ad omnem occaſionem ſemper paratæ ſunt, numerus ad *CC.* eſt, præter alia navigia minora. Arſenale Venetijs.

Eſt deniq; officina, ubi ſalpetrum conficiunt, item fabrorum ferrariorum officina, in qua gyganteas tormentorum moles, graves æneas fiſtulas & prælongas, tubos vaſtos, atq; immanes globos ferreos, cudi vidimus. Monſtrabantur nobis quoq; quatuor cameræ, quæ telorum omnis generis plenæ fuêre, & ex illis 30000. homines, ad triremes apti, armari poſſunt. Baliſta ingentis longitudinis cum ſagitta, & ſellæ antiquæ, quibus ſe muniebant adverſus iactum ſagittarum. Cernuntur etiam varia arma, utpote thoraces ferrei, bombardæ, haſtæ, & inter reliqua 600. thoraces ferrei, quibus deeſt brachius dexter, cuius vice annulos loricæ habuerunt, quibus armati fuerunt, in conſpiratione illa, quam Tieboli adverſus Rempub. excitavit, qui cum illam conſpirationem perficere vellent, quædam anus ex ſtrepitu illo, commota fuit ex lecto ſurgere, cumq; hoſtes eſſe animadverteret, conſternatione quadam mortarium ex feneſtra de-

ſtra dejecit, & Tieboli huius conſpirationis Principem interfecit &c. Item manubiæ & ſpolia Turcica permulta conſpiciuntur.

Unde Vires opesq; & amplitudo rei Venetæ, quæ profectò nunc Italici nominis gloria decusq; ſola eſt, facilè poſſunt intelligi. Monſtratur hic inter cætera *Thalamegus* inaurata, & ſculpturis picturisq; inſignibus exornata Ducis Veneti, quam *Bucentaurum* propter magnitudinem nominant, quâ feſtivis duntaxat diebus evehitur, ac inprimis Dominicæ Aſcenſionis ſolemni die, quando magnâ cum pompâ, ſplendidoq; Procerum comitatu ex Urbe, ad Adriatici Maris præcipuum portum, vulgò *al' Lyon* dictum, proficiſcitur, ubi certis cum cæremonijs Thetidi ſponſaliorum arram, annulo aureo Mari injecto, ſolvit, totidem ferè verbis annexis, ſe eo annulo mare deſponſare, in ſignum veri perpetuiq; Imperij. Bucentaurus Ducis Veneti Navis.

His omnibus viſis, ex quibus potens Naumachia inſtrui facile poſſet, in Quæſtorium introducti fuimus, ubi indies operæ ſingulis hebdomadibus ſolvuntur, in cænaculo quodam, optimo & nobili vino nos quippiam deguſtando, refecimus.

XV. Navigio proficiſci hinc licet *Muranum*, ad videndum officinas vitrarias; quæ Inſula diſtat ab Urbe, paſſus plus minus mille; Eam verò tradunt Altinates & Opiterginos Hunnicis temporibus primùm occupaſſe; Nunc autem oppidi in formam exculta eſt, civili populo frequens, atq; templis pluribus ædificiórumq; ſplendore nitens; Hortorum deniq; cultiſſimorum amœnitate cuivis oppido neutiquam cedit. In D. *Petri* Martyris *Cœnobio*, luculenter ædificato, perluſtrandæ ſunt picturæ elegantes, *Bibliotheca* præclara, voluminibus multis referta; Atq; etiam horti ſumtuoſi Nobilium Venetorum artificioſis fontium ſcaturiginibus elaborati, & excellentium rarorumq; fructuum plantis varijs pleni; *In tabernis vitrarijs* videtur, quâ ratione candens materia, è fornacibus depromta, ferreis fiſtulis adhærens, ab artificibus, vel uno vel altero flatu, in calices, pateras, aut in quam velint poculi formam magnitudinemve mirâ dexteritate reduca- Muranū Inſula in ſinu Venetico. Tabernæ vitrariæ Murani.

reducatur; Varietate profectò, tum artificio ac materiâ exquisitâ exuperant hæc Muranensia quàm longissimè cætera totius Orbis vasa vitrea; atq; imitantur tam claritate perspicuâ quàm splendore crystallum naturale, ut meritò crystallina vocentur.

XVI. Transiri hinc potest in *Insulam D. Georgij*, quingentis circiter ab Urbe passibus, è regione D. Marci positam, ubi videndum sumtuosissimum eius loci *Monasterium*, templo marmoreo, elegantissimâq; ædificiorum structurâ celebre; atq; ædis sacræ tabulas ibi contemplari licet, statuas, donaria amplissima, sepulchra Ducum ac Principum; item Cœnobij longissimas porticus, atria, cœnacula, Bibliothecam instructam, nec non hortos excultos, & admodum spatiosos.

In hoc Monasterio hæc monumenta vidimus:

Ossa Divi Stephani Protomartyris, quum adhuc in vetusta æde conderentur, Gallo Equiti oranti, ibidem ab Angelo Cælesti Oraculo manifestata, petentibus Vilhelmo atq; Alberto Austriæ Ducibus, Senatus Cons. reserrata sunt; Cal. Sept. M. CCC. LXXIX. sed novo hoc templo in D. Georgij & ipsius Protomartyris honorem, à Monachis in augustiorem formam restituto, veteri æde solo æquata, quo aræ maximæ fundamenta jacerentur, universæ ferè civitatis in hanc Insulam concursu Deiparæ assumtionis festo die, Ioanne Trivisano Patriarcha Venetiarum, prætereuntibus Abbate & Monachis, hymnosq; & laudes canentibus, Nicolai de Ponte, Venetiarum Principis, & Senatus præsentia, vetere protomartyris monumento demolito, venerabundi Monachi, eadem in hoc ipsum sub vesperam suppliciter intulere, atq; intra aram constituere. Gregorij XIII. Pontificatus annno VIIII. Rudulpho II. Romanor. Imp. XVIII. Cal. Sept. M. D. LXXXI.

Summa alterius tabulæ hæc est:

Eius ossa Honorij Cæsaris tempore, Luciano Prebytero divino monitu patefacta, & ex Sione Constantinopolim; A-pia muliere Iuliana, Constantino Heraclij Imperante, in Constantianam primum Basilicam translata, Venetias inde navi per

Petrum Venetum Monachum transvecta, Anno M. CXVIII. Cal. Iulij. Tale postea Epitaphium in pariete versus Meridiem legitur:

Dominico Bollano, Senatori gravissimo, Brixianam praeturam difficilimis temporibus gerenti, ab ea, ad eiusdem Civitatis Episcopatum divinitus vocato, viginti & amplius annis, in eius administratione singulari vigilantia, & sanctitate consumptis, illius ossibus Brixiae conditis, hoc in patria monumentum, quod posteri sequantur, Ant. & Vinc. Iacobi fratris filij, piè posuerunt. Decessit Anno Domini *M, D. LXXIX.* Pr. Id. Aug.

22. Annos natus *LXV.* Mens. *VI.* *D. II.*

Coenae. Augusti. *Patavium*, de quo suprà. Hic studiorum & linguae Italicae addiscendae gratiâ per aliquot menses viximus. 25.

14. Coenae. *Venetia*, de quibus suprà. 25.

15. Prandij. 450. *Malamocco* vulgò, oppidulum & portus Maris Adriatici ad sinum Veneticum literatis Mathamacum, teste Fr. Leand. in descriptione Ital. mihi pag. 466. 10.

18. Coenae. *Patavium*, de quo paulò antè. 25.

23. *XXIII.* Augusti, Animum recreandi gratiâ curru discessimus & haec loca vidimus:

S. Martino castellũ ad Bacchilionem è dextris reliquimus.

451. *Costozza*, Latinè *Custodia*, vicus in agro Vicentino sub Venetorum Imperio, propè quem sunt Cavernae subterraneae magnae lapidibus olim secandis designatae, ut vult Fr. Leand. in descriptione Ital. in testimonium adducens Plinium lib. 36. cap. 22. sic scribentem:

In Liguriâ, Vmbriâ, & Venetiâ *albus lapis dentatâ serrâ secatur*; Hi tractabiles in opere laborem quoq; tolerant, sub tecto duntaxat; Aspergine & gelu pruinisq; rumpuntur in testas, nec contra humores & auram Maris robusti.

Visu digna hic est *Aeolia* in aedibus Francisci Tridentei Nobilis Vicentini. Aeolia prope Vicentiam.

Aeolus hic clauso ventorum carcere regnat.

Non procul inde sequentia verba lapidi quadrato incisa leguntur:

Franciscus Tridentêus Vicent; IC. Hierosolymitani Equitis filius, gelidi venti flatum in Caverna *Cabulà* nuncupatâ spirantem, in ædes proprias, per hanc cryptoporticum deduxit ad temperandum ardentes & æstivos calores, tum cohibendo, tum relaxando, novo atq; mirabili artificio, per cubicula quæq; ducendo, quæ pro libitu suo refrigerare & calefacere valet, ita ut eius villa ingenio, diligentiâ, impensa ac æmulatione ornatior effecta, inter regia ornamenta connumerari posset. 1560. Ætatis suæ 32.

Duobus ni fallor ab hinc milliaribus lustravimus elegans & magnificum *Palatium Comitis Caprea*, quod situ, ædificij symmetria, & pulchritudine, multa Palatia huius Provinciæ superat.

S. Maria Berica montis monasterium ad sinistram reliquimus.

Vicentia, de qua suprà.

Vicentiæ hortum amœnissimum vidimus Comitis Vallæmarinæ, in quo tot mala citria, alijq; præstantissimi fructus, piscinæ, labyrinthi & alia oblectamenta reperiuntur.

Cœnæ. *Verona*, de quâ suprà. 18.

Cœnæ. 24. Veronæ hortum Comitis Augustini justi perlustravimus, in quo egregia crypta & perspectus elegans in Urbem est: Capparis quoq; crescentem fructum vidimus. 32.

Bonsigo pagus: Ibi Athesim fl. trajecimus.

Cœnæ. 26. 452. MONTAGNANA, egregium Longobardiæ sive Insubriæ oppidulum, ditionis Venetæ. 20.

Castellum ibi nobile & amplum, mœnibus cinctum, tribus portis pervium.

La Turre Castellum ad sinistram reliquimus.

27. Prandij. 453. ATESTE vulgo *Este* Venetorum in Longobardia sive Insubria oppidulum satis elegans, mœnibus cinctum, cum arce, 12.

arce, Circuitus olim IV. M. passuum, cum lapideo ponte & portu, eversum ab Attila. Principes Ferrarienses vel Modenæ oppido huic originem debent, & Estenses hodiè adhuc nominantur. In templo S. Martini, ubi curva turris videtur, tale monumentum legitur:

Gentis Adestina legumq; peritus
Alumnus Lazarus hic Baldus corpora
Doctor habet cœlum animum & totum
Mundum, sua fama perennis, nāmq; alter
Nostro tempore Baldus erat. M. D. VI. XXII. Iulij.

Monte celle *castellum transivimus*
Cataio *vicus, ubi magnificum Obiciorum Palatium.*
Non longè ab hinc vidimus venustum
Aqua pendentis Medici Palatium.

Cœnæ. *Patavium* de quo suprà. 16.
Ferrariam curru per hæc loca migravimus.
Lacogniola, *ibi pons supra Brentam.*
Consilve *pagum transivimus.*
Ad vicum Angvillam Athesim traiecimus.

Septem: 11. Cœnæ. 454. Rodigium, vulgò *Rovigo*, oppidum Romaniolæ Transpadanæ elegans, sub potentiâ Venetorum, nativitate clarissimorum quorundam Virorum satis celebre. 15.

In Cœnobio D. Francisci hæc monumenta sunt:

Antonius Maria Fulgineus, Iurisconsultus, qui nunquam quievit, hic quiescit, vix. ann: 72. obijt 1570.

In circuitu huius cœnobij sub humili sepultura hæc inscriptio legitur:

HIC IACET COELIUS SPLENDORQ. RHODIGI.

12. 455. *Francolino*, pagus in Ducatu Ferrariensi. Hic Padum fluvium hippagone trajecimus.

Prandij. & Cœnæ. 456. FERRARIA, vulgò *Ferrara*, primarium Ducatus Ferrariensis in Romaniolâ Transpadanâ oppidum, sub Pontificis Ro- 20.

mani nunc imperio, resplendens, Padi ad ripam ab Oriente & Meridie positum, pulchris & egregijs ædificijs, peramplis & apertis plateis, quarum præcipuas Leonellus Marchio primùm coctis lateribus stravit; Magnâ nunc temporis pollet Nobilium familiarum opulentiâ, atq; civium locupletum frequentiâ; nec non celebre est *Gymnasio literario* publico disciplinarum omnium à Friderico II. Imperatore, Bononiensium in contumeliam instituto.

Quamvis igitur, non fumosis aut cariosis Troianorum, Græcorum, aut Romanorum imaginibus superbiat, (nondum enim mille sunt anni, quòd primum cingi muro ceperit, Imperatoris Mauritij auspicijs, ab eius Exarcho Smaragdo, uti Blondus & Volaterranus asserunt) tantâ tamen in hunc usq; diem incrementa, Principum suorum curâ sumsit, tantisq; ornamentis expolitum est, ut inter principes Italiæ Civitates meritò non postremum locum obtineat. Crevit enim mirificè sub inclytâ gente Marchionum Atestinorum, maximè Nicolao III. Hercule I. tâm opibus quàm publicis ædificijs; adeò ut de huius oppidi laudibus, non fictè neq; ineptè Poëta egregius Iulius Cæsar Scaliger cecinerit.

Inclyta quæ patulo fruitur Ferraria cœlo,
Reginas rerum limine ditat aquas;
Aurea Nobilitas, studiorum nobilis otij
Ingenia, audaci pectore promta manus;
Magnanimiq; Duces, genus alto à sanguine Divum.

Sed hæc de Ferraria satis, cum de hâc alij multò plura facundè & curiosè scripserint. Nuper Anno Christi, 1598. Clementis VIII. Pont. Rom. operâ, sedi Apostolicæ ditio ista est restituta.

Visu & notatu digna hic sunt.

I. *Carthusianorum* celebre *cœnobium* in septis; quod quidem sumtuosissimum ædificium ante annos plus centum struxit & dotavit Borsus Nicolai filius Atestinus Marchio & Ferrariæ regulus,

gulus, ubi & sepulturam sibi instituit, inscriptionibus pluviâ ferè absumptis.

Item *Cathedrale templum*, quod ex saxo quadrato ad forum, exædificatum est, in quo ad chori sinistrum latus, tumulus marmoreus videtur hac inscriptione:

Hic jacet sacræ memoriæ Urbanus Papa III. nomine, Mediolanensis, ex genere Cribellarum, sepultus M. C. L X X X V. Mensis Augusti IX. Indict. III. temporibus fratris Vindonis Ferrariensis Episcopi, Iohannis Archipresbyteri, & bonæ gratiæ præpositi. Propè organum pneumaticum, videntur septendecim rostra navium muro affixa, quæ Veneris ab Hyppolito Estensi, Cardinali, anno 1509. adempta fuere. S. Pauli templum, Germanorum est. Templa S. Angeli, S. Iohannis, & Francisci, terræmotu ferè ceciderunt, sed nunc rursum reparantur.

II. Spectari imprimis merentur *Palatij* insignia atq; regalia *ornamenta*; Item *novi Castelli structura* magnificæ & sumtuosæ.

In quo olim Duces Ferrarienses habitarunt, nunc Legatus Pontificis ibi residet. Quatuor turribus inclusum est, portæ verò hæc lapidi incisa sunt:

Clemens VIII. Pontifex Opt. Max. Petri Aldobrandini Card. fratri, filij, Exercitus Ecclesiastici supremi Moderatoris opera, Ferrariam nobilissimam Urbem, nulla hominum patrata cæde, nulla vi hostili adhibita, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ feliciter restituit Anno salutis M. D. IIC. ineunte.

In area deniq; omnes effigies Ducum depictæ sunt, ultimi verò qui fuit Alphonsus, Herculis II. filius, planè deleta cernitur, quod ipso vivente & volente factum fuit; uti nobis satelles Germanus narrabat. Effigiebus cæteris hæc inscripta sunt:

Atiæ gentis Principum ab Atio Pob. genus ducentium, gentilium & agnatorum suorum, quorum perpetua serie in Italia supra M. CC. annos & Germania ex Welphorum hereditate, novoq; imperio latè dominantium res gestas historia ad memoriam sempiternam explicari fecerat, has etiam imagines unà

 cum

cum insignibus, quibus illi utebantur, in hoc arcis à se restauratæ, atrio suscipiendas proposuit serenissimus Alphonsus I. Ferrariæ Dux, Anno Domini *M. D. LXXVII.* Turrim postea ascendimus, in qua scalæ cochlites ita accommodatæ sunt, ut equo quis ad quintam vel sextam contignationem usq; facilimè ascendere possit.

Bibliotheca nova præparamenta eximia, magna videlicet veterum Manuscriptorum librorum copia, atq; rarissimæ Antiquitatum reliquiæ, nimirum statuæ marmoreæ artificij singularis, signa, tabulæ, sigilla ærea ac marmorea; Item *nummorum antiquissimorum* & elegantissimorum, ex auro, argento, & ære omnis generis; Item *gemmarum* cælatarum *capsilia plurima*, quæ toto quatriduo exactè perlustrari non possent. Inter cætera *Instrumentum* hic est, *Longebardicis literis peregrinis exaratum*, ex antiquissimo volumine papyraceo descriptum, venditionis fundi cuiusdam, cum designatis mansoribus, (ut instrumenti ipsius verbis utar) eorumq; peculio, finibus, terminis, limitibusq; suis omnibus, & cum omni generaliter Iure, instructu, instrumentoq; suo Macinijs temporibus per æs & libram factæ cum subscriptionibus testium; Ex quo Iuris antiqui formulæ & vetustæ Latinitatis phrases haud contemnendæ animadverti poterant; E nummorum atq; gemmarum argumentis, quædam singularia & Epigrammata pauca, è marmoreis æneisq; tabellis excerpta, studiosorum antiquitatis in gratiam, hic adijcere non pigebit;

1. In æneâ tabellâ, ab arâ & signo Iovis detractâ *votum*,

Pro Salute
Imp. Cæsaris
M. Aureli, Severi, Alexandri,
Pij, Felicis, Aug.
Iovi, Optimo Maximo,

2. In aliâ tabulâ hæc obscura Epigraphe;

Geni

Gen: Genialis, Spei, Helpidis.

5. In basi simulachri Bacchici;

Libero Aug: Signum,
Sileni, & Saturi.
M. Vlpius, Onesiphorus &,
Appuleia, D. D. Marcella.

4. Est & Iuvenis laureâ coronati signum æneum pulcherrimum & vetustissimum, in cuius collo torques in sinistro superiore brachio armillæ bullis dependentibus plenæ, rotundis alternatim, & humani cordis specie factis; diceres Apollinis bullati signum esse, qui & βουληφόρος, vel βουλαῖος, appellatus est propter oracula; & à βουλὴ bullam dictam Sextus Pompeius Festus autor est, quæ à collo in pectore prætextatorum dependebat Nobilium, aureâ & humani cordis figurâ, teste Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 6. ut ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent & consilio uterentur; In fœmore quidem signi sinistro antiquissimis characteribus insculpta est inscriptio Etrusca, quæ à paucis legi, à nemine ferè intelligi potest.

Inter reliqua deniq; Palatia illud visu dignum est, quod vulgò *Il Palazzo del don Cesare* dicitur, moderni Mutinensium Ducis, ex lapidibus quadratis, adamantino more acuminatis, magnificè exstructum.

III. *Vivarium la montagnola* vulgò dictum, in quo Cervi & aliæ feræ bestiæ solent asservari.

IV. *Horti*, cum domo voluptuariâ, vulgò *Bel vedere* nuncupatâ, ubi piscina, in quâ pisces assuefacti, ad sonitum Campanæ escæ adsunt.

Stabula equorum tria vidimus: in uno 120. in altero 102, in tertio 40. equorum capaces fuêre, sed hodiè absq; equis cernuntur, siquidem & multa alia quæ viventibus Ducibus, benè visenda & notanda fuêre, hodiè prorsus sub hoc novo Domino concidere.

In foro novo *basis* quædam erecta est, cui columna, quæ propè

propè jacens conspicitur, imponi decretum fuit, quod tamen nondum factum: basidis autem prædictæ hæc, ab omnibus quatuor lateribus incisa leguntur:

1. Memoriæ D. Herculis Estensis, Ducis secundi, Hic Alphonso Neapolitanorum Regi, ob egregiam indolem carissimus, cum Galeatio Pandono, Viro Illustri ac fortissimo, vix dum adolescens, non sinè maxima laude, singulari certamine depugnavit:

2. Ad *Molinellam* Venetorum Exercitum, hostili impetu graviter laborantem, virtute sua conservavit, neq; prius acriter pugnare destitit, quàm repulsis hostibus, plumbea glande, dextrum pedem saucius ex prælio discedere coactus est.

3. Multa, Imperium adeptus, ad Urbis ornamentum excogitavit, perfecitque. Aulam regiam commodiorem, pulchrioremq; reddidit: innumeras domos, nova fora, publicas porticus, marmoreis columnis insignes, castelli veteris molem iampridem inchoatam, celeriter & exactè consummavit.

4. Belligaardi palatium auxit, atq; exornavit, Belflorem incendio consumptum, restituit; Arcem novam ad Eridanum positam, meliore structura, & amœnis hortis additis, multò decentiorem refecit; Aqua ex Padi alveo plumbeis fistulis, in Urbem traducta, perennes fontes instituit.

5. Templis fermè omnibus instauratis, atq; ad ampliorem, augustioremq; formam redactis, nova posuit: & ea omnia præclaris muneribus ditavit; Palustres agros ad culturam redegit; antiquorum comœdias, ac veteres scenæ modos, actusq; retulit; plurimaq; ad spectatorum hilaritatem, inusitato sumptuosoq; paratu, actibus interposuit.

6. Hunc novum Urbis ambitum, in Septentrionem vergentem, antiquæ Urbi addidit, crebrisq; propugnaculis turritis, & inexpugnabilibus muris, lata ac præcipiti fossa, lateritijs pontibus super constructis, celerrimè communivit.

7. Tot magnificis operibus, brevi perfectis, tot publicè privatimq; collatis beneficijs, tot clarissimarum virtutum ratione habita,

bita, Augusti & P. P. nomen merenti, S.P Q. Ferrariensis, hanc equestrem statuam viventi posuêre, ad quam si quis intra ambitum XX. P. confugientibus vim attulerit, se læsæ Majestatis crimen incurrisse, non ignoret.

V. *Armamentarium* Palatio vicinum.

13. Cœnæ. 457. BONONIA, Urbs amplissima est, ædificijs publicis atq; privatis sumtuosa & permagnifica, quam Plin. lib. 3. Natural. histor. cap. 15. Hetruriæ principem, Felsinam vocitatam in octavâ Italiæ regione collocat; Sub Exarchorum quondam, nunc sub Pontificum Romanorum Imperio. 36. Bologna vulgo.

Qui illic Legatum constituunt, cui XV. viri ex nobilitate, qui singulis duobus mensibus creantur, & primarius inter illos, *Gonfaloniero della Giustitia* appellatur, qualicunq; libertatis specie.

Antiquitus in hanc Urbem *Colonia Latina* à Romanis deducta fuit M. Fulvio Nobiliore. Cn. Manlio Vulsone Consulibus, Anno post Romam conditam, DLXIV.

Nobilitata deinde bellis civilibus, cum non procul inde, apud confluentes Rheni atq; Labinij amnium, in Insulâ quadam exiguâ & secretâ, tres Romanorum Exercituum Duces; M. Antonius, M. Lepidus, & C. Octavius, convenientes junctis manibus conjurationem inierint, institutaq; crudeli proscriptione, Imperium populi Romani inter se diviserint. Crevit admodum structuris, ac mœnium ambitu posterioribus sæculis, quamvis hostium barbarorum incursibus atq; vi bellicâ sæpius destructa fuerit.

Visu & notatu digna hic sunt;

I. Vetusta *Longobardorum* ac vasta *ædificia*, turres quadratæ & spissæ, in summam altitudinem Obeliscorum quasi formâ erectæ, inter quas celsissimæ, quæ *Asinellorum* vulgò vocatur, & vicina *Garisenda*, inclinata nonnihil; arte ne, an casu dubium est; Quidam Architectum ingenij ostendandi caussâ studiosè sic eam

excitasse obliquè volunt; Alij terræmotu levi concussam fundamentis salvis nonnihil subsidisse judicant.

II. Templum Dominicanorum, in quo marmoreum eximij operis est sepulchrum D. Dominici, eiusdem caput sacrum tholo precioso inclusum. In sacrario sanctiore servatur una ex spinis aculeatæ coronæ, quâ Christi Servatoris nostri caput cinctum fuit, Item *Biblia vetustissima, ab Esdrâ Prophetâ* in albo corio *descripta.* Diversis in locis templi insignium Iuris Consultorum & Oratorum plurima monuméta extant, aliorumq; qui ingenij Virtute, scriptisq; suis famam immortalem nacti esse videntur.

Inter quæ hæc addere libuit:

D. O. M.

Viator quisquis es,

Siste gradum, & quod scriptum est perlege; ubi perlegeris pensita; hoc is, cuius causa hoc scriptum est, fieri rogat. Orto inter Bononienses ac Mutinenses bello, Cæsar Fridericus II. Rom. Imperator, filium Henlium Sardiniæ ac Corsicæ Insularum, Regem, Mutinensibus suppetias ferre jubet.

Qui

Inito apud D. Ambrosij pontem, certamine, à Bononiensibus capitur, nullaq; re ut dimittatur, impetrat; licet pater minis, deinde pretio deprecatoribus uteretur, cum tantum auri pro redimendo filio polliceretur, quantum ad mœnia Bononiæ circulo aureo cingenda, sufficeret. Sic captivus annos XXII. menses IX. dies XVI. tenetur, aliturq; Regio more publica Bononiensium impensa; Sic defunctus magnificentiss. ac pientiss. funeratus, hic tumulatur: Præterea simulachrum hoc in perpetuum monumentum & hosti & captivo.

S. P. Q. B. P.

Anno sal. M. CCC. LXXII. II. Idus Mart. *hoc volebam ut scires, abi & vale.*

Monumen-

Monumentum hocce vetustate collapsum Senatus Bononiensis iussu instauratum fuit, M. D. LXXXVI.

Infra hoc monumentum in tabula marmorea hoc legitur:

Senatus Bononiensis pietate ac liberalitate ossa Regis Henlij, & hostis & captivi, hic jacent, humanæ sortis memor, pijs manibus benè precare.

In choro supremo hæc vetustissima inscriptio legitur:

Hoc tumulo legalis apex, dulcissimus ore
Et patriæ lux alma suæ, pietatis amator,
Iustitiæq; sacræ clypeus, baculusq; cadentum
Qui juvenis, multòq; etiam venerabilis avo
Edocuit, superavit eum nec pœna laboris
Scribendo & pariter juris regulando tenebras,
De SALICETO *requiescit* BARTHOLOMÆUS.

In tabula quadam sub effigie Thomæ Aquinatis:

Hæc vera est Thomæ facies expressaq; Divi
Qui scriptis toto lumen in Orbe dedit.
Hoc meritò sibi nomen erat, quin gratus & altus
Incomprensibilis: magnus abyssus erat.
Splendida Dominici fuit iste lucerna parentis
Ordine sub sacro claraq; semper erit:
Discite vos omnes leges & sacra colentes
Sectari tanti, dogmata sancta viri.

ΣΗΜΕΙΩΣΑΙ ΟΔΙΤΗΣ ΑΓΙΟΥ ΤΟΥ ΘΩΜΑ ΑΡΧΕΤΥΠΟΝ ΕΙΚΟΝΑ.

Ex opposito est Epitome Privilegij Theodosij Imp. lapidi incisa.

Sub quodam altari hi versus extant;

Hoc tibi sacrarunt, quorumq; Polonus *alter*
Slesius *est alter, juris uterq; cliens,*

Ii tua conquærunt cunctis suffragia rebus
Vt pater & Dominus fidus adesse velis.

Chorus tam mirifico sculpturæ opere exornatus est, ut Carolus V. sculpturam credere nolens, pugione experimentum fecerit.

In monasterij ambitu sunt sepulturæ externarum Nationum, Germanorum, Cimbrorum, Anglorum & aliorum.

Sub aquila Rom. Imperij in deaurato lapide hæc leguntur:

Siste gradum monumentum hoc quæso viator,
Quod pia, quod cultrix legum Germana juventus
Condidit: ut genti pateat commune sepulchrum,
Vt Germanorum manes post fata quiescant,
Sacra parentali capientes annua ritu.

M. D. I.

Restauratum Consiliarijs Iohanne Warmundo de Preysing in alten Preysing, & Sixto Wernero Vogt, de alten Sumerau à Presberg.

Marini Socini Iunioris, Senensis, & Iohannis de Imola Pont. Cæsq. juris C. monumenta ibidem videntur.

Insignes picturæ præterea, & artificiosæ Divorum statuæ, aliaq; excellentium artificum opera, uti in templo, sic & in ipso Monasterio spectantur; Sed hic insuper *Bibliotheca*, copiâ & varietate librorum, omnis generis plena, paucis Europæ Bibliothecis postponenda visitur.

III. Templum D. Stephani, plurimis Sanctorum reliquijs clarũ.

Olim Isidi & Serapidi dicatum, & secundum, quod ab Urbe condita est exstructum, cui Iulius Cæsar sacellum adjecit, quod inscriptio vetus sub porta testatur: CÆSARE INCHOANTE.

Hodiè sex templa huic conjuncta sunt, & inter hæc in uno videtur *vera longitudo & latitudo S. Crucis.*

Tem-

IV. Templum D. Francisci artificio constructum nobili.

In quo hæc Epitaphia descripsi:

Summus Pontifex Alexander Quintus, & omnis scripturæ lumen, Sanctissimus Ordo Minorum, quem edidit, & PPo. CRetensis nomine Petrus, migravit. M. CCCC. X.

Ante templum est Accursij tumulus hac inscriptione:

ACCURSII Glossatoris Legum, Francisci eius filij, M. CC. LX.

Epitaphium etiam Buccaferri & Odofredi in eodem templo videntur:

V. Templum D. Petronij magnificum ac sumtuosum ex vario marmore, juxta forum atq; vice legati Palatium.

Cuius ædificij finem fore, qui & mundi, Leander credit. In choro supremo est locus, ubi Carolus V. coronatus fuit, sepultus quoq; in hoc templo fuit quidam Dux Bavariæ, cuius tumuli hæc inscriptio:

IOANNI E GENERE Ducum Bavariæ.

Pontificum Rom. ac Cæsarum Imperator. rebus benè prospereq; gestis; virtus & felicitas huic immortale monumentum extruere vix. ann. *LXVII. M. D. XXXVII.* Cal. Sept:

Templum Cathedrale, ubi etiam Episcopi sedes D. Petro consecratum, ibiq; splendididissimum sacellum Cardinalis Paleotti.

In templo *de i servi* magnificum monumentum videtur, hac inscriptione:

Ludovico Gozadino, insigni Legum interpreti Senæ, Bon. Vixit Ann. *LVII.* Obijt ann. *M. D. XXXVI.*

D. O. M.

Roberto Machiavellio, viro omnibus belli pacisq; artibus prædito, qui Ascanio Columnæ, Regni Neapolitani Conestabulo præfectus Cohortis Prætoriæ, Carolo V. Cæsaris peditum Centurio fuit, & Francisco atq; Henrico Francorum Regibus, Herculiq; Ferrariæ Duci in fœdere Pauli *IV.* Pont. atq; eiusdem Henrici, primariam in instituendis aciebus operam præstitit, Ul-

tit, Ulpiani expugnationi præfuit, ac demum custodum Romanæ arcis à Gregorio *XIII.* Pont. constitutus, in eo munere Romæ, mortem iam provectæ ætatis oppetijt. Vix. Ann. *LXXIII. M. I. D. XXVII.* Obijt anno *M. D. LXXVIII. XI.* Cal. Maij.

In templo *Madonna di Gatero*, videtur lignea statua Ludovici Ma. Mediolani Ducis.

Ante templum *D. Proculi* in quodam lapide hoc Distichon legitur:

Si procul à Proculo, Proculi campana fuisset,
Non procul à Proculo, Proculus ipse foret.

Hoc de *Studioso quodam* dicitur, qui quam subito sonitum campanæ D. Proculi audivisset, è lecto surrexit, literisq; sedulo operam dedit, adeò in hac nimia diligentia obierit.

In cœnobio Corporis Christi, monstratur *cadaver S. Catharinæ Bononiensis,* sellæ impositum, & nondum adhuc in cineres redactum, de cuius vitæ sanctitate libellum ediderunt.

Extra *templum S. Gervasij* hoc legitur:

TRINITATI

Azoni Iurisconsultorum numini, anno gratiæ *M. CC.* hic tumulato, in sepulchro vetustate collapso, ac inter rudera vix agnito, Ioh. Franciscus Aldrovandus Dictator, Et Consules Bononienses P. impensa, Concivi suo B. M. memoriam Po. Anno Salutis *M. CCCC. XCVI.*

VI. Academia schola publica, ædificium peramplum ante aliquot annos magnis impensis extructum ex saxo quadrato, quod Architectonicà symmetria pulcherrimum est.

In quo hæ inscriptiones leguntur:

In Exc^um Doc. D. Camillum

Baldum PROT.

Si patria & virtus generosaq; nomina prisci
Parta viris, morum si sine labe decus.

Si Se-

Si Sophiam ac Logicen, longos docuisse per annos
Emeritos tandem sydera ad alta ferunt.
Non hac pro magno tibi nunc redduntur honore
Balde, jacet meritis gloria victa tuis.
Sed si grati animi nostra hæc ut signa probantur
Accipe pro magno munere, parva domus.

Ann^te. M^co ac Gen^o utr. un^ti Ar^m & Med^x Priore, D. Flaminio Masellio Mutinensi, M. Xbris *M. D. LXXXVIII.*

D. O. M.

Gaspari Taliacotio Bononiensi, Theorico Ordinario, ob humani corporis anatomen omnibus partibus absolutissimam, admirabili methodo, perspicuitate summa, acumine ingenij, doctrinæ soliditate, eloquentiæ splendore incredibili, reclusis Philosophiæ fontibus, Medicinæ oraculis illustratis, naturæ ipsius arcanis patefactis. plenissimè & planissimè explicatam. Pompilio Taliaferro Parmensi, ob eandem singulari industria ac solertia peritissimè administratam, benignitate & diligentia maxima pulcherrimè demonstratam, Æviternæ memoriæ & hoc grati animi monumen ell. & syn. M. LL. Q. PP.

In conclavi quodam, ubi Consilium Universitatis habetur, parietibus hæc inscripta sunt: Este *pares*, & ob hoc *Concordes*, cum vos & decor & studium & munus sociant & ætas.

Collegium *Campegij*, quod à quibusdam nominatur, *Peccata Germanorum*, ex quadrato saxo magnificè exstructum est. Collegium *Marchiacum*. Collegium *Hispanicum*. Studiosi illi qui in his duobus Collegijs vivunt, togas cum liripipijs gestare coguntur.

Germanicæ Nationis Consiliarij duo sunt, & fiunt *Palatini Comites*, cum in officio sunt.

In *Palatio Civiatis* vel Vicelegati, videntur aliquot statuæ pectorales ex ære Pontificum, uti Clementis *VIII.* Innocentij *IX.* & Gregorij *XIII.* Statua Herculis clavam tenentis ex lapide affabrè facta est. *In conclavi* ubi Senatores Urbis comedere solent,

lent, cernuntur insignia regni Galliæ, his verbis subscriptis: Vexillum aureæ flammæ à Carolo Francorum Rege Bononiensi populo donatum Anno Domini *M. CCC. LXXXIX.*

In hoc Palatio *Vicelegatus* centum satellites Helvetios in præsidio habet.

Sub porta Palatij est statua Pontificalis ex ære conflata Gregorij *XIII.* Et non longè ab hinc Bonifacij *VIII.* statua cernitur.

In monumentis duobus deauratis hæ inscriptiones leguntur:

Clemens VII. Pont. Max.

Ut Christianæ Reipubl. statum reformaret, cum Carolo V. Cæsare Imp. Bononiæ congressus est. In hanc Urbem Cæsar No. Novembris anno à Christi natali *M. D. XXIX.* introit, pro templi foribus de more Pont. Max. adoravit, eius hortatu & consilio cum restituto in Mediolani avitum regnum Francisco Sfortia, ac Venetis pace data, cunctæ Italiæ otium ac tranquillitatem diu optatam reddidisset, Imperij coronam hoc pompæ ordine accepit; Fenestra hæc ad dextram fuit porta Prætoria, ea egressus Cæsar per Pontem sublicium, in ædem D. Petronij deductus, sacris ritè peractis à Pont. Max. auream coronam, & Imperij cætera insignia accepit, inde cum eo triumphans exercitu ornatissimo præeunte, Urbem perlustravit. Cum ambo in eodem Prætorio totam hyemem conjunctis. de summa rerum deliberantes, egissent: Cæsar post suum adventum mense V. in Germaniam, ad tumultus impiorum civium sedandos, & bellum Turcicum cum Ferdinando fratre Pannoniæ Rege apparandum, profectus est. Huius rei monumentum hoc, Innocentio Cibo Card. Legato auctore, Uberto Gambora Urb. præf. referente S P Q B. extare voluit. Nonis Novembr. *M. D. XXX.*

2.

Clementi VIII. Pont. Max.

Qui postquam summa ope & prudentia, avitam in Gallia ulter. bellis civilibus oppressa, religionem confirmasset, atq; in Panno-

Pannonia Inferiore missis sæpius auxiliaribus copijs, Turcarum impetum compressisset, cum Ducatus Ferrar. ad S. sedem Apostolicam lege rediret, conscripto incredibili celeritate exercitu, amplissimo Card. Petri Aldobrandini fratris eius F. ductu & auspiciis, eoq; recuperato clarissimum innoxio Marte triumphum egit, quibus rebus felicissimè gestis, Italiaq; metu liberata, quod optandum potius, quam sperandum videbatur, Ferrariam venit, nuntioq; allato, de pace inter Galliæ & Hispaniarum Reges eo autore confecta, post suum inde discessum hic quam diu licuit, Romam properanti, commoratus, magnum abiens suis desiderium cunctis reliquit, Principi Clementissimo, deq; hac civitate optimè meritò, Alex. Card. M. Alto Legato, Horatio Spinula Prolegato S P Q. B. P.C. Anno Salutis cIↄ. Iↄ. X C V I I I.

Ex opposito huius Palatij fuit carcer *Henlij*, Friderici Imperatoris filii, in quo mortuus.

Reliqua Palatia hæc sunt, visu digna.

Palatium { *Laurentij Maganini* / *Bentivolij,* / *Herculani,* / *Pepoli* & *Marchionis Malevrij.* }

In Palatio *Camilli Bolagnini*, multæ egregiæ antiquitates videntur, nummisq; aureis tum argenteis Imperatorum & Pontificum, ad hæc ferè sæcula valdè illustratum est. Effigies Socratis in pretiosissimam gemmam scisa fuit. Iani quoq; statua artificiosissimè sculpta aderat hisce versiculis subscriptis:

Respicit, aspicio tu prospice, nam sapere hoc est,
Quæ fuerint, quæ sunt, quæq; futura sient.

Tabula ex vario marmore incrustata. Instrumentum musicum cum campanulis canentibus, varios sonos edens. In Studiolo vel Musæo Ulyssis Aldrovandi, viri perhumanissimi, multæ res raræ & notabiles inveniuntur: plantarum, avium, animalium quadrupedum, reptilium, icones ad vivum depictas ha-

bet, & indies in usum humanum, libros de his rebus luculentissimè scriptos, in lucem profert.

Hortus Poëtarum, ad familiam eiusdem nominis pertinet, fontibus salientis aquæ & vijs quibusdam egregijs exornatus est.

Palatium *Bentivogliorum*, qui olim Bononiæ Dominatores fuêre, à fundamentis destructum est, hodièq; *Il Guasto* vocatur, quo in loco nunc Nobiles equitando se exercent.

In *Montibus Pietatis*, vestes venales habentur.

Ante portam S. Mammelo ad manum dextram situm est *prædium Germanorum*, in quo Studiosi se variis ludis exercere & honestis exercitijs oblectare solent.

VII. Extra Urbem ad Apennini colles fructiferos, hortis, vineis, olivetis, atq; pomarijs undiquaq; vestitos, in Monte S. Michaëlis, *Monasterium* locupletissimum *in sylvâ* nuncupatum visitur, novis & vetustis ædificijs sumtuosissimum; cuius templum atq; sacraria cuncta, marmorum nobilium omnis generis columnis, trabibus atq; cælaturâ præclarâ renitent. *Altaria* reliquijs Divum raris atq; donarijs preciosis augusta resplendent statuis, signis, tabulisq; pictis artificio ad miraculum usq; excellentibus. *Sedilia & subsellia* sacrificum, in lateribus templi disposita, ex secamentis & scandulis variorum lignorum studiosè commissa, picturam quandam elegantissimam repræsentant; uti castella, turres, arbores, animalia, campi, montes, ac Regionum plagæ, nec non herbarum ac florum minutiæ, suis coloribus vix penicillo possent à perito pictore diligentius exprimi; oculos, animosq; mirificè delectant Monasterij ipsius sumtuosa ac magnifica ædificia; Inprimis *Bibliotheca*, librorum & tabularum omnis generis plena; *horti, & pomaria* excultissima; nec non fontes & piscinæ Apennini rivulis limpidissimis exundantes, & piscium saxatilium copiâ scatentes. Hæc omnia visu pulcherrima. Sed inprimis ex hoc Monasterio veluti è speculâ contemplari jucundum est, non solum Urbis situm, fora, templa, vias, turres, ac ædificia cætera magna; Verum etiam Galliæ Cisalpinæ

alpinæ ſubjacentem amœniſſimam planiciem, ſummè laudatam à Polybio lib. 2. hiſtor. ubi eam triangularem dipingit. Oſtendit etiam ſeſe à ſiniſtris Apenninus, Occidentem ac Sardoum Mare verſus excurrens; Hinc Alpium juga, nivoſa nubium ſpecie à cœlo dependentia proſpectantur, à fronte in Septẽtrionem ac Orientem; à dextris autem ad Meridiem, nebulis obductum pelagus à longè videtur Alpes & Apenninum attingere, ubi Italiæ latitudinem à tergo hic obliq; transcurrit Senogalliam & Anconam usq;. Hiſce tribus limitibus decem milium, ut Polybius aſſerit, ſtadiorum concluſi Galliæ Ciſalpinæ Campi, regis fluvior. Eridani, amniumq; plurium ramis atq; mæandris interſecti & irrigati, mirificum ex alto præbent ſpectaculum; Nam Ferrariam, Mantuam, Imolam, Mirandulam, aliasq; circumjacentes Urbes celebres multas proſpicere hinc licet, quibus ſubjecti campi, tanquam roſis aut floribus pulchris, ſparſim diſtinguuntur, & ornantur.

VIII. Conſpicitur etiam, extra Urbem ante portam *Maraſchalla*, ſeu Marſcharella dictam, in horto Nobilis cuiusdam primarij, *Antonij, de la volta* Patricii, *Ænigma* muro inſcriptum ſubſequentis tenoris, ſuper cuius enodatione haud pauci hactenus deſudavere:

D. M.

Ælia, Lælia, Criſpis, nec vir, nec mulier, nec androgyna, nec puella, nec Iuvenis, nec anus, nec caſta, nec meretrix, nec pudica, ſed omnia: ſublata neq; fame, neq; ferro, neq; veneno, ſed omnibus; nec cœlo, nec aquis, nec terris, ſed ubiq; jacet. Lucius Agatho Priſcius, nec maritus, nec amator, nec neceſſarius, neq; mœrens, neq; gaudens, neq; flens, hanc neq; molem, nec pyramidem, nec ſepulchrum, ſed omnia; ſcit & neſcit, cui poſuerit.

IX. *Poſſeſſio Nationis Germanicæ* quæ vinetum & domum voluptuariam extra Urbem complectitur.

20. Prandij. 458. *Imola*, oppidum in Æmiliâ, quod olim Forum Cornelij 18.

dicebatur, teste Ptolomæo lib. 3. cap. 1. Pontificiæ nunc Iurisdictionis.

Cœnæ. 459. *Faventia*, sub Pontificis Romani dominatu Civitas, in Italiæ octavâ regione, quam hodiè Itali suâ linguâ vocant *Faenza*; Eius incolæ appellantur Faventini, Fidentinis finitimi. 22.

21. Prandij. & Cœnæ. 460. RAVENNA, Oppidum Sabinorum, in octavâ Italiæ regione, CCII. M. pass. ab Anconâ, teste Plin. lib. 3. Natur. hist. cap. 15. palustri in loco situm, aëre tamen innoxio; propterea quod crebris, cùm fluviorum, tùm Maris Adriatici inundationibus sordes abluantur; unde gladiatoribus educandis exercendisq; locum hunc veteres præcipuè delegerunt; Antiquitate magis, quàm ædificiorum pulchritudine nunc celebre, à Thessalis, uti Strabo lib. 5. memoriæ prodidit, primum conditum; sed posteà ab *Vmbris* atq; *Sabinis* possessum, cum Tuscorum injuriis vexati Græci, ultrò his Coloniam inhabitandam cessissent in Græciam redeuntes, Vmbros posteà Galli Boij, Boios demum Romani expulerunt; in quorum ditione ac fœdere ad finem usq; Imperio stante, permansit, donec ab Odovacre & Herulis illæ provinciæ subigerentur; quem debellatum Theodericus Ostrogothorum Rex cepit, atq; Ravennam sibi sedem Regni constituit; tenueruntq; deinceps illam Ostrogothi ultra annos LXX. donec à Narsete Iustiniani Imperatoris Præfecto Italiâ pellerentur. Post Narsetem tenuerunt eam Exarchi Imperatorum Byzantinorum, per annos amplius CLXX. quibus assidua cum Longobardis à Narsete in Italiam advetsus Romanum Imperium accitis, bella fuerunt. Quorum potentia tandem intercidit Exarchatus, cum Astulphus Rex Ravennam bello cepisset; Verùm is posteà Francorum viribus, ac Pupini Regis ductu victus, Urbe eadem atq; toto Exarchatu, Romano Pontifici, Ecclesiæq; Apostolicæ cedere coactus fuit; Cuius Successor Desiderius post discessum Pupini ex Italiâ, pactorum fide spretâ, cum Exarchatum rursus occupasset, Caroli Magni atq; Francorum armis, is etiam victus & captus, Italiæ Regnum simul cum 20.

Raven-

Ravennâ & Exarchatu, Longobardis ubiq; pulsis, amisit. Sic itaq; hoc oppidum, fortunæ temporumq; varietates, atq; plures bellorum clades, ab initio perpessum fuit: Nunc sub dominatu Romani Pontificis tranquilliore fruitur aurâ.

Roncone, qui olim Vitis, Montoneq; fluminibus alluitur; Castellum habet vetustum, quod *la Rocca* appellatur.

Visu & notatu digna sunt Ravennæ:

I. *Titulus portæ marmoreæ,* quam speciosam vel Auream nunc vulgus, ob Architecturæ vel artificij pulchritudinem appellat, ab antiquo insculptus, qui talis est:

Ti. *Claudius,* Drusi F. Cæsar, Aug. Germanicus, Pont. Max. Fr. Pot. Cos. II Des. III. Imp. III. P. P. dedit.

Iste titulus indicio est, Claudium Imperatorem, Ravennam portis ac muris novis muniisse.

II. Circa forum *D. Mariæ* in porticu peramplum *Cœnobium,* *& Dantis* Aldigerij Etrusci, Poëtæ Nobilis, *sepulchrum marmoreum* excitatum magnificentissimè à Bernardo Bembo Veneto, Ravennatum quondam Prætore. Dantis Aldigerij Poëtæ sepulchrũ.

III. *ArchiEpiscoporum sedes.*

IV. *Templum Urbis maximum* ac *sumtuosissimum* quatuor columnarum preciosissimi marmoris ordinibus suffultum; supra cuius altare summum visebatur ante annos circiter octuaginta, quatuor innixum pulcherrimis columnis marmoreis, cœlum argenteum, triginta sex millium aureorum, cum limbis fastigiorumq; sigillis, atq; parergis inauratis & elegantissimis; quod sacrilegæ Ludovici XII. Gallorum Regis cohortes simul cum Urbe, sacris, profanisq; rebus omnibus nefandissimè diripuerunt; cuius noxæ non diu pòst, pœnas atroces, justâ Numinis Divini vindictâ dedêre, prælio vel ad internecionem cæsi, vel in Padi, Ticiniq; gurgites demersi ac suffocati.

V. *Aureum cœlum* Theodorici Regis Ostrogothorum, ab eo quondam splendidissimè ædificatum, quod D. Martino prius, nunc D. Apollinari sacratum est fanum & grandium columnarum so-

rum solidarum rari & exotici marmoris, quas Byzantio Rex adferri curaverat, binis ordinibus, varijsq; aliis marmoribus nobilissimis ditissimè exornatur, quæ Româ, & ex aliis Italiæ locis transtulerat.

VI. Templum D. Vitalis rotundum, cuius summa testudo, & tholus aræ maioris, columnis item marmoreis nobilissimè sustinetur. Quin totúm fuit olim cum pavimento ac parietibus, tabulis marmoreis opereq; tessellato, cum Emblematis circumquaq; vestitum atq; incrustatum, veluti ex reliquijs operum, quæ adhuc supersunt colligitur.

Videntur quoq; ibi marmora, in quibus *duo Angeli*, habitus cuiusdam Monachi, pedes hominis, non arte, sed natura ludente & ductrice ita repræsentantur. Item Locus quidam, qui forma circulari marmore rubro subductus est, quem nemo nisi Pontifex aperire licet, in quo sanguinem quorundam Martyrum videri posse, nobis relatum est. Vicinum huic templo est

VII. Fanum Divorum *Gervasii atq; Prothasii* opulentissimè à Placidiâ Gallâ constructum, & marmoribus nobilissimis excultum; in quo etiam Gallæ, duorumq; eius filiorum sepulchra marmorea, pulcherrimè exsculpta visuntur.

Sub altari S. *Vitalis*, ubi olim sepultus fuit, nunc fons reperitur, cuius aquam adversus omnes capitis dolores optimam medicinam esse, dicunt.

VIII. D. Ioannis Euangelistæ templum, ab eadem Placidiâ, Honorii, Arcadijq; Imperatorum sorore structum; in cuius testudine Imperatorum imagines opere museiario tessellato effigiatæ sunt, qui de prosapiâ conditricis fuêre.

In crypta legitur inscriptio vetusta, ex qua apparet, quo tempore sit conditum hoc templum, & quomodo ab ipso Divo Euangelista Ioanne, mirabiliter apparente consecratum fuerit.

IX. Ruinæ ingentis Palatij, quod Theodorici Ostrogothorum Regis fuisse volunt, ibiq; adhuc locus quidam cernitur, ubi *Papa Iohan-*

pa Iohannes incarceratus fuit, & fame, siti, cæterisq; carceris incommodis, à Theodorico necatus XV. Kal. Iulij Anno Domini 526.

Turris Viclena quadrata, curva cernitur.

X. *Herculis* Horarij vel *Astrologi statua* marmorea in cratere fontis, selectam Epigrammatum, Epitaphiorum ac inscriptionum antiquarum, quæ passim inveniuntur, silvam offerens, Antiquitatum studiosis.

XI. *Pinetum*, vulgò *La Pigneda*, spatiosissimus tractus non procul ab oppido Ravennâ Ferrariam versus, pinis arboribus fructiferis occupatus;

XII. Ante Ravennam *ædes D. Virginis Mariæ* rotunda, antiquissima & pulcherrima, ædificium est eximium, opere reticulato, è spisso quadrati saxi muro, cuius interior circulus amplitudine per diametrum XXV. pedum est; Pavimentum ex varij coloris lapillis ingeniosè tessellatum, bellis renitet Emblematis; *Tectum totum ex uno solido saxo granoso*, sed præduro formâ hemisphæricâ concavo, in cuius umbilico medio, foramen rotundum diem ac solis radios immittit: Miraculum apparet & hæsitant cuncti spectatores, divinare nequeuntes, quanam industriâ, quibusve instrumentis, tanta saxi moles, in ædificij illius culmen evehi potuerit; Cuius amplitudo rotunda per diametrum XXXV. plus minus pedum esse conijcitur, considerato nimirum exteriore ædis circulo, atq; murorum, quos tegit illa moles; & crassitudine mensâ cũ cymatio, coronicibus, Zophoris atq; epistylijs columnarum, quæ forinsecus ædem exornant. In fastigio tecti, supra foramen in columellis steterat olim *Theoderici Ostrogothorum Regis Somatotheca* nobilis, ex lapide Numidico porphyreo leucostiсto solida; longa pedes octonos, alta quaternos, cum operculo ex ære Corynthio inaurato, signis, parergis & emblematibus elaborato quàm opulentissimè; Quod monumentum, uti plures scribunt, Amalasunta Ostrogothorum Regina patri posuerat; sed bello Gallico Ludovici XII. barbari milites prædæ

Somatotheca Theodorici Ostrogothorum Regis.

prædæ ſpe, ſarcophagum illum tormentorum ictibus dejecêre, cuius reliquiæ quædam viſuntur adhuc.

In foro ad S. *Sebaſtianum*, hac inſcriptione addita:

VAS hoc Porphyriacum olim Theodorici Gothor. Imp. Cineres in rotunda apice recondens, huc Petro Donato Cæſionar. nien. præſule favente translatum, ad perennem memoriam ſapientes Reip. Rau. P.P. C.M.D. LXIV.

Non longè ab hinc videtur Herculis Horarij vel Aſtrologi ſtatua marmorea in cratere fontis.

Ad fores deniq; dicti templi rotundi, videtur antiqua inſcriptio, qua hac eſt:

Duo iuvant Lupi, & Apinna Iuvania domus
Hos produxit alumnos, libertatis opus contulit una dies
Naufrago mors pariter rapuit quos iunxerat antè
Et duplices luctus ſic per iniqua dedit.

Huic templo olim mare vicinum fuit, claviq; adhuc videntur, ad quos naves alligarunt, eoq; in loco hi aquis periere: Hodiè verò mare prorſus receſſit, & eo ipſo in loco horti amœniſſimi & agri fertiliſſimi cernuntur.

Hac in provincia utuntur patinis pro orbibus; Montes Apennini Bononiâ, usq; huc ad dextram habuimus.

XIII. Inter Ravennam & Cæſenam, circa oppidulum Cerviam, quod tranſivimus, *plurima* ſunt *Salina*, in quibus ex aquâ marinâ coagulatâ tempore æſtatis, ſimili planè formâ & modo ſal conficitur, quemadmodum ſuprà apud *Sanctones* in Galliâ fieri diximus. Salinæ in Italiâ.

22. Prandij. 461. CÆSENA, vulgò *Ceſena*, oppidum Flaminiæ provinciæ à cædendo dicta, quod exiguo amne cæſa, id eſt, diviſa ſit, vel quod eius ager, duobus fluminibus *Sapi & Rubicone* ſit diviſus. Hinc incolæ Cæſenates dicti, & Cæſenatia Vina, quæ inter generoſa numerantur. 20.

Hic ad mare Hadriaticum venimus, ad cuius littora Ariminum usq; manſimus.

Conſi-

Consideratiōne dignus in transitu hìc est *fluviolus Rubico*, perduellione C. Iulij Cæsaris famosus, qui florente Imperio, præcipuam Urbis Romæ Provinciam Italiam eò loci inter Apenninum & Adriaticum Mare disterminavit à Galliâ Cisalpinâ Provinciâ; ad quem C. Cæsar spretis Maiorum legibus, quibus vetabatur omnis Imperator, extra Provinciæ suæ limites, injussu Senatus, populiq; Romani Legiones ducere, per nefas bello petiturus patriam, exercitum eò traduxit, & vanis ostenti Panici superstitionibus militem ad civile bellum impulit, moxq; Urbem Romam atq; Italiam infestis armis occupavit. Rubico fluviolus.

Verba legis antiquæ, marmoreæ tabulæ inscripta hæc erant:

Iussu mandatuvè P. R. Cos. Imp. Trib. Mil. Tiron. Commiliton. Arma quisquis es Manipulariæve Centurio turmæve legionariæ hìc sistito, vexillum sinito, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem signa, ductum Exercitum, commeatumve traducito. Si quis ergò huiusce jussionis adversus præcepta ierit feceritve, adiudicatus esto hostis. P. R. ac si contra patriam arma tulerit, penatesq; ex sacris penetralibvs asportaverit, S. P Q. R. Sanctio Plebescitì Senatusve Consulti, ultra hos fines arma ac signa proferre liceat nemini. Adde Lucani lib. 1. versiculos sequentes:

Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes,
Ingentesq; animo motus bellumq; futurum
Ceperat, ut ventum est parvi Rubiconis ad undas &c.

Cœnæ. 462. ARIMINUM, vulgò *Rimini*, oppidum in Flaminiâ, juxta Rubiconem fluvium, ditionis Pontificiæ sicuti & antecedens Cæsena; *Antiquitatum* haud contemnenda est ibidem *copia*, cum antiquissima sit Civitas, quam Augustus Cæsar & Imperatores Romani plures publicis ædificijs sumtuosis ac splendidis, exornârunt, quemadmodum reliquiæ adhuc demonstrant. Coloniam quidem Romanorum factam tradunt Livius, Strabo, Velleius, & Eutropius, simul cum Benevento ante bellum Pu- 25.

nicum primum, P. Sempronio Sopho, & Ap. Claudio cæci F. Coss. Anno post R.C. CDXXCV. Habitaq; deinceps est ea Colonia, velut propugnaculum adversus Gallos, in eo limite; quo etiam plærunq; Romani Duces, qui Galliam aut ulteriorem aliquam Provinciam sortiti fuerant, diem conveniendi ad signa militibus post delectum dicere, Legionesq; inde in Provinciam ducere solebant, ut ex Liviana historiâ manifestum fit. *Nominis Etymon* à Leone, vel Hercule, aut Marte qui deducere volunt, Annij Viterbini somnia sequuntur; mihi potior videtur sententia, quâ plures opinantur à flumine quo alluitur Arimino nomen traxisse, cuius Strabo & Plinius mentionem faciunt. Ab initio Picentium fuit, posteà his devictis & ab Ap. Claudio triumphatis, cum ab Æsi ad Rubiconem protulissent Imperij fines, Urbs Umbris attribui cepit; Quæ in planicie sita fœcundissima, ab ortu & occasu frumentarios habet campos; à meridie hortorum, olivetorum, vinearumq; plenos Apennini colles; A Septentrione Adriaticum Mare; Quare rerum omnium ad usum hominum abundans est. Ædificijs novis est pulchra & commoda.

In templo S. *Francisci* supra portam hoc legitur: Sigismundus Spandulæus Malatesta Pandulfi F. V. fecit anno gratiæ *M. CCCC. L.* In capella videntur octo Elephanti marmorei, ferrei coloris, columnas sustinentes. *Sepulchrum Christi* in templo S. *Crucis* est.

Capella S. *Anthonij* in foro cernitur, cui vicina spira quædam est, locum denotans ubi Iulius Cæsar ad milites suos perorarет, cum hac inscriptione:

C. CÆSAR Dictator, Rubicone superato Civili bello commilitones suo. hic in foro Arimino allocutus est.

In altera facie hoc scriptum:

Suggestum hunc vetustate collapsum,
Consules Ariminensium Novemb. &
Decemb. M. D. LV. restit.

Visu

Visu & notatu digna hic sunt:

I. *Palatia* quædam sumtuosa maiori ex parte à Malatestis, Urbis olim Principibus condita.

II. *Fons in foro* marmoreo cratere ac parergis omnibus ornatissimus atq; siphunculis pluribus, dulces ac limpidas evomens aquas.

III. *Castrum.*

IV. CURIA, ubi in cænaculo, sub antiquissimis historicis picturis hæc leguntur:

1. Ariminum à Comitibus Herculis conditum, Cato de Originibus.

2. Asaponius bon⁹ Civis deduxit Coloniam Ariminum. 3. Annibale victore, imperium P. R. stetit Ariminensium subsidio. 4. Lucius Sempronius Cons. compositis Siciliæ rebus oram Italiæ legens, Ariminum pervenit. 5. Augustus Cæsar quo Urbs facilius adiretur, Arimino tenus Flaminiam munivit. 6. Vespasianus & Titus Cæss. Arimini invenere M. Appium Consulem & L. Tertulliam, C. XXXVII. annos vixisse. 7. In Ariminensi agro in villa Gallei locutus est gallus gallinacens. 8. Concilium, cui B. Hieronymus interfuit, Arimini est celebratum. 9. Ariminum à Gothis obsessum per Bellisarium & Narsetem Iustiniani Duces liberatur.

V. *Theatri lateritij* antiqui *reliquia* ingentes versus mare:

VI. *Pons marmoreus*, ex quadratis saxis grandibus in Arimino flumine constructus, ab Augusto Cæsare, qui Flaminiam viam Æmiliæ, Urbemq; Suburbio jungit; in longum *CC.* pedes arcubus quinis innititur, in latum pedes XV. habet. Ab utroq; latere spondis marmoreis opere Dorico pulcherrimè laboratis munitus est, in quarum una, magnis literis insculpti leguntur tituli Imp. Cæs. Augusti; hisce verbis:

IMP. CÆSAR. DIVI F. AVGVSTVS.
PONTIF. MAXIM. COS. XIII.

IMP. XX. TRIBVNITIÆ POTEST.
XXXVII. P. P.

Ex altera regione hæc:

TI. CÆSAR DIVI AVGVSTI F.
DIVI IVLII N. AVGVSTI PONTIF. MAX. COS. IIII. TRIB. POTEST. XXII. DEDERE.

Ex quibus colligitur, Anno post Urbem conditam *DCC LXXVIII. C.* Calvisio, Cn. Lentulo Coss. opus hoc absolutum fuisse, quod Augusti auctoritate Flaminiam sumtuosissimè munientis inchoatum ante fuerat.

VII. *Antiqui portus vestigia*, qui modicis quidem nunc navigiis aptus, & arenis oppletus; sed quàm splendidus & amplus olim fuerit, cognoscitur ex structurâ magnificentissimâ templi D. Francisci, quod ex marmoribus antiqui portus Ariminensis, Sigismundus Malatesta, eius Urbis Princeps quondam extruxit;

Ad mare videtur *sacellum*, ubi S. *Anthonium*, cum Ethnici eum delusissent; *piscibus prædicasse* dicunt.

Ad portam S. Bartholomæi videtur elegans *arcus marmoreus* Augusto Cæsari in viâ positus, cum quadam inscriptione, quæ difficilimè legitur.

Catolica vicum transivimus, ibiq; mare ad sinistram reliquimus, Paulo ulterius sunt fines territorij Pontificis & Ducis Urbinatis, quæ per fossam *Davolo*, appellatam, discernuntur:

Gradara arcem in monte ad dextram reliquimus.

Hinc cum montes Apennini descendissemus, rursum ad mare pervenimus. 28.

23. Prandij. & Cœnæ. 431. PISAURUM, vulgò *Pesaro*, Oppidum Umbriæ sub Urbinatium Ducis imperio, ædificijs atq; plateis perelegans, mercimonijs dives, Emporiumq; Italiæ celebre, ad cuius nundinas frequens Mercatorum fit concursus ex varijs provincijs, statis anni temporibus; Portus tamen illius propter vada & arenas, onusta & maiora navigia non admittit, ut ab agasonibus & mulionibus, qui merces invehuut, magis quam à nautis

nautis frequentetur. Colonia Romanorum simul cum Pollentia, Civitas hæc facta est, Anno post Urbem conditam DLXIX. P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licino Coss. quadriennio post Bononiam deductam, uti Livius & Velleius Paterculus auctores sunt. Eandem paulò ante bellum Actiacum, cum eò M. Antonius IIIVir colonos rursus deduxisset, terræ hiatu absorptam periisse, Plutarchus in Antonij vitâ memoriæ prodidit.

Visu & notatu digna hic sunt:

I. Ædes sacræ, ac Monasteria.

In templo *al Corpo Christo*, hoc legitur:

Ossa Beatæ Seraphinæ Romanæ de Columnensibus uxori Alex. Sforciæ, & istius Monasterii Abbatissæ.

II. *Arx ad littus* à Ioanne Sfortiâ Principe condita.

III. *Munitiones ac propugnacula,* à Francisco Mariâ, & Guidebaldo constructa;

IV. *Palatium Ducis,* in quo præter reliqua Bibliotheca insignis. In qua cernitur *Breviarium* in membranam delicatam, vulgò Jungfrawenpergament scriptum, quod multis artificiosissimis picturis, ad stupendum exornatum est, & æstimabatur pro 12000. coronatis. *Librum* etiam nobis monstrabant *in corticem arboris scriptum lingua Syriaca*, multosq; alios libros Arabico & Turcico idiomate scriptos, vidimus. Non longè à Bibliotheca est conclave quoddam, in quo multæ ad vivum effigies Magnorum & Illustrium virorum, Urbium, provinciarumq; delineationes: *In area Palatij* est statua ex albo marmore perelegans, cum hac inscriptione:

FRANC. MARIÆ DUCI
OPT.
S. ROM. ECCLESIÆ FLO-
RENTINÆ REIP. VENETI
SENATUS FOEDERATOR.
PRINCIPUM. IN TURCAS ET

IPSIUS EXERCITUUM DUCTORI
VICTORI
EXPUGNATORI
DITIONUM SERVATORI
DOMI FORISQ.
FR. MARIA II. DUX EIUS NEP.
FACIUND.

In eadem area prope portam ſaxis hæc inciſa leguntur:

HERCULI AVG.	VICTORIÆ
CONSORTI	ÆTERNÆ
D. N.	AVRELIANÆ
AURELIANI	AVG: N. RESPVB.
INVICT. AUGVS.	PIS. CVRAM AGEN.
RESPVB. PIS.	C. IVLIO PRISCIANO
CVR. AGENTE	DVCE N.P. CVR.
C. IVLIO PRISCIANO	R.P. PISAVR. ET
V E. DVC. CVR. R.P.	FAN.
PVS. ET FAN. P.M.	P. P. M.

In foro ornatiſſimus *fons ex marmore* incruſtato videtur, ſiphunculis pluribus dulces & limpidas evomens aquas, ubi hæc antiqua inſcriptio legitur:

C. TITIO C.F. CAM. VALENTINO ÆDILIQ. IIVIR. QUI TESTAMENTO COLONIS COLONIÆ Iul. Felic. Piſau. decies centena millia NVM. dedit, ita ut per ſingulos annos ex Seſtertior. *CCCC.* VSVRIS populo Epulum die Natali Titi Maximi IV. eius divideretur, & ex Seſtertiorum DC. uſuris quinto quoq; anno munus gladiatorium ederetur.

Plebs Urbana.

V. *Armamentarium* bellicorum inſtrumentorum, armorumq; elegantiſſimorum copiâ ac varietate ſumtuoſiſſimum.

Stabu-

VI. *Stabulum Equorum* satis elegans & amplum.

VII. *Villa extra muros* sumtuosissima.

Hortus *Merefore* dictus, spatiosus & amœnissimus est, in eoq; vivarium animalium.

24. 464. Hinc rectà ad Maris Adriatici littus amœnissimum Senogalliam versus iter est per *Fanum Fortunæ*, nobile Piceni seu Vmbriæ in Viâ Flaminia, Romani Pontificis oppidum, haud longè à *Metauro* amne (cui duo pontes suprainstructi CCC. pass. quilibet longus) in agro bono, fertiliq; oleo persuavi, frumento, vinoq; præstantissimo abundante situm, sic dictum, quod in eo pulcherrimum Fortunæ fanum, hoc est, templum fuerit. 18.

Prandij. 465. SENOGALLIA, Vmbriæ seu Piceni in viâ Flaminiâ oppidum celebre & pervetustum, sub Urbinatium Ducis imperio, Sena prius à conditoribus Gallis Senonibus, deinde ad differentiam alterius eiusdem nominis quæ in Hetruria est, Sena Gallia nuncupata, cum adhuc Æsis fluvius Italiam à Gallia Cisalpinâ discerneret. Hinc P. Dolabella Consule Senonibus ad internecionem extinctis eorumq; agris occupatis, Romanorum est colonia facta, simul cum Castro & Hadriâ; quo ferè tempore inclusis Umbris, Italiæ limes ab Æsi ad Rubiconē usq; productus est. Marcum Livium Salinatorem Consulem cum exercitu adversus Asdrubalem Italiæ ingruentem Senæ consedisse, & quingentos inde fermè passus hostem abfuisse constat, cum C. Nero Collega maximis itineribus profectus à Lucanis cum expedito sex milium peditum & mille equitum exercitu, nocte veniret illi auxilio; Tunc junctis viribus altero mox die, fugam ultra Metaurum fluvium molientem, Asdrubalem cum toto exercitu trucidàrunt, ut Titus Livius pulcherrimè circa finem lib. 7. Decadis 3tiæ. narrat.

Castellum *Fimesino* ad sinistram reliquimus, ibiq; tertius pons, qui ligneus est, transitur:

Falconera Castellum ad dextram in monte reliquimus. Hinc *montem Anconitanum* ascendimus, olivetis alijsq; fructiferis arboribus refertum.

Cœnæ. 466. Ancona, vel *Ancon*, Oppidum totius Piceni ut antiquitate, ſic & opibus, pulchritudine atq; Emporio, propter portus commoditatem celeberrimo, famoſum & inſigne, ideoq; Græcorum, Illyricorum, & Pannonûm, immò totius Europæ gentium mercaturâ continuâ frequentatur. De eius origine conſentiunt auctores vetuſti ac fide digni, Strabo, Plinius, atq; Solinus, Græcam Urbem eſſe, eamq; Syracuſos ob Dionyſii Siculi tyrannidem profugos condidiſſe; Nomen habet à ſitu, qui cubiti flexuram refert; Nam Græci & cubitum & locum cubiti modo ſinuoſum *ἀγκῶνα* appellant. Colonia Romanorum quando facta fuerit, non planè liquet. Veriſimile eſt, poſt Tarentinum bellum, circa annum Urbis conditæ DXXCV. devictis à Publio Sempronio Conſule Picentibus, & Italiæ finibus, ad Æſim amnem usq; prolatis, Anconem in limitibus colonos fuiſſe deductos. Conſtat quidem ex Plinio, Coloniam Siculorum primùm fuiſſe, qui lib. 3. Natur. hiſtor. cap. 13. in Piceno Numanam à Siculis conditam ſcribit, & ab ijsdem Coloniam Anconam, appoſitam promontorio Cumero, in ipſo flectentis ſe oræ cubito. Hinc *Ancon*, ut ſupra memini, Græcâ voce dicta fuit, quod & Urbs & promontorium formâ cubiti ſe incurvent, & portus ſtationem tutam faciant. Porrò oppidum hoc priſcum Italorum & Gallorum diſcrimen eſt habitum. Etenim ut Mela tradit, Italia hic finiebatur, incipiebantq; Galli Senones cum Galliâ Togatâ. 26.

Viſu & notatu digna hic ſunt:

I. *Portus* in littore Adriatici maris capaciſſimus, cum naturâ & promontorij ſitu, tum opere atq; arte veterum clauſus, atq; adeò tutus, ut inter primos atq; pulcherrimos Orbis terrarum adhuc celebretur, ac non immerito tritum vetuſtate habeatur proverbium; *Unicus Petrus Romæ; Unica turris Cremonæ, Unicus portus Anconæ.* Extant adhuc magnâ ex parte marmorea ſepta, quibus undiq; veſtitus fuit; item ſuis interſtitijs columnæ, ad quas naves alligabantur, gradus item perampli, per quos ad

aquas

aquas descenditur, nec non onera ac merces extrahi è navibus, evehiq; in terram solent. Habuisse spatiosas porticus multis columnis innixas, cognoscitur ex nummis antiquis in honorem Traiani excusis, in quibus portus eiusdem forma effigiata visitur, & qualis olim fuerit, cum Neptuni signo arundine coronati in undis ante fauces decumbentis iuxta Delphinum cum navis gubernaculo in dextrâ. Apparent *catenæ duplices*, quibus fauces occludebantur, & in ipso portu quinqueremis prætoria, celoces, triremes phaseli, aliæq; naves multæ. In eius medio inter porticus noscitur arcus ille sublimis, quadrigis & trophæis in fastigio onustus, à Senatu, Populoq; Romano, in eius beneficij memoriam Traiano ibidem erectus & adhuc temporis extans; qui licet quadrigis, trophæis, imaginibus, signis, literisq; æneis inauratis, omnibusq; suis ornamentis sit spoliatus, (quemadmodum ex vestigijs, in quibus ænea signa, literæ, parerga, aliaq; sigilla marmorea, operi suis locis plumbo ferroq; infixa fuêre, colligitur) non minus tamen quasi nudæ *Veneris simulachrum* quoddam eximium, spectantium oculos in admirationem rapit atq; detinet, dum scilicet accuratè considerant eius molis artificium, pulchritudinem ac justam symmetriam partium. Quandoquidem numeris omnibus absolutissimum corpus, illud marmoreum paucis immanium lapidum corijs, id est, ordinibus in altum æqua crassitudine evehitur; atq; tam frontis quam laterum undiq; scenographiam perfectissimam, venustâ cum quadam eorythmiâ repræsentat. Elogium, quod detractis æreis inauratis literis, in arcus fronte supra apsidem extat, causam declarat, cur eo loci Traiano Aug. eiusdemq; conjugi Plotinæ Aug. & sorori Marcianæ, iam tum inter Divas relatæ, in honorem extructus fuerit; Id ipsum hic subtexere placuit correctius exscriptum, quàm à quibusdam alijs scriptoribus publicatum fuit:

In latere dextro Plotinæ Aug. Conjugi Aug.

Imp. Cæsari, Divi Nervæ, F. Nervæ Traiano, Optimo. Aug. Germanic. Dacico, Pont. Max. Tr. Pot. XVIII. Imp. IX. Cos. VI. P. P. Providentissimo Principi, S. P Q. R. Quod Accessum Italiæ, hoc etiam addito, ex Pecunia suâ Portum tutiorem Navigantibus reddiderit.

In latere sinistro. Divæ Marcianæ Sorori Aug.

In umbilico Portus, est egregium Propugnaculum, quod *Revellino* appellabant.

II. *Arx* Anconitana, Anno Christi M. D. XXXII. contra Civitatis libertatem, Bernardini Barbæ Casalensis Episcopi, ac Ludovici Gonzagæ, Clement. VII. Pont. Legionum Præfecti, artibus extructa, tanquam propugnaculo ac præsidio Urbi futura.

III. *Portæ ac propugnacula*, quibus adversus piratarum Turcarum impetus ac insidias Urbs illa munita fuit, primum Clementis VII. dein Pauli III. atq; successorum Pont. Rom. sub quorum potentiâ adhuc est, auspicijs atq; maximis impensis.

IV. *Cumerum* sive Cimeriæ promontorium, *Monte d' Ancona*, vulgò.

V. *Cathedrale* D. *Cyriaci* fanum antiquum, marmoribus raris atq; structurâ sumtuosâ peramplum, & eximium, in cuius templi sacrarijs quam plurimæ Divorum reliquiæ ac donaria preciosa, pietatis ergò conservantur; Præsertim D. Anthonij huius Urbis Episcopi ossa adhuc integra: item S. *Marcellini*, S. *Oliverij* & S. *Palazij reliquiæ*. Huic templo contigua est sedes Episcopalis, ubi aliquot artificiales & amœnissimi horti inveniuntur.

Ex alto ibidem volupe est, contemplari spatiosa Maris æquora, Urbis atq; portus curvaturam ac situm; per continentem Apennini juga, cui promontorium hoc ita cohæret, ut nonnulli eum illic finiri memoriæ prodiderint. Ramum quidem Apennini esse, credi facilius potest, qui hinc ad Garganum per oram Adriatici Maris, atq; inde in Meridiem ad Leucopetram Bruttiorum promontorium perpetuis jugis, in Epiroticum Mare procurrit, ac veluti spina dorsi totius Italiæ continentem roborat ac firmat.

VI. Monstrantur hinc *vicinæ Civitates*, atq; circumjacentia Castella & oppida; sub promontorio ad littus Sirolum, nobili nunc etiam vino celebre, quod etiam à Plinio Anconitanum vocatur, & inter generosa numeratur.

Notan-

VII. Notandum præterea, quod hæc Italiæ regio, quæ olim Picenum dicta fuit, hodie *Marchia Anconitana*, vulgò *Marca Anconitana* appellata, ab Isauro flumine usq; Druentum amnem, inter Adriaticum Mare & Apenninum montem exporrigitur. Picenos, Umbros, & Senones hunc tractum quondam incoluisse literarum monumentis constat; habet agrum fertilem, omnis generis frugum copiam producentem, sed lignarijs quam frumentarijs fructibus longè est præstantior.

Palatium Signoriæ, varijs artificiosissimis picturis ornatum, quibus honorarunt in triumpho Clementem VIII. P. Max.

Domus itidem *Mercatorum* picturis elegantissimis & quibusdam statuis in angulis domus positis, valdè decoratum est, ut diligentem aspectatorem faciat. Vicelegati Palatium perlustratione quoq; dignum fuit.

Arx Anconitana munitissima est, ex qua adversus Pyratarum Turcarum impetus ac insidias, oppidum se munire potest, primum Clementis VII. dein Pauli III. atq; successorum Pontificum auspicijs atq; maximis impensis cæptum. Gregorius XIII. aliud huic arci propugnaculum adijcere voluit, sed imperfectum mansit. Ex adverso huius arcis videtur mons quidam, cui turris vel specula inædificata, in qua vigiles aluntur, qui quamprimum Prædones in Mari animadvertunt, igni accenso signum dant, quo viso, cæteri vigiles qui die nocteq; in alijs speculis se continent, sequuntur, ita ut ab uno atq; altero, igne accenso, in tribus horis Venetias usq; promoveatur, qui illico navigijs prædantes persequuntur, & mare Hadriaticum à Piratis ita tutum reddunt.

Osemo & *Ficardo* castella ad dextram in monte sita, reliquimus.

25. Cœnæ. 467. LAURETUM, ubi inclytum religione fanum Divæ Mariæ Deiparæ Virginis visitur, peregrinatorum concursu, ab universis orbis Christiani regionibus, veris & autumni temporibus inprimis, eò confluentium, mirificè frequentatum, pietatis & vo- 15.

torum causâ, sub Pont. Rom. clientelâ. *Silva* olim *Laurea* in colle ad Musionis amnem inter Ricinetum & Mare, à qua Laureti nomen; in eodemq; colle sunt qui opinentur, *Cupram* Tuscorum oppidum, cum antiquissimo Iunonis Cupranæ delubro fuisse. Nunc vicus vel potius oppidulum, muro, fossis & turribus cinctum atq; propulsatorijs armis instructum abundè, ne piratis ac Turcis, impiove militi, ut anteà, ad direptionem pateat; utq; tutò, commodeq; nunc habitetur, & advenas hospites lautè mundeq; in diversorijs excipiat & tractet.

Templum ipsum ex quadrato saxo, sumtu atq; magnificentiâ sublime & peramplum est; in cuius medio sacrosanctum illud Divæ Virginis conclave per summam religionem ab advenis aditur, conclusum *sacello marmoreo quadrato*, sculpturis artificiosissimis extrinsecus elaborato, tàm laxè tamen, ut novum hoc opus veteres illos sacri Conclavis muros nusquam contingat. Atqui opinione prorsus receptum & reipsa constare tradunt, divini Numinis hoc fieri nutu, ut parietes illi, intra quos nata educataq; fuit Maria semper Virgo, & intra quos ipsa Deum ac hominem concepit, *A*rchangelo Gabriele nunciante, operarias hominum manus non admittant, renovari ac ornamentis ullis vestiri nolint.

Fores habet *quatuor*, quibus hæc subscripta leguntur:

1. Intrantes cum armis sint excommunicati.

2. Sanctior hæc adeò quidni sacra Principe Petre,
   Verbum ubi conceptum nataq; Virgo parens.

3. Nullus in orbe locus prælucet, sanctior isto,
   Quaq; cadit Titan, quaq; resurgit aquis.

4. *A*llotus timeat, quicunq; intrare sacellum,
   In terris nullum sanctius orbis habet.

Ostenduntur ibi singulatim pretiosa & rara Principum atq; Magnatum donaria, quæ Religionis ac voti causa, Divæ Virgini matri, cuius vera effigies ab Luca Euangelista sculpta sub altari

tari videre est, in illo delubro dedicata fuere; Item in sacrario vestes ac vasa sanctiora ex auro & argento, gemmis & unionibus onusta.

In Columnis cernuntur multarum gentium vota, & huius *ædis translatio* in tabulis cuiuscunq; gentis materna lingua descripta est. Veluti *in Græca, Latina, Germanica, Gallica Hispanica, Italica, Arabica & Polonica.* *Antè* fores templi est statua Pontificalis Sixti V. Per oppidulum tot coronas vulgò *Pater noster*, & imagines argenteas D. Virginis venales habent, ut ad admirationem quemlibet trahat.

26. 468. RICINETUM vulgò *Recanato*, Umbriæ sive Piceni, in via Flaminia & Marca *Anconitana* oppidum, atq; Emporium, recens ex vetustæ Urbis Helviæ Ricinæ reliquijs excitatum; ex
469. cuius interitu ac ruinis etiam *Maceratam* eiusdem regionis oppidum, *Academiâ* nobile exurrexisse volunt.

Hic mare Hadriaticum ad sinistram reliquimus.

Montecagiano oppidulum ad dextram reliquimus.

Macerata oppidum in monte situm transivimus, in foro est Palatium, in quo Cancellaria totius Marchiæ. Hisce in locis multa Oliveta sunt.

Prandij. 470. TALENTINUM, Umbriæ seu Piceni oppidulum, sub potentiâ Romani Pontificis, sicut & antecedentia, aliàs *Tolentum* quoq; nuncupatum, à quo Tolentinates populi dicti. 26.

Philosophi *Muccia Patria:* In templo D. Nicolai reconduntur sub altari eius reliquiæ, hac inscriptione addita:

Hoc quod *cernis opus posuit Milina propago*
Petrus Romani *gloria prima fori.*
Scilicet *ut digna staret Nicolaus in urna,*
Ture pio possent cultius ossa coli. 1474.

Propè oppidum incipiunt *montes Umbriæ.*

Belforte oppidulum ad dextram } reliquimus.
Galerole arcem ad sinistram }

Hic viæ salebrosæ quodammodo & lapidiosiores sunt, ut etiamsi continuæ pluviæ sint, peregrinari tamen commodè quis potest.

Cœnæ. 471. *Porverino,* Vicus Umbriæ ignobilis. 14.

Muca & *Saravalle* oppidula transivimus.

27. 472. *La casa nuova,* diversorium, in quo peregrinantes hospi- 27.
Prandij. tio excipi solent.

473. FULIGNIUM, alias *Fulcinium, Fulginium, Fulginia,* vulgò *Fuligno,* Umbriæ oppidum mercaturâ dives in planitie situm, agris, vinetis, hortis, olivetis, amygdalisq; nitet; Pontificiæ Iurisdictionis ex Fori Flaminij vicini ruinis, ut quidam autumant, extructum à Fulginatibus, ex agro Tudertino sedem eò transferentibus, cum Flaminij forum Langebardi delevissent.

Hic Ducatum Spoletanum reliquimus, & per hæc loca Perusium contendimus.

Spello ad dextram oppidulum } reliquimus.
Assisi oppidum egregium ad dextram }

Cœnæ. 474. *Alla Madonna de gli Angeli,* Monasterium satis elegans, 20
prope quod fons salientis aquæ est limpidissimus.

La baste oppidulum ad sinistram reliquimus, ibiq; transitur pons lateritius.

28. 475. PERUSIA *vel Perusium,* vulgò *Perugia,* Hetruriæ oppi- 12.
Prandij. dum Iurisdictionis Pontificiæ, in colle, vineis, olivetis, & frumentis varij generis fertili, ædificijs altis & magnificis decoratum, plateis laterib. stratis, ab Achæis conditum, in quo L. Antonius ab Augusto obsessus, cum extremâ fame laboraret, coactus est deditionem facere; Situm est ad lacum Perusinum inde dictum, qui *inauditâ piscium copiâ* cæteros Italiæ lacus antecellit, & cuius piscationes toto fiunt anno, etiam ipso Brumæ tempore, quo pisces hi ad Hetruscos, Umbros, Picentes advehuntur; Romam quoq; plurima quotidiè jumenta comportant; Claret celebri Academiâ, & Sepulturâ magni illius Bartoli de Saxo-

ferra-

ferrato, ICtorum quondam facilè Principis, Sub cuius ſtatua pectorali, hoc ſaltem majuſculis literis inciſum eſt:

OSSA BARTOLI.

In ſacriſtia templi Cathedralis ſepulti ſunt Martinus IV. Innocentius III. & Urbanus IV. Pontifices. Ante templum cernitur ſtatua ex Orichalco Iulij II. PP. Item fons egregius ex lapide ſtructus.

Collegium hic habet *elegantiſſimum*, ad cuius fores ſaxea ſtatua Sixti V. PP. poſita eſt, & valdè frequentatur à Germanis & Gallis, qui invicem ſe immatriculare ſolent: *Rectores* ipſorum *Priores* appellantur, & nullibi invenies ubi Germani cum Gallis conjuncti ſunt.

Huic vicinum eſt Collegium Ieſuitarum.

Claret item caſtello fortiſſimo, à Paulo III. exædificato, ex quo Civitas defendi & quoq; in officio contineri poteſt.

Fulginio Peruſium in amœniſſimâ & fertiliſſima valle iter
476. facienti à dextra apparet *Aſiſium* patria Franciſci Serafici, *Aſiſi*
oppidum elegantiſſimum à monte qui huic imminet ſeu fluvio vulgò.
Aſi præterlabente ſic nuncupatum, & colli impoſitum, Pontificiæ etiam Iurisdictionis; Hinc Aſiſinates eius oppidi incolæ.

Cœnæ. 477. *Pantalo*, Domus Solitaria, in hunc ſaltem uſum extru- 18.
cta, ut ibi peregrè proficiſcentes hoſpitio excipiantur.

29. Prandij. 478. TUDERNUM Ptolomæo, Plinio *Tuder* appellatum, 20,
vulgò *Todi*, Umbriæ oppidum mediterraneum, Pontificiæ ditionis, quemadmodum & totus iſte tractus Romam usq;.

In hoc tractu plurima caſtella antiquiſſima montibus impoſita ruinata conſpiciuntur, quæ contra Barbarorum incurſiones & devaſtationes, quondam extructa fuiſſe veriſimile eſt.

479. INTERAMNAM, vulgò *Terani*, Umbriæ in Viâ Flaminia oppidum, ſic appellatum à veteribus, quod inter ramos *Naris* fluminis, velut duos inter amnes poſitum ſit, à ſiniſtrâ vidimus: Olim ſtructuris & amplitudine maius fuiſſe quam nunc eſt, veterum ædificiorum ruinæ, quæ in viciniâ circumquaq; viſuntur,

viſuntur, docent; & decreviſſe non parum inteſtinis odijs atq; civium diſcordijs, maiorum memoriâ recompertum eſt.

Cœnæ. 480. Narnia, vulgò *Narni*, Umbriæ oppidum in Viâ Flaminiâ, ſub Romani Pontificis dominatu, in aſpero, difficiliq; monte, & magnâ ex parte abrupto, poſitum, cuius imas radices, abrûptosq; ſcopulos *Nar* fluvius magno cum fragore lavat, à quo Narniam appellatam Livius & Stephanus Grammaticus, in Urbium Lexico teſtantur. Eius ſitum ita Martialis Poëta depingit, lib. 7. Epigrammatum; 12.

Narnia, ſulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda jugo.

Nequinum prius nominatum fuiſſe, incolasq; Nequinates, cum à Romanis ſubjugarentur, idem Livius affirmat; Infami ſcilicet nomine ob inertiam & pravos oppidanorum mores, ut volunt quidam, vel à loci iniquitate; Aſpernari tamen poſteà nomen, Romanorum Coloni, cum eò deducerentur adverſus Umbros, & Narnienſes à Nare flumine appellari maluerunt. Samnitibus tum Nequinates confœderatos fuiſſe, Triumphi Capitolini demonſtrant, cum quibus victi, triumphatiq; fuêre per M. Fulvium Pætinum Conſulem Anno Urbis CDLIV. quo tempore & colonia eo deducta eſt. Nunc oppidum oblongum, ædificijs ſatis elegans eſt, rerum copiâ lautum ob agri vicini fertilitatem; licet aliquando bellorum calamitatibus involutum, clades ingentes patrum memoriâ acceperit. Prætergredientibus oppidum apparent à dextris ſupra Narem admirandi ac longè conſpicui pontis fornices ac minæ ingentes, qui duos præaltos & abruptos montes ſubterlabête flumine ſolebat conjungere, ut æquali viâ tranſitus ab oppido Narniâ pateret in montem adverſum. Ex manubijs Sicambricis extructum ſub Auguſto quidam autumant, & Procopius Auguſtum eius auctorem memorat, haud unquam pontis arcus celſiores à ſe viſos ſcribens. Quæ adhuc eius reliquiæ ſuperſunt, ex lapide quadrato prægrandi, pilis vaſtiſſimis ſublimes arcus impoſiti, mehercle, demonſtrant

monstrant florentis imperij maximum & insani sumtus opus hoc fuisse; nec de alio ponte loqui Martialem puto, Epigrammate iam ante citato ad Narniam:

Sed iam parce mihi, nec abutere Narnia Quinto,
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

Bis pecudes in anno.

30. 481. OCRICULUM, quamvis alij scribant *Otriculum*, sed corruptè, ut docti putant, vulgò *Otriculo*, Umbriæ in Italia in viâ Flaminiâ oppidum, ubi in transitu videntur ædificiorum publicorum reliquiæ ingentes; templa videlicet, thermæ, aquæductus, & aquarum castella subterranea; item porticus, theatrum & amphitheatrum; quæ mole suâ testantur amplitudinem & magnificentiam summam eius municipij, cùm florente adhuc Imperio staret & vigeret; & non Ocreæ vel Interocreæ, sed Ocriculi ruinas illas esse apertè demonstrant statuarum antiquæ inscriptiones duæ, patris atq; filiæ, propter thermas privato sumtu ibidem extructas ac Reip. donatas, publicè locatarum; quas hic subijcere visum est;

Tituli sunt isti.

L. Iulio L. F. Pal.	Iuliæ Luciliæ
Iuliano.	L. Iulij Iuliani Fil.
IIII. Vir. Aed.	Patroni Municipi
IIII. Vir. I. D.	Cuius Pater.
IIII. Vir. Quinq;.	Thermas ocriculanis A Solo Extructas
Quinq. II. Dest.	Sua pecunia donavit;
Patrono	Dec. Aug. Plebs
Municipi.	L. D. D. D.
Plebs ob merita	
L. D. D. D.	

Borchette ad dextram reliquimus.

Hinc *Tiberis*, vulgò *Tevere*, in duos ramos divisus, bis traijciendus, unâ vice supra pontem ex navibus compactum, al-

terâ per lapideum, quem Clemens VIII. Pont. Max. tum temporis extrui curabat.

Tiberis fluvius. Est autem *Tiberis*, qui & Thybris, celeberrimus Italiæ fluvius, è mediâ ferè longitudine Apennini, per Aretinorum fines defluens, qui multis deinde fluminibus auctus, ab Hetruriâ *Latium*, *Ianiculumq;* ipsum ab Urbe Roma dirimit, tandemq; XV. ab Urbe lapide, duobus ostijs, modico intervallo diremtis in Mare evolvitur, eâ in parte, quâ Ancus Martius Ostium extruxit. Livius à Tiberino Albanorum Rege dictum existimat, in trajectu eius submerso, cum anteà Albula diceretur; in qua sententia Ovidius quoq; fuit 2. Fastor. Servius, Tiberis nomen ipsâ etiam Albâ vetustius esse contendit: ideoq; nominis eius originem ad Thybrim potius Hetruscorum Regem referendam existimat, qui Latium crebris latrocinijs infestans, tandem circa hunc fluvium est occisus; quod & Virgilius asserit Æneid. 8. Alij non tàm à Regis huius nomine, quàm ab injurijs & contumelijs, quibus in obvium quemq; circa hunc fluvium grassabatur, appellationem hanc tractam existimant, unde Thybrim scribendum contendunt, quasi τὴν ὕβριν.

Hic *sylvam quercinam* transivimus, *Stappia* villam transivimus, & montem *Oresto*, ubi Pontifex quidam pœnitentiam egit, ad sinistram reliquimus.

Prandij. 482. *Arinianum* vulgò *Arignano*, vel *Ariano*, oppidulum ad Soractis montis radices. Hic incipiunt rudera viæ Flaminiæ. 28.

Inde per pontem Milvium vel Mulvium, vulgò *Ponte Molle*, progressi, in suburbijs, ubi pauca viatoribus & non valde commoda diversoria nunc temporis supersunt, noctem transegimus sequentem.

Octobr: 1. Prandij. & Cœnæ. 483. ROMA, Domina ac Regina Urbium, totiusq; propemodum Orbis olim caput, quem fortissimorum virorum rebus præstantissimè gestis, suo imperio subegerat. De primis eius conditoribus, tàm multæ & variæ sententiæ, quàm diversi scriptores inveniuntur. Sunt qui existimant, Evandrum ex Arcadia fugientem, 22.

gientem, ea occupasse loca, ubi nunc Roma conspicitur, ibidemq; oppidulum invenisse aliquod, Valentiniana sive Valentia dictum, quod ab ipso amplificatum, Romæ nomen deinde sit consecutum. Alij tradunt, Remum & Romulum Æneæ filios, Urbis huius conditores fuisse, quos tamen alij Æneæ nepotes ex filiâ dicunt. Verùm Dionysius Halicarnassæus ante Troianorum & Æneæ in Italiam adventum, Romam extitisse ex antiquo scriptore Antiocho Syracusano docens, hæc eius verba recenset. lib. 1. Antiq. Romanar. Postquam *Italus* consenuit, *Morges* regnavit. Hoc autem regnante, Vir quidam nomine Siculus, Româ profugus ad eum venit. Hâc oratione satis indicavit, Romam aliam excidio Troiano superiorem extitisse. Communior ferè omnium sententia est, Romam à Romulo dici; Quippe cùm is Romam viribus & robore juvenum affatim à se munitam cerneret, haud minoris momenti fore ratus, si eandem consilij ope fulcisset, ex venerandæ senectutis civibus, qui tunc aderant, centum elegerit, quos ob honorem, Patres, ob ætatem Senatores appellavit, portas designaverit, tribus diviserit, præsidiarios convocaverit, Tribunos scelerum creârit, & novam deniq; Reip. formam instituerit; ita ut Romulus inclytæ huius Urbis, augustissimum felicissimumq; principium collocasse videatur; Quæ temporum deinde successu, tot Senatores eximios, tot clarissimos fortissimosq; Duces, tot egregios Imperatores, universi propemodum Orbis domitores tulit, ut jure, Mundi caput, & à Cicerone in Oratione pro Syllâ, Arx Regum & Nationum exterarum, lumen gentium & Imperij Domicilium, sit appellata. Eius ambitum Plinius ex traditione Augusti scribit milia passus viginti. Flavius Vopiscus Aurelianum Imperatorem, ambitum Urbis ad triginta milia passuum auxisse refert. Tota deinde eius area ad tantam amplitudinem devenit, ut in circuitu collegisse dicatur, viginti millia passuum, quæ quinq; ferè miliaria Germanica efficiunt.

Visu & notatu digna hic sunt:

I. *Situs Urbis* in Latio propè Tiberim seu Thybrim amnem.

II. *Ambitus*, qui, si Urbem ad nostræ ætatis consuetudinem metiri voluerimus, vix passuũ milia quatuordecim implebit.

III. *Portæ* quæ ad præsens extant hæ sunt;

Ab occidente.

1. *Flaminia*, hodiè Popularis vel Porta populi.
2. *Collatina*, hodiè Pinciana.
3. *Quirinalis* vel collina, hodiè Agonia, item Salaria.

Ab ortu solis æstivo.

1. *Viminalis*, Figulensis etiam, tum & Nomentana olim, hodiè S. Agnetis, vel Pia Ostiensis vel Trigemina S. Pauli.
2. *Esquilina*, hodiè S. Laurentij.
3. *Tiburtina*, & Taurina olim, hodiè D. Laurentij, nunc clausa.
4. *Nævia*, hodiè Porta major.

Ab hyberno Solis ortu;

1. *Cœlimontana*, hodiè S. Ioannis;
2. *Gabiusa*, hodiè S. Methodij;
3. *Ferentina*, hodiè Latina.

Ad Meridiem.

1. *Capena*, vel Appia, hodiè S. Sebastiani;

Ad occasum vernum.

1. *Portuensis*, hodiè Ripensis, vel Porta ripæ;
2. *Aurelia*, hodiè S. Pancratij;

Ad Septentrionem.

1. *Fontinalis*, hodiè Septimiana.
2. *Vaticana*, in ripa Tiberis;

Suburbanæ atq; recentes Sex;

1. *Turrionis*;

2. *Por-*

2. *Porta Iulia*;
3. *Porta Subjecta*;
4. *Porta Castelli*;
5. *S. Petri*;
6. *S. Spiritus*, olim Triumphalis, quam nullus Rusticus intrare poterat.

IV. *Vias* olim habuit XXXIX. quarum hodiè vestigia non obscura.

1.	Appia;	2.	Latina;	3.	Labicana;
4.	Campana;	5.	Prænestina;	6.	Cimina;
7.	Valeria;	8.	Ostiensis;	9.	Flaminia;
10.	Cassia;	11.	Laurentina;	12.	Ardentina;
13.	Tyburtina;	14.	Collatina;	15.	Gallicana;
16.	Tyberina;	17.	Nomentana;	18.	Salaria;
19.	Setina;	20.	Quinctia;	21.	Æmilia;
22.	Portuensis;	23.	Prætoriana;	24.	Triumphalis;
25.	Cornelia;	26.	Claudia;	27.	Aurelia;
28.	Laticulensis;				

Erant & in Urbe;

1. Alta semita in dorso Quirinalis;
2. Via lata, juxta septa Campi Martij;
3. Suburra, juxta radices Exquiliarum;
4. Via sacra, juxta arcum Constantini;
5. Via nova, ad thermas Antoninianas;
6. Triumphalis, prope Portam Vaticanam;
7. Vitellia, ad Ianiculum;
8. Recta, in campo Martio;
9. Fornicata, juxta Flaminiam;

V. *Turres* in murorũ ambitu circiter CCCIX. olim DCCXI.

VI. *Pontes* lapidei supra Tiberim *Sex*;

1. Mulvius, vulgò *Ponte Molle*, extra Urbem & portam Flaminiam ad duo milliaria;
2. Ælius, nunc S. Angeli vel Castelli;

3. Fabricius, nunc quatuor Capitum;
4. Ianiculensis, qui hoc tempore Pons Sixti est;
5. Cæstius, nunc S. Bartholomæi;
6. Senatorius vel Palatinus, nunc S. Mariæ Ægyptiacæ;

Sublicius & Triumphalis hodiè non extant; utriusq; pilæ aquâ tenui apparent; huius ad S. Spiritum, illius ad radices Aventini;

VII. Colles hodiè mœnibus inclusi;

1. Capitolinus vel Tarpeius, qui tempore Regis Tarquinij, ultra LX. delubra, ædes sacras, & sacella, cum altissimis turribus habuit & muris cinctus, domicilium Deorum dictus fuit;
2. Palatinus, subterraneis meatibus ferè totus pensilis, hortis occupatus, & ruinis deformis, in quo sedes Regia fuit, & magnificæ ædes Augusti Imp. Ciceronis, Hortensij & Catilinæ;
3. Aventinus, hodiè S. Sabinæ, prima Pontificum sedes;
4. Cælius, ubi hodiè templum Lateranense, & S. Crucis in Hierusalem; habuit præclara templa multa Ethnicorum, & Aquæductus insignes;
5. Esquilinus, ubi hodiè S. Petrus ad vincula, clarus domibus Virgilij & Propertij, Item hortis Mecœnatis;
6. Viminalis, ubi hodiè S. Prudentiana & Laurentius in panisperna, in eo Crassi domus fuit;
7. Quirinalis, hodiè *Monte Caballo*, clarus domibus Salustij, Catuli, Aquilij, foro & hortis Salustij;

Hi Septem olim Colles Romani unde Septemgemina Urbs dicta.

Accesserunt;

8. Hortulorum, vel Pincius, hodiè S. Trinitatis, in quo templum Solis eo loci fuit, ubi illa rotunda moles cum puteo profundissimo.
9. Vaticanus, ubi hodiè S. Petri Basilica & Palatiũ Pontificis;
10. Ianiculum, ubi hodiè templa S. Onufrij & Petri montis aurei, ab arenis, vulgò *de montorio*; Testa-

11. Testaceus ad portam Ostiensem.

VIII. *Templa Divorum* supra CCC. quorum Septem Religionis causâ maximè frequentantur;

1. S. Petrus in Vaticano, sumtu, magnificentiâ, marmoribus & opere superans omnia Orbis Christiani templa; In templi areâ, quæ *Paradisus* nominatur, *ingens nux* est *pinea*, alta quinq; ulnarum, quæ posita fuit supra sepulchrum Hadriani Imp. Ex opposito est historia piscationis Petri opere muscario accuratissimè elaborata; à latere tumulus Othonis II. Imp. ex porphyridi lapide: Et duo *arei pavones*, translati è mole seu Pyramide Scipionis Africani, quæ olim in valle Vaticanâ fuisse dicitur.

Sub summo altari requiescit *dimidium corpus S. Petri, & S. Pauli*; à latere dextro est egregium monumentum ex vario marmore, duabus statuis adpositis, quarum altera *senectutem* denotat, *per anum rugosam* & deformem ibi exsculptam, altera *juventutem*, per *simulachrum virginis nuda*, designat, quod membris & compagibus corporis tam artificiose elaboratum est, ut aliquos Italos adeo ad amorem attraxerit, ne loco se dimovere potuerint, nunc verò ære ductili membra quædam subducta sunt, ut cupidinem illam facilè avertere possint.

Inscriptio verò huius monumenti hæc est: PAULO III. FARNESIO Pont. Opt. Max. Ex altero latere cernitur columna, quæ cancellis ferreis munita est, ad quam *Christus*, cum Iudæis prædicaret, & Dæmoniacos sanaret, se fulcire solitus est, multisq; miraculis claret.

In sacello à Gregorio *XIII.* pereleganter exædificato, servantur Corpora Gregorij Magni, & Gregorij Nazianzeni. Sub altari quodam, ubi S. Andreæ statua est, conservatur caput ipsius Sancti Apostoli, quod à Principe Æthiopiæ Pio *II.* Pont. Romam usq; adportatum est. In tabernaculo quod ad manum dextram portæ Maioris est, reservatur *sudarium S. Veronica, & spiculum lancea*, quo latus Redemptoris nostri transfixerunt: dono datum Innocentio *VIII.* à Turcar. Imperatore.

In sa-

In sacristia Pontificis videntur splendidissima *pallia* sacra, vel *casiola*, quæ auro, argento, margaritis & aliis gemmis pretiosis stupendum in modum exornatæ sunt, & inter alias Henrici cuiusdam, *Angliæ Regis* palmam obtinet, *quæ unionibus pellucidis* adeo onusta est, ut *induentem gravet*, ne ultra quadrantem horæ vix sustineri possit; aliquæ etiam serico ingeniositer textæ & pictæ sunt:

In alio Conclavi nobis monstrarunt infulam vel *Coronam Pontificalem*, *statuas* itidem duodecim *Apostolorum*, argento fusas, *candelabra argentea* permulta, *mitras Episcopales* aliquot, crucem, calicem, patinam, candelabra, & alia ad Missam pertinentia, ex Crystallo egregiè elaborata, Calices argenteos deauratos aliquot, inter quos unus, qui in electione Pontificis supra mensam imponitur, quæ ante aram sacelli collocatur, in quem singuli Cardinales sua suffragia in Chartā scribunt, postea sic complicant & obsignant, ut ipsorum nomina tantum, qui eliguntur, extent, & calici immittunt: Chirothecas sericas, tibialia, calceos cruce signatos; & qui Pontificem pro Vicario Ecclesiæ Universalis habent & agnoscunt, illi procumbentes crucem illam magna cum devotione & observatione exosculantur, pallium quod Pontificibus defunctis induunt, crucem ex unionib. compositam, cui P P. Quadragesimali tempore sacrificat LX. aureos, & quilibet ex Cardinalibus unum adjicit. Reservantur deniq; in aurea cistula reliquiæ *spongiæ*, qua Christo acetum & fel porrectum fuit, ostenderunt etiam nobis *indusium* cuiusdam *Martyris*, qui ante multos annos crematus fuit, & *igne non consumptum* fuit, maculæq; vel guttæ sanguinis multæ apparent: item reliquias de ligno Christi: balsamum, quo aspergitur rosa, quam pontifex consecrat, & alicui ex Magnatibus offerre solet; *caput* cuiusdam *cremati*, quod *cute adhuc subducebatur*; librum Euangeliorum in membranam elegantissimè scriptum, cum historijs Euangelicis magno cum artificio & labore depictis; crucem antiquissimam, in qua universa historia Passionis Christi, exsculpta fuit, quæ cum in ignem dejecta fuisset, ignis ilico extinctus

tinctus fuit, Panniculum à Ducissa Urbinatium, ipsius manu pereleganter elaboratum, quo calicem tegunt; annulum Pontificalem, lapidem Lasuris, pectoralia lapillis pretiosissimis ornata; *navim ex crystallo, & sacrarium crystallinum, calicem ex auro puro* qui *XIV.* libras ponderat; *Crucem*, in qua *spina ex corona Salvatoris nostri*, quæ sanguine conspurcata fuit.

Ex sacristia magnificentissimi Palatij Vaticani, atria & conclavia intravimus, ubi nobis in tablino, vulgò *La Sala Regia* dicta, monstrarunt varias historias & res gestas quorundam Pontificum, artificiosissimè depictas, præsertim *Friderici Barbarossæ Imperatoris*, qui cum Venetijs ad Pontificis pedes se proclinasset, Pontifex non contentus Imperatoris modestia, quod factus esset supplex, insignes insuper contumelias addidit; super aspidem & Basiliscum ambulabis, cui Imperator, indignitate rei motus, respondit; Non tibi sed Petro; Pontifex verò rursum reclamavit; Et mihi & Petro: tandem absolutionem impetravit, quo exemplo miram ambitionem Ecclesiasticorum demonstrare quis potest.

Vidimus quoq; in hoc tablino, in marmore natura ductrice & ludenti, effigiem & habitum cuiusdam Pontificis, quomodo Sancta cruce benedicat.

Conclave Cardinalium, in quo cum PP. eligere volunt, Senatum habent, fenestris tantæ altitudinis, ut attingi non possint, in hoc quoq; conclavi PP. Cardinalibus in hebdomada ante festum Paschatis pedes lavare solet. In superiori ambulacro videntur Regionum quarundam & insularum delineationes, accuratissimè depictæ, in altero quod fornicatum & maximis sumptibus exædificatum est, cernuntur variæ & exquisitæ Provinciarum Italiæ ad Patrimoniũ Petri pertinentes deumbrationes, adjecto ipsarũ climate, quæ annotare & describere mihi dignum visum est. *Ferrariensis Meridianus* in grad. long. XX XIII. & in XXXX. est ad parallelum in gradu latitud. XXXXIV. & m. XXX ut XC. ad LXIV. XVI. *Bononiensis parallelus* in grad; latitud; XXXXIV. & m. XVI. eam habet rationem ad

N Meridia-

Meridianum in gradu long. XXXIII. & m. XXX. quam XC. ad LXIIII. & XXXII.

Pisauri parallelus, medius in latitud: gr. X–XXXIV. m. XXXIV. est ad meridianum medium in longitudine grad. XXXV. m. XXV. ut XXXXIII. ad LX.

In agro Anconitano meridianum *à Piceni Meridiano* (ut ab Hydrographis ponitur) paululum declinatur, periti viri observatione animadverti, qui quidem cum sit in longitudine graduum *XXXVI.* m. *XXXX.* in ea est ratione ad parallelum suum, in qua *XXXX.* est ad *XXXXIII.* & *LVII.*

Avenionis Meridianus in grad. long. *XXIII.* m. o. eam habet rationem ad parallelum in grad. latitud. *XLIII.* m. *LII.* quam *XC.* ad *LXIV. XLI.*

Campania, hodiè terra *di Lavoro*, à Laboriis optima agri parte dici constat, eius metropolis est *Neapolis* Urbs vetustissima, dynastarum Regulorumq; & Ducum & Principum frequentia celeberrima: *Neapolitanus parallelus* in latitud. grad. *LXI*, eam habet rationem ad meridianum longitudinis grad. *XXXVIII.* m. *XXX.* q. *XLV. XVII.* ad *LX.*

Romanus parallelus in grad. latitud. *XLI.* m. *LVI.* est ad meridianum in grad. longitud. *XXXVI.* m. *XXX.* ut *LXVI.* & *LIII.* ad *XC.*

Vmbriæ parallelus medius in grad. latitud. *XLII.* m. *LVIII.* est ad meridianum medium in grad. longitud. *XXXV.* m. *L.* ut *LXV.* ad *XC.*

Hinc in musæum Pontificis nos introduxerunt, ubi egregios libros, holoserico compactos vel ligatos, & umbilicis argenteis deauratis ornatos, vidimus; totam quoq; *historiam Passionis* servatoris nostri in membranam, quæ spatium paginæ in octavo instar, continebat, accuratissimè nobis descriptam monstrabant; cæteros verò libros evoluere nobis non licuit.

Ex musæo deduxerunt nos per aliquot conclavia Regio more decorata, in *Gazophilazium* vel *Guardarobbam Pontificis* appellant; quo in loco præter vestimenta Pontificalia, vidimus

Cardi-

Cardinalium pileos, quibus à Pontifice inaugurantur, marſupia quibus olim utebantur Pontifices, ut eleemoſinâ & res ſecretas immittere poſſent; *cornua Rhinocerotis*, & pocula ab iisdẽ facta, quæ contra venenum præſtare dicunt; *Unicornu*; varia pocula & patinas argenteas; *Ova ſtruthiocameli*, quibus paſſio Chriſti & aliæ ſacræ hiſtoriæ inſculptæ fuère; *altare ex pennis pavonum* tam exquiſitè confectum, ut imagines eius pictas eſſe, multi autument: Solent hìc quoq; advenientibus, & perluſtrantibus hæc: AGNOS DEI, uti appellant, communicare, quæ res ex cera Punica vel alba conficitur, imagine agnus Dei vel cruce impreſſa, & nemini, ut attingat ſacrum illud, licitum eſt: aut prò hæretico haberetur; ſed in thecam argenteam vel ligneam quandam ponunt, vitroq; perlucido tegunt, & ſedulò cuſtodiunt, ne detrimentum quoddam patiatur, cum contra omnes Diabolicas tentationes & fulgura, præſentaneum iuvamentum & antidotum ſit, colloq; appendunt, aut propè lectum, in cubiculis, clavo affigunt.

Hortum deniq; vel *viridarium* ſummi *Pontificis*, vulgò *Il Belvedere* nominatum, perluſtravimus, in quo ſeſe antiquitatis Studioſi oblectare, & animum ac oculos paſcere poſſunt, nulli enim negatur aditus: *In illo hæ ſtatuæ principaliter viſuntur*:

1. *Laocon* ille Troianus ex uno Pario ſaxo, cum duobus filijs adoleſcentibus duorum Draconum nexibus intricatus, in qua ſtatua ad ungnem elaboranda, tres ſimul artifices ſummi, Agaſander, Polydorus, & Athenodorus, Rhodij communi conſilio operam ac ingenium impenderunt.

2. *Tiberis* fluvij ſimulacrum, cum Lupa lactante geminas, Romulum ac Remum, è marmore excellentis artificis opus.

3. *Nilus* ingens ſphyngi innixus, per cuius corpus ſedecim cucubiti pueri luſitantes, eius fluminis incrementa notant; quorum decimus ſextus humero ipſius inſidens, calathum fructibus & floribus plenum capiti imponit: atq; indicat XVI. cubiti juſtum Nili incrementum Ægypto fructuum omnium ſummas adferre delicias, non ſecus ac *XV.* ſecuritatem & *XIV.* hilarita-

tem; reliquos inferiores, nempe si supra *XIII.* cubitum non excrescat Nilus, famem ac penuriam Ægypto portendere, in huius etiam basi frutices, herbæ, plantæ, Nillo peculiares ad vivum exsculptæ visuntur, ut Colocasia, calamus, papyrus, aliæq;, quibus Ægyptus propter Nilum est nobilis, quemadmodum & raris animalibus in eadem basi non minus eleganter imitatis, inter quæ sunt hyppopotami, ichneumones, trochili, ibides, scinci, crocodili, tentyritæ.

4. *Apollinis* simulacrum marmoreum, excellentis Græci alicuius manu elaboratum.

5. *Milonis* statua, alijs Antinous.

6. *Nymphæ* cuiusdam dormientis simulacrum è marmore mira arte factum, quidam propter aductum serpentem, Cleopatræ imaginem esse opinantur:

7. Tria signa marmorea Dear. incognitar &c.

8. *Vestæ* Deæ, & *Iuliæ* C. Petronij uxoris, statuæ marmoreæ.

9. *Cybeles turritæ* imago è marmore, cuiusmodi ab antiquis fingebatur.

10. *Fortunæ* imago cum cornu Copiæ.

11. *Pudicitiæ* & *Floræ* Deæ simulacrum è marmore,

Galleria, ubi Helvetii ludum exercent, quem Galli *paislemaille* vocant, maximæ longitudinis est.

In Conclave Cardinalium, quod in Vaticano est, *XXIX.* Octobris intromissi sumus, ubi *Clemens, VIII.* PP. ex familia Aldobrandina, universo consessu Cardinalium, *Audientiam*, uti vocant, *dabat*, quod sanè jucundum visu fuit, in tam magnifico Cardinalium numero, Pontificem præsentem loqui & benedictionem sacrosanctæ crucis cuilibet, exosculatis prius pedibus, præbere:

Sacellum sive *Capella Pontificis*, quam aliàs *Xysti* appellant, divini Iudicij die, quem Michaël Angelus Bonarotta mirificè penicillo repræsentavit, exornata est, in qua PP. præsentibus Cardinalibus sacra peragere vidimus, Musicâ instrumentali & vocali perquam jucunda & suavisonâ addita;

S. Pan-

2. *S. Paulus* in viâ Ostiensi, Amplum & pulchrum templum, à Constantino Magno ædificatum, longum passus CXX. latum LXXXV. Fulcitur columnis marmoreis striatis XL. alijsq; totidem rotundis & paulò minoribus; Pavimentum marmoreum, multæq; hic antiquæ Rom. inscriptiones.

Monstrabatur nobis quoq; *columna* egregiè elaborata *ex templo Salomonis*, Item *Crux quæ cum S. Brigitta* Suetiæ Regina *locuta est*; *Velum Mariæ Virginis*; *Catena S. Pauli*, & lapis magni ponderis, qui S. S. martyrum pedibus appendebatur, dum equuleo torquebantur: In alio sacello requiescunt corpora Zenonis Tribuni & sociorum militum, decem millium ducentor. trium. In alia propinqua ædicula, quæ à tribus fontib. nomen sibi vendicat, inter alias sanctor. reliquias videtur *columna ad quam S. Paulus* dum securi feriretur, *est alligatus*, ex cuius cervicibus primum lac, deinde sanguinem effluxisse SS. Ambrosius & Ioannes Chrysostomus memoriæ prodidere; ibidem eiusdem abscissum caput, ut vetustissima constantiq; famâ traditur, tribus se saltibus extulit, è solo autem simul atq; à pretioso capite factum est, ut ad singulos saltus, singuli quos vides, fontes eripuêre, nunc à Cardinale Aldobrandino impensis maximis, sacello includuntur.

3. *S. Maria Maior in Esqnilino colle*; Templum augustum, longitudine pedum CCCXLI. latitudine CXII. Pavimentum opere tessellato, atq; emblemate vermiculato, laquearia item inaurata; in quo magnificentissima capella Sixti V. in qua ipsius & Pij V. corpora requiescunt. Platinæ quoq. Epitaphium legimus.

4. *S. Sebastianus* & *Fabianus* extra Capenam portam, templum oblongum in Viâ Appiâ, simplicis structuræ, pavimento marmoreo, & adjecto Monasterio sed deserto: *Sacellum* hic est *subterraneum* XII. gradibus: & Crypta ac Cœmiterium B. Calixti Papæ & Martyris: & reliquiæ multorum Martyrum atq; summorum Pontificum corpora ibi quiescunt.

5. *S. Ioannes in Laterano*; Pontificum olim Romanorum sedes in Monte Cælio; cui nostrâ tempestate Sixtus V. Pont. Max.

Palatium instauratum à fundamentis adiecit, in quo Lateranensi, sæpè Synodus Romæ habita fuerat; ut in hac Basilicâ eleganti, coronam auream accipere Rom. Impp. solebant; utq; pavimentum marmoreum, sic & laquearia inaurata conspiciuntur. Divorum hic reliquiæ multæ; *Capita* principum Apostolorum *Petri* & *Pauli*, in cancellis ferreis *S. Stephani tunica*, sanguine tincta, & lapidibus perforata, aliaq; de quibus ibidem ad aram summam diploma legitur Sixti IV. Pont. Max.

In hoc templo Clemens VIII. altare quoddam exstruit, in quo quatuor æneæ deauratæ columnæ, Hierosolymis allatæ, videntur. Ante portam auream vel Sanctam, quæ ineunte anno seculari, sacro, vulgò *Iubilæo*, aperiri à Pontificibus de more consuevit; justam *mensuram* longitudinis *Christi* & Divæ *Mariæ* vidimus, quæ omnes in longitudine excedit aut deficit: Non longè ab hinc est Capella, ubi *Arca fœderis, virga Aaronis & Moysis*, & mensa supra quam Christus ultimò cum discipulis cænasse dicitur, quæ omnia à Tito Hierosolyma Romam transportata sunt.

In Sacello Lavacri seu Baptisterii Constantini, membro ædi sacræ adiecto, ubi à B. Sylvestro Constantinus lavacro regenerationis tinctus fuit, additum Sacellum, mulieribus ideò clausum, quod Ioannis Baptistæ mortis causa mulier Herodias extiterit; Visitur hic *columna*, cui gallus gallinaceus insidens, terq; canens, Petro terabneganti Dominum, fuit pœnitentiæ nuncius. Hic Sylvestri II. Pont. Max. Epitaphium versibus scriptum legitur; & Antonii Card. Portugalensis; Item Laurentii Vallæ, ibidem olim Canonici, qui Anno Christi cIↃ. CCCC. LXV. Kal. Augusti, quinquagenarius obiit, cum hoc Elogio;

Laureus Valla jacet, Romanæ gloria linguæ;
Primus enim docuit, quâ decet arte loqui.

In propinquo est etiam Scala Sancta XXVIII. graduum ex marmore, quam in Pilati domo, Christus Iesus virgis cæsus, conscendit; quæ Religionis gratiâ, rependo & osculando, à piis quotidie frequentatur.

S. Crux

6. *S. Crux in Hierusalem*; Templum mundum & elegans in Cælio monte, ab Helena Constantini Magni Imp. matre ædificatum, columnis *XX.*

7. *S. Laurentius extra portam Esquilinam*; Ædes pulchra, marmoreis nixa columnis. Hæret huic Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini Crypta hic qualis ad S. Sebastianum, Martyrum ossa continens plurimorum, ex Cœmiterio Cyriacæ matronæ; & reliquiæ hic B. Laurentii; Et S. Stephani prothomartyris reconduntur; ad sinistram altaris in muro lapis cernitur, quem crateri S. Laurentii subiacuisse dicunt, & sanguinis crassi pinguedinisq; indicia adhuc apparent.

Sex templa portas habent æneas (quanquam & apud S. Ioannem Lateranensem etiam aliquot, sed paucæ) sunt autem;

1. *S. Petrus in Vaticano*;

2. *S. Maria rotunda* πάντων θεῶν, *vetustum Vrbis templum*, & hodiè *ferè integrum*, olim Omnibus Diis sacrum, nunc B. Virgini & omnib. sanctis dicatum, forma circulari, sine columnis, contignatione, fenestris, in medio tecti amplo foramine lucem præbente, intrinsecus vario marmore exornatum est, capellis magnificentissimè elaboratis, in quibus erant collocatæ statuæ Deor. Ante templum est porticus, à Mario Vipsanio Agrippa condita, & trecerim maximis columnis exornata, item sepultura quædam ex Porphyrite lapide.

3. *S. Adrianus*, olim Saturni.

4. *SS. Cosmus & Damianus*, olim Castoris, & Pollucis;

5. *S. Agnes*; Et

6. *S. Paulus in via Ostiensi*;

IX. Cryptæ subterraneæ, quæ latebræ & sepulchra Christianorum fuerunt, plenæ venerationis & visu admirabiles, quarum etiam D. Hieronymus meminit, sunt quatuor.

1. *S. Agnetis*, extra Viminalem portam, est templum rotundam columnis egregiis decoratum; quod olim Bacho dicatum. cuius quoq; ibi de monumentum ex porphyrite lapide cernitur,

quod

quod rudius propter marmoris duritiem, vel artificis negligentiam vel sæculi sanè barbariem, tum in fronte & à tergo, tum dextro ac sinistro latere, totidem ac ijsdem figuris insculptū est.

2. *S. Pancratij*, extra Aureliam }
3. *S. Sebastiani*, extra Capenam } portam.
4. *S. Priscillæ*, extra Flaminiam }

X. *Hospitalia*, in quæ infirmi recipiuntur, & magna diligentia curantur *tantâ magnificentiâ, ut inter recentia Vrbis monumenta, nihil ferè prædicatione dignius.*

Sunt autem multa, primum omnium Nationum & mortalium;

1. S. *Spiritus*, in Vaticano;
2. S. *Salvatoris*, in Cælio;
3. S. *Iacobi de Augustâ* in Valle Martiâ;
4. S. *Maria de Consolatione*, in Velaleo; Et
5. S. *Antonij*, in Esquilino; antè fores huius Cœnobii sub columna est crux erecta, in altera parte Christi effigies, in altera Beatæ Virginis, hac inscriptione subaddita:

AD MEMORIAM Absolutionis Henrici IV. Franc. & Navarræ Reg. Christianissimi: Q. F. Ad XV. KAL. Octob. cIↃ. IↃ. XCV.

D. O. M.

Clemente VIII. Pont. Max. F. Carolus Anisson Delphinus, Vicarius ord; S. Antonij de suo pos. V. Non Maij M. D. XC. VI.

Deinde propria singulorum populorum; ut,

1. S. *Maria* de Animâ, *Germanorum & Belgarum*, ubi monumenta Hadriani VI. PP. & Caroli Friderici Iuliæ, Cliviæ & Montium Ducis; Propè januam Georgii Sauromanni Præpositi Eccl. Vratisl. Epitaphium.
2. S. *Ludovici*, *Gallorum*;
3. S. *Iacobi*, *Hispanorum*;

4. S. Tho-

4. *S. Thomæ, Anglorum*;
5. *S. Petri, Vngarorum*;
6. *S. Brigidæ, Suecorum*;
7. *S. Ioannis* in Cælio;
8. *S. Andreæ* prope Argentinam, *Flandrorum*;
9. *S. Ioannis Baptistæ, Florentinorum*;
10. *S. Ioannis Baptistæ*, propè ripam Tiberis, *Genuensium*, à Mediadosto Cicadà conditum & dotatum.

Sunt & aliæ Ædes pupillorum multæ, quas recensere nihil attinet:

XI. *Cœmiteria sacra*, quæ partim olim fuêre, partim nunc sunt XXVII.

1. *S. Agnetis.*
2. *S. Balbinæ*, Viâ Ardentinâ;
3. *S. Calixti*, ad S. *Sebastianum*.
4. *Catacumbæ*;
5. *Commodillæ*, viâ Ostiensi;
6. *S. Damasi*;
7. *S. Felicis*;
8. Ad Clivum *Cucumeris*;
9. *S. Felicitatis.*
10. *Cyriaci*, Viâ Tiburtinâ;
11. *Iordanorum*;
12. *Domicilli*, Viâ Ardentinâ;
13. *Nicomedis*;
14. Ad duos *Lauros*;
15. *Peregrinorum*;
16. *S. Hermetis*;
17. *S. Pontiani*;
18. *Insalatarum*, via Portuensi;
19. *S. Priscillæ*, Viâ Salariâ;
20. *Vrsi Pileati*, ad S. Balbinam;
21. *SS. Nerei & Achillei*;
22. *Amproniani*;
23. *S. Pancratij.*
24. *Basillæ*;
25. *Prætextati* Viâ Appiâ;
26. *Calopodij* Viâ Aureliâ.
27. *Thrasonis.*

XII. *Bibliothecæ Pontificis tres*, in Vaticano Palatio; Una clausa, quæ est selectorum librorum, cui adjuncta etiam alia; Tertia, quæ vulgò omnibus diebus non festivis, per duas horas patet, Græcis, Latinisq; libris calamo, si quæ in Orbe terrarum, in membranis exaratis, instructissima, beneficio Nicolai V. Pont.

Max; Item nova Sixti V. Pont. Max; quarum inscriptiones, pi-ctura & carmina, singulari libro ab Angelo Rocho Episcopo, edita sunt.

4. *S. Maria* in ara cœli; videtur *Epitaphium* Michaelis Anthonij *Marchionis Salutiarum* ex Impp. Saxonum familia, qui à Francisco I. Galliæ Rege, in Italiam cum exercitu missus est, ut Romam à Carolo Borbonio Cæsaris Copiarum Præfecto, captam, ad Clementem VII. PP. in Hadriani mole obsessum, liberaret, ad hostes ab Urbe avertendos Neapolim profectus, in expugnatione Aversæ tormento bellico ictus, obijt, Anno Salutis 1528. ætat. suæ XL. Ante ianuam est Blondi sepultura.

5. S. *Maria de Populo.*

6. S. *Maria supra Minervam*; olim Minervæ Calcidiæ dicatum, ubi sepultura Pauli *IV.* P. P. ex Caraffior. familia, & Pauli Manutij Aldi F. Ad portam huius templi est quædam tabula lapidea, quæ altitudinem inundationis Tyberis denotat.

7. S. *Augustini*;

Fuerunt & aliæ apud S. Petrum in vinculis, & apud SS. Apostolos, ac Sabinam, quæ in direptione Urbis partim incendio absumptæ sunt, partim etiam prædæ fuerunt.

XIII. *Horti* summi *Pontificis amœnissimi*, quibus antiquitatis studiosi sese oblectare & animum atq; oculos pascere possunt; nulli enim negatur aditus (vide anteced: paginas;) Item aliorum multorum *ædes voluptuariæ ac vineæ* sed horum maximè insignium;

Illustrissimorum Cardinalium;

Bellay;	*Ferrariensis*;
Carpensis;	*Cæsij*;
Farnesij;	*Visei* trans Tiberim;
Soderinorum;	*Achyllis Bocchij*;
Boccatij;	*Monachorũ S. Petri ad vincula*;

XIV. *Palatia principalia* aut præcipua;

1. *Con-*

1. *Conservatorum* in Capitolio;
2. *Portiorum* in Regione Pineæ;
3. *DDorum* de Valle
4. *DDorum* Cæsarinorum;
5. *Salviati* trans Tiberim;
6. *Lateranense*, à Sixto *V.* ex fundamentis magnificentissimè extructum, indies magis ornatius redditur.
7. S. *Georgij* in Damaso;
8. *Cardinalis Carpensis*;
9. *D. de Rustici*;
10. *Columnensium* in Regione Trinij;
11. *Collotij*, in Campo Martio;
12. *Vrsinorum*, infra Capitolium;
13. *DDorum* de Maximis;
14. *Farnesianum* in Campo Floræ: Palatium Farnesiorum peramplum ac Regiæ structuræ est, in quo mensam marmoream maximi pretij & artificij vidimus, item pontis adumbrationem, quam Alexander Farnesius supra Schaldim propè Antverpiam fecit, monstrabant nobis picturas multarum Illustrium personarum, vasa ex *terra Porcellana*, quam ex Portugallia afferunt, contra venenum valdè præstantia, patinas itidem & urceolos; argentea vasa ad tabulam pertinentia, permulta, sacerdotalia egregia vestimenta, *gladium* in Germania factum, *sub quo totum Calendarium incisum* fuit, statuas marmoreas varias & multas, ex quibus aliquot adijcere libuit: *Signum Herculis* è marmore Glytonis Atheniensis, excellentis artificis manu elaboratum. *Gladiatoris signum marmoreum.* Commodi Imp. simulacrum è marmore habitu gladiatorio, quo delectabatur, *statua vestalis Deæ* è nigro marmore, caput verò pedes manusq; ex albo; *Hadriani Augusti* statua. *Bovis cuiusdam ferocientis* statua, artificiosissima & ingens, quem aliquot personæ fune ligarunt, eumq; cogere volunt, facta quondam à Taurisio & Apollonio, deinde advecta est Rhodo & primum condita in ædibus Asinij Pollionis.

Palatium quod vulgò *Montialti* nominant, ex quadrato ſaxo, à quodam Cardinali exædificatum, qui luſu tam multa lucratus eſt, ut illud exſtrui potuerit, Apoſtolicæq; dono dedit Cancellariæ, in quo hodiè adhuc Cancellarius habitare ſolet.

Palatium *Pontificis al Monte Cavallo* perelegans eſt & magnificum, inquo ſellam vidimus, quæ ab inſedenti circumagi poterat, quocunq; volebat, & podagricis præſertim valdè conveniens; ſcalæ cochlides pulcherrimæ erant, Horti variis aquarum per ſiphunculos ſaltationibus irrigui, in quibus *organum pneumaticum*, quod ductu aquarum regitur, & ſuaviſſimam harmoniam edit: hiſce in hortis PP. ſæpius oblectari ſolet: Ante Palatium eſt bina ſtatua Bucephali, Phidiæ & Praxitelis excellentium ſculptorum opus, hac inſcriptione:

1. Phidias Nobilis ſculptor ad Artificis præſtantiam Declarandam

Alexandri Bucephalum domantis effigiem è marmore expreſſit.

2. Praxiteles ſculptor Ad Phidiæ æmulationem ſui monumenta ingenij poſteris relinquere cupiens.

Eiusdem Alexandri Bucephaliq; ſigna felici contentione perfecit

3. Sixtus V. Pont. Max. ſigna Alexandri Magni Celebrisq; eius Bucephali ex Antiquitatis teſtimonio Phidiæ & Praxitelis, æmulatione hoc marmore ad vivam effigiem expreſſa à Fl. Conſtantino Max. è Græcia advecta ſuisq; in thermis in hoc Quirinali monte collocata temporis vi deformata laceraq; ad eiusdem Imp. memoriam urbisq; decorem in priſtinam formam reſtituta hic reponi juſſit Anno *M. D. LXXXIX.* Pont. *IIII.*

Ante ædes Alphonſi Caraffæ Cardinalis Neapolitani, eſt *Pasquillus*, *ſaucium detinens*, qui cum Marforio clandeſtinus internuncius eſt, nam minuta quæq;, quæ à Pontifice Romano & Cardinalibus, aliisq; Aulicis committuntur, licet remotis arbitris

bittis fiant, pleraq; tamen scriptis suis in lucem proferunt. Ita ut non absurdè quis dixerit, cum isthic hominibus libertas loquendi & reprehendendi vitia Potentiorum, ademta sit, lapideis statuis, cuncta quæ occultantur, veluti enuntiantibus, obturari os non posse.

15. *Cardinalis de Capite ferreo,* propè campum Floræ;
16. *Bufalorum,* in regione Campi Martij;
17. *Vrsinorum* in Campo Floræ & circo Flaminio;
18. S. *Marci,* in capite viæ latæ;

XV. *Regionum* in Urbe *nomina* hodie sunt XIV. olim XIX.

1.	Regio *Montium*;	2.	*Trivij*;
3.	*Columnæ*;	4.	*Campi Martij*;
5.	*Pontis*;	6.	*Parionis*;
7.	*Harenulæ*;	8.	*Eustathij*;
9.	*Pineæ*;	10.	S. *Angeli*;
11.	*Campitelli.*	12.	*Ripæ*;
13.	*TransTiberis.*	14.	*Burgi.*

XVI. *Aqua in Vrbe* Tiberis & Almo fluvij; de quibus Ovidius;

Est locus, in Tyberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.

Deinde reliquiæ fontium ex veteribus ductibus, quarum licet plurimæ fuerint, paucæ tamen solùm Urbem nunc ingrediuntur. *Aqua Virgo* per Campum Martium deducta, à Nicolao V. Pont. Max. & Alsietina per Vaticanum restituta, ab Innocentio *VIII.* & nuper Salonia à Pio *IV.* Gregorium *XIII.* etiam alias reduxisse inscriptiones testantur. Nuperrimè verò Sixtum *V.* Pont. Max. Via Tyburtinâ aquæductum restaurasse, & trino gurgite in Urbem induxisse, certum est, hac inscriptione addita: SIXTUS *V.* Pont. Max. Picenus aquam ex agro Columnæ via præneſt. sinistrorsum multarum collectione venarum ductu sinuoso à receptaculo Mil. *XX.* à capite *XXII.* adduxit, felicémq; de nomine antè Pont. dixit. Cœpit Pont. Anno *I.* absolvit *III. M. D. LXXXVII.*

XVII. *Campi* in Urbe multi, sed *nominatissimi* hodiè sunt;
1. *Vaticanus*. 2. *Agonius*; 3. *Fegulensis*; 4. *Iudaeorum*; Et. 5. *Florae*; à quodam scorto ædificatus Floræ nomine & populo Romano donatus.

XIIX. *Porticus novae* præcipuè tres sunt;
1. *Benedictionis*;
2. *In Vaticani Palatio* triplicis obambulationis apertæ;
3. Versus hortos, *Belvedere* vulgò, *il Curridorio* nunc, Gregoriana;

XIX. *Fora* sunt *varia*, quorum Piscarium & Olitorium dicuntur ijs adhuc esse locis, ubi fuêre antiquitus; Suarium & Boarium, ubi olim Romanum;

Pistorum unum propè S. Mariam rotundam; Alterum in vico Iudæorum; Tertium prope S. Laurentium in Damaso; Quartum ad Pontem Æliani, conjuncta ferè Laniena, & macella pistoribus;

Commune omnium mercium & rerum venalium, Forum in Campo Agonio.

XX. *Montes* rarissimi habitantur; nam aut hortis, aut vinetis occupati sunt, aut ædificiorum antiquorum immensis ruinis;

XXI. *Via multiplicis*, quas Sixt. *V.* Pont. Max. recto tramite per Urbem statuit sumtuosè.

XXII. *Sedes Pontificis* nunc est contigua Basilicæ S. Petri, in quâ multa præclara præsertim Sacella, propter picturas Michaëlis Angeli Bonaroti Florentini, & aliorum, unde etiam Artifices exempla sumant. *Ascensus* sunt *facillimi*, & ædibus Palatinis accommodati ex omni parte, adeò ut etiam equo ad tectum usq; eas.

Sunt & aliæ habitationes æstivæ, apud D. Marcum, S. Mariam Maiorem, S. Ioannem Lateranum, & SS. Apostolos, in regione Trivij.

XXIII. *Cardinalium Palatia*, per totam Urbem dispersa, & præcipua, quæ supra commemorata, singula turres singulas adjunctas habent.

Ædes

XXIV. *Ædes civium satis bellæ,* & partim vetustatis monumentis, marmoribus, picturis, partim hortis, fontibus, nymphæis exornatæ.

XXV. *Arx Pontificis,* quam molem Adriani sive Castellum S. Angeli appellant, triplici ratione munita, & omni apparatu bellico instructa. In ea tres dies festi quotannis magnâ celebritate peraguntur, funalibus passim accensis, jaciendis ignibus a. te factis, & emittendis tormentis bellicis; Vnus est S. Petri & Pauli; Reliqui duo, quibus illius temporis Pontifex suffragiis declaratus, & corona posteà ornatus est. Arcis custodia Viro spectatæ fidei commẽdatur, qui post exactam Septem annorum Præfecturam, aut Cardinalis titulo decoratur, aut aliquot millibus aureorum donatur.

XXVI. *Aquaductus veterum*; Cum receptaculis & castellis aquarum; utpote primum, *Aqua Claudia*, tanti sumtus, & operis, ut in illius instauratione DLX. talenta fuerint erogata;

Aquæ:
- *Martia*;
- *Mariana*;
- *Alexandrina*
- *Iuliæ*;
- *Augusta*;
- *Sabbatina*;
- *Anienis veteris*
- *Vulturna*;

Aquæ:
- *Appia*;
- *Traiana*;
- *Tepulæ*;
- *Alsietina*;
- *Mercurij*;
- *Virginis*;
- *Anienis novi*;
- *Sabina in Avẽtino*;

Thermæ:
- *Antoniniana*;
- *Deciana*;

Thermæ:
- *Diocletiana*;
- *Variana*;

Thermæ:
- *Traiana*;
- *Gordiana*;
- *Novatiana*;
- *Agrippina*;
- *Alexandrinæ*;
- *Aureliana*;
- *Hadriana*;
- *Commodi*;

Thermæ:
- *Traiani*;
- *Philippi Imp*;
- *Olympiadis*;
- *Neronici*;
- *Severi*; } *Impp.*
- *Constantini*; } *Impp.*
- *Domitiani*; } *Impp.*

Fontes

Fontes { *Fauni*; *Iuturnæ*; }
Putei { *Probus*; *Aqua Salientis*; }

Insulæ { *Tiberina*; *Licaonia*; }
Lacus { *Iuturnæ*; *Curtij*; }

XXVII. Fora apud veteres;

Forum { *Romanorum*; *Pistorum*; *Traiani*; *Nervæ*; *Cæsaris*; *Augusti*; *Latium*; *Holitorium*; *Boarium*; *Archimonij*; }

Forum { *Esquilinum*; *Rusticorum*; *Ænobarbi*; *Transitorium*; *Piscatorium*; *Suarium*; *Sallustij*; *Diocletiani*; *Gallorum*; *Cupidinis*; }

XXVIII. *Arcus Triumphales*;

Romuli; Constantini; Titi Vespasiani; Lucij Septimij Severi; Domitiani; Traiani; Fabiani; Cœlitis; Gordiani; Galieni; Tiberij; Theodosij; Camilli.

XXIX. *Amphitheatra*; Statilij Tauri; Claudij; Titi Vespasiani CL. mill. hominum capax, inter Cælium montem & Exquilias, vulgò Colosseum appellatum, à Neronis Colosso, quo in loco prius Neronis ipsius stagna fuisse Martialis sic testatur;

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri,
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Huius Amphitheatri ingentem magnitudinem & ambitum exstupefacti sumus, magnificentiamq; eius admirati; videtur ibi quadratum saxum, sola calce hærens, & tam firmiter calci inhæret, ac si columna fulciretur; Romanæq; mulieres vaticinari solent, saxum illud fæminam quandam prætereuntem opprimere debere (est enim communis via per Amphitheatrum) quæ forma excellenti & pulchritudine reliquas Romanas fæminas antecederet.

Thea-

XXX. *Theatra*; Scauri; Pompei; Marcelli; Balbi; Calliculæ.

XXXI. *Circi*; Maximus; Flaminius; Agonius; Neronis Foralium; Alexandri.

XXXII. *Porticus Veterum*;

Clivi Capitolini; Palatina; Metelli; Concordiæ; Constantini; Libertatis; Q. Catuli; Augusti; Fori Augusti; Antonini Pij; Traiani; Faustinæ; Liviæ; Claudiæ; Circi maximi; Amphitheatri; Neptuni; Octaviæ Sororis Augusti; Quirini; Corinthia; Mercurij; Severi; Pompeia; Panthei; Veneris Ericinæ Cn. Octavij; Iuliæ; & Tribunal Aurelium.

XXXIII. *Columnæ*: Rostrata; Antonini Pij; Traiani; Bellica; Cæsaris; Porticus concordiæ; Lactaria; Mœnia.

Ex quibus hodiè supersunt;

1. Rostrata, C. Duilij Consulis, devictis bello Punico Carthaginensibus, ob victoriam triumphum agentis; visitur in Capitolio.

Columnæ Cochlides
2. Traiani Imp. B. Petro à *Sixto* V. Pont. Max. dedicata; Et
3. M. Antonini Imperatoris, quam B. Paulo Sixtus V. Pont. Max. dedicavit.

4. Columna Miliaria, primi ab Urbe lapidis index, ab Impp. Vespasiano & Nervâ restituta, de ruinis Suburbanis Viæ Appiæ in Capitolium translata, ubi visitur.

XXXIV. *Obelisci*; Quorum Tib; Cæsaris

1. Nunc in area D. Petri in vaticano S. Cruci consecratus à Sixto V. Pont. Max. Anno Christi cIↃ. IↃ. LXXXVI. Pontificatus Anno II.

2. Augusti Cæsaris ex Ægypto advectus, è Via S. Rochi translatus ad S. Mariam Maiorem; anno insequenti Pontific. S. Cruce quoq, impositâ, consecratoq; Obelisco, qui sacras Ægyptiorum notas præfert.

3. Soli sacer, è Circo Maximo, ubi jacebat, ad S. Ioannem La-

teranum translatus, atq; erectus, S. Cruce itidem imposita; qui olim sedibus avulsus per Nilum missus Alexandriam est ab Augusto, ut Romam exornaret, quam lateritiam à se repertam, relinquere se marmoream gloriabatur. Literas seu notas habet Hieroglyphicas insculptas, Pontific. Anno III.

4. Soli quoq; ab Augusto in Circo Maximo dicatus, è ruinis erutus, Cruciq; à Sixto V. Pont. Max. dedicatus non Soli, Anno Pontif. III. Christi 1587. translatusq; incredibili sumtu, ad Portam Flaminiam ante templum B. Virginis Populi. Sunt & alij, sed his minores, in Urbe Obelisci.

Obelisci Romam ex Ægypto allati;

Plures olim Obeliscos Romæ, quam hodiè spectantur, fuisse, ex Antiquitatum Scriptoribus apparet: Multos quidem Plinius commemorat, qui Vespasiani temporibus floruit; plures Ammianus Marcellinus, qui Iuliani Imperatoris coætaneus fuit; sed plurimos P. Victor in Regionibus Urbis Romæ numerat, duos inquam & quadraginta minores: De his legendus Bartholomæus Marlianus, Andreas Fulvius, & alij: quiq; nostrâ memoriâ de Obeliscis scripserunt: Petrus Angelius Bargæus, Petrus Galesinius, & Hetruscâ linguâ Michael Mercatus. Duo Romam Obelisci *A*ugusto regnante devecti, cum primum ipse Ægyptum, devicto ad *A*ctium M. *A*ntonio, atq; interceptâ Cleopatrâ, in Senatus, Populiq; Romani jus, ditionemq; redegisset. Idem P. Victor VII. numerat Obeliscos, qui pòst in Urbem advecti sunt: Eorum duo in Circo Maximo: unus in Campo Martio: duo in Mausoleo *A*ugusti: unus in Insulâ Tiberinâ: & unus in Vaticano Caij & Neronis Principum erat.

Octavus in hortis Sallustianis fuit, qui ab Æde S. Susannæ Collis Quirinalis ad portam Collinam pertingebant, totamq; interiectam Vallem complectebantur: is, ut ferunt, Lunæ erat consecratus, Ægyptij q; notis, hodiè inscriptus spectatur.

Cæterum *navium inusitatæ magnitudinis*, quibus Romam ex Ægy-

ex Ægypto importati sint Obelisci, meminit duarum Plinius, unius Ammianus, quæ trecentis remigibus ageretur.

Nunc de ijs potissimum *Obeliscis*, qui Hieroglyphicis notati signis in Urbe spectantur, paucis dicendum; Nam qui in Vaticano ad ædem S. Petri, alterq; ad templum B. Virginis Maioris est, nullas notas præferunt.

1. Qui ad D. *Ioannis in Laterano* spectatur, imaginibus, litteratis inscriptus, primum à Fl. Constantino Imp. Christianæ fidei vindice, sedibus evulsus suis, ex Ægypto per Nilum Alexandriam delatus, inde Constantinopolim, quæ tum nova Roma dicta, ibidem collocatus est. Pòst Constantinus eius F. Romam navi inusitatæ magnitudinis (de qua iam ex Amminiano dictum, trecentorum remigum fuisse) impositam, per Mare Romam transtulit, & in Circo Maximo locavit; Sixtus vero V. Pont. Max. incredibili sumtu, operâ usus Dominici Fontanæ Architecti, humo effossam instauratamq; Cruci Dominicæ, qui antea Soli esset sacer, dedicavit, posuitq; augusto loco, ante ædem S. Ioannis Lateranam, quæ olim Pontificum sedes fuit, Anno Christi CIↃ. IↃ. XXCVIII. Pontificatus verò IV.

2. Alterum item Obeliscum *Viâ Flaminiâ*, ad ædem B. Mariæ Populi, ut nominant, ponendum curavit, Cruce impositâ, quem Augustus Cæsar devictâ Ægypto, inde advectum & Soli consecratum in Circo collocâ at.

3. *In hortis Magni Ducis* Etruriæ inscriptus Obeliscus, minor tamen visitur, quem Tarquinio Superbo regnante, in Campo Martio stetisse putant.

In hoc amœnissimo tantoq; artificio constructò horto, *maior pars Urbis videtur*: ibiq; hæc perlustravimus: *Palatium*, uti Regiæ ac stupendissimæ structuræ est, ita quoq; tapætis, picturis, statuis, signis, mensis ex vario marmore artificiosissimè sculptis, effigiebus Magnorum & Illustrium virorum, mirum in modum exornatum est. *Galleria* uti vocant, vel Xystus, statuis quoq; valdè adornatus cernitur, ex quibus has adijcere volui:

Niobes cum filia, Diana, Flora, Filij Niobes luctantes, Iupiter, Bacchus, Sybilla & libri Sybillini, Iuno, Pallas, Cymotheæ; *Cleopatra ex marmore*; M. Manlius Capitolij propugnator. Apollo cum Musis elegantissima statua. Per hortum varias aquarum frigidissimarum exsaltationes vidimus, viæ planæ sunt, lauris, pinis patulis consitæ, in altiori parte habet lucus amœnissimos, & *montem ex terra*, hominum artificio *congestum*, qui densis cypressis abundat, in summitate verò aqua exsilit.

4. Alter item minor, Capitolinus Obeliscus *in hortis Matthæorum Cœlimontanis*, quo donatus à S. P. Q. R. Cyriacus Matthæus è Capitolio transtulit, sed in eius summo apice paucas insculptas imagines videas; Reliqui enim omnibus lateribus inscripti sunt.

In his hortis nobis ex pario marmore statuæ excellentissimæ monstrabantur, variorum etiam *canum*, *cervorum*, *aprorum ad vivum deumbrationes*, inter arbusta jacentes, ita ut aliquem, si quis illos non statim animadvertat, terreant, & vivos esse putet. *Theatrum* ibi satis *elegans* ab ipso constructum, in quo Alexandri Magni caput, In æde æstiva videtur *Ciceronis caput*, & mensa marmorea, in quam, ex varijs marmoribus & Iaspidibus, aves, flores, & alia incisa sunt.

5. Exiguus quoq; Obeliscus apparet *juxta societatis Iesu Collegium*, è regione templi S. Maguti, quod quidam S. Bartholomæi esse dicunt.

6. Permagnum quoq; videre est, Ægyptiacis plenum notis, *in Viâ Appiâ*, supra S. Sebastiani ædem in Circo seu Hippodromo Antonini Caracallæ Imp. juxta monumentum Cæciliæ Metellæ, qui locus vulgò à boum capitibus, *Capo di boij*; sed humi confractus tribus partibus jacet; Et mirum, non esse Romam, eadem Pont. Max. liberalitate translatum, atq; erectum, nisi, ut fit, plura meditantem mors immatura abripuit:

XXXV. *Colossi*: Nerönis: *Apollinis*: Martis.

XXXVI. *Pyramides*: Caij Cestij: Scipionis ad molem Adriani.

Nauma-

XXXVII. *Naumachiæ*; Circi Maximi; Domitiani; Neronis; Cæsaris;

XXXIIX. *Septizonia*; Severi, Titij; Illud prius Sixtus V. Pont. Max. ædificans Romæ nuper sustulit.

XXXIX. *Equi*; Sciphius; Traiani; Cæsaris; Arion; Constantini; Antonini Pij in Capitolio; Phidiæ & Praxitelis in Quirinali; Domitiani; L. Veri.

XL. Sunt & alia veteris Urbis admiranda; *Statuæ propè innumerabiles*;

Palatiâ antiqua, Regum Impp. virorum Illust; Domus; Horti; Atria; Basilicæ; Rostra; Curiæ; Luci; Vici; Tabulæ publicæ; Tabernæ; Clivi; Campi; Carceres; Cellæ; Sepulcha; Aræ; Templa; Ædes sacræ; Delubra; Fana; Turres; Villæ; Septa; Sacraria; Scalæ; Puteal, ut Actij & Libonis; Prata; Pila; Macella; Officinæ; Bibliothecæ; ut Maiorum, Augusti, Vlpia; Marcelli & Pauli;

Armamentaria; Antra; Ærarium Populi Rom. Æquimelium; Asylum; Vivarium; Cloacæ, aliaq;, de quibus varij scripsêre.

P. Victor inter Urbis ornamenta, publicaq; ædificia numerat; Ædes *CCCXXIIII.* Curias *XXXV.* Fora *XL.* Campos *VIII. Capitolia duo*, quorum unum argento fuit tectum, habuitq; aureas præstantissimorum hominum statuas; *Theatra, & Amphitheatra VII.* Circos *IIII.* Obeliscos *VII.* Arcus marmoreos *XXXVI.* Portas *XXXVII.* Quorum omnium numerus statusq;, si cum seculo nostro conferatur, vix, quæ est rerum humanarum vicissitudo, in ipsa Româ, *Romam* invenies.

Romæ absq; licentia *gladios portare non licet.*

De officijs Pontificij Palatij;

Officia & Ministeria Pontificis multa sunt, & superat illius Aulæ Magnificentia omnes Christianorum Principum, & tanta eius est observantia, ut ne Cardinales quidem, qui dignitate Regibus comparantur, Urbe exeant, nisi petitâ & habitâ licentiâ;

centiâ: Horum in Urbe semper ad minus XL. si non L. sunt, interdum plus minusq; juxta Pont. Max. arbitrium & citationem; ArchiEpiscopi dein plurimi, & Episcoporum magnus numerus.

In familia Pontificis;

1.	*Auditores Rotæ, seu Pontificij Iudices*	*XII.*
2.	*Clerici Cameræ*	*VII.*
3.	*Thesaurarius*	*I.*
4.	*Auditor Cameræ*	*I.*
5.	*Regens Cancellariæ*	*I.*
6.	*Prothonotarij Apostolici*	*VII.*
7.	*Subdiaconi*	*VI.*
8.	*Acolyti*	*VIII.*
9.	*Secretarij Apostolici*	*VIII.*
10.	*Corrector Cancellariæ*	*I.*
11.	*Summista*	*I.*
12.	*De consuetis*	*I.*
13.	*Abbreviatores Maiores*	*XII.*
14.	*Abbreviatores Minores*	*VI.*
15.	*Custos Cancellariæ*	*I.*
16.	*Secretarius Schedularum*	*I.*
17.	*Ostiarius Cancellariæ*	*I.*
18.	*Scriptores Apostolici*	*CL.*
19.	*Cubicularij Apostolici*	*LX.*
20.	*Scutiferi, vel dapiferi Apostolici*	*CXL.*
21.	*Milites S. Petri*	*CCCC.*
22.	*Milites S. Pauli*	*CC.*
23.	*Scriptores Brevium*	*LXXXI.*
24.	*Procuratores Pœnitentiariæ*	*XXIV.*
25.	*Scriptores Pœnitentiariæ*	*XXVIII.*
26.	*Collectores plumbi*	*CIV.*
27.	*Correctores pœnitentiariæ*	*II.*
28.	*Sollicitatores de Ianizeris*	*C.*
29.	*Collectores Archivi*	*X.*

30. Scripto-

30.	*Scriptores Archivi*	*X.*
31.	*Magistri plumbi*	*III.*
32.	*Secretarij bullarum salariatarum*	*VIII.*
33.	*Registratores bullarum earundem.*	*IIII.*
34.	*Magistri registratarum bullarum*	*IIII.*
35.	*Auditores contradictarum*	*XIIII.*
36.	*Magistri supplicationum*	*IIII.*
37.	*Clerici registri supplicationum*	*VI.*
38.	*Notarij Cameræ Apostolicæ*	*IX.*
39.	*Scriptores registri supplicationum*	*XX.*
40.	*Notarij Auditoris Cameræ*	*X.*
41.	*Notarij Rotæ.*	*XLVIII.*
42.	*Notarij vicarij Papæ*	*IIII.*
43.	*Notarij Gubernatoris Civilis*	*II.*
44.	*Notarius Maleficiorum*	*I.*
45.	*Notarius Cancellariæ*	*I.*
46.	*Præsidentes Ripæ*	*CXLI.*
47.	*Portionarij*	*DCXII.*
48.	*Cursores*	*XIX.*
49.	*Servitores armorum*	*XXIV.*
50.	*Virga Rubea*	*XVI.*
51.	*Catena Sacri Palatij*	*LXII.*
52.	*Porta ferrea*	*XXVI.*
53.	*Equites levis armaturæ, communiter*	*C. vel CC.*
54.	*Bombardarii milites vel Sclopetarii*	*CCC.*
55.	*Helvetij custodiētes portas Palatij Pontificis & quotidianas excubias agentes CC. interdū etiam.*	*CCC.*

Porro Colophonis loco notandum hic etiam, quod *Romanum Imperium*, primo ſub Regibus Septem; Romulo, Numa *P*ompilio, Tollio Hoſtilio, *A*nco Martio, Tarquinio Priſco, Servio Tullio, Tarquinio Superbo, per annos 243. non amplius, quam usq; *P*ortum atq; Hoſtiam, intra 18. miliar. proceſſit, vel 15. tantum, quemadmodum annotavit Eutropius lib. 1. mihi pag. 10.

Sub Consulibus verò, inter quos interdum Dictatores vel Decemviri ac Tribuni militares fuerunt, per annos 447. usq; trans Padum Italia capta est; Africa, Hispaniaq; subactæ; Gallia & Britannia tributariæ sunt factæ; Illyrici, Histri, Liburni, Dalmatæ sunt domiti; Ad Achaiam transitum est; Macedones expugnati; cum Dardanis, Mœsis, & Thracibus est bellatum; Ad Danubium est perventum; ac in Asiâ pulso Antiocho, primò pedem posuerunt Romani; Mithridate victo, Regnum Ponti est captum, cum Armenia minore, quam idem tenuerat; In Mesopotamiam progressum est, & cum Parthis fœdus initum; contra Carduenos, Saracenos, ac Arabas pugnatum; Iudæa victa, Cilicia & Syria in potestatem redactæ; ac tandem in Ægyptum perventum.

Sub Imperatoribus ab Augusto, ad Theodosij Superioris, & Honorij atq; Arcadij, eius filiorum tempora, per annos 440. Cantabri, Astures, totaq; Hispania sub jugum missa est; Alpes maritimæ, Cocciæq; & Rhœtiæ, Noricum, Pannoniæ, & Mœsiæ Imperio accesserunt; Omnis ora Danubij in Provincias est redacta; Pontus omnis & Armenia maior, Mesopotamia, Assyria, Arabia, & Ægyptus in Imperij Romani jura concessêre; Atq; hoc modo his Principibus viris & Populi Romani virtute, ac immortali rerum gloriâ, hoc Augustissimum Imperium ad summum fastigium perductum est; Cuius limites fuêre ad occidentem Oceanus, à Septentrione Rhenus & Danubius, ab Oriente Tigris, à Meridie Atlas mons. Dionys. Gothofred. Historiæ Antiquæ lib. 2. 3. & 4.

5. 484. Viâ Latinâ Appiâ *Marinum* maximis in pluvijs equis profecti, inter nobilium villarum vastas ruinas, quæ quidem frequentes, & admodum sumtuosæ, quondam florente Rom. Imperio Tusculanum Agrum omnem, Apenniniq; colles & clivos illos occuparunt: Hinc *Marianam Villam* antiquam, (*Marino* Castello nomen dedisse volunt) transivimus. 12.

Hic Comites itineris sese nobis adjunxerunt, *Ludovicus Philippus Comes Palatinus Neoburgensis*, qui se Kageneckium appellabat,

pellabat, quæ familia in *Alsatiâ* est, ex quâ *Principis* Inspector oriundus erat: Et *dno Dalbergij*, *Archiepiscopi* Moguntinensis patrueles.

Cœnæ. 485. VELITRA, sive *Velitræ*, vulgò *Belitre*, Latij in Italiâ in Viâ Appiâ oppidum, natalibus & maioribus Augusti Imperatoris celebre, â Volscis quondam conditum; quibus victis Romani agrum Veliternum ademerunt, ut scribit Livius lib 6. & 8. Decad. 1. Inde Veliterni populi Velitratum incolæ dicti, quos commemorat Plin. Natur. hist. lib. 3. cap. 5. Ex hoc oppido gentem Octaviam fuisse testatur Suetonius in Augusto cap. 1. Eò Coloni missi sunt, ut inquit Livius lib 2. Decad. 1. Refert Dionysius Halicarnassæus, Romanar. Antiquit. lib. 7. Pestilentiam adeò Velitras esse depopulatam, ut ex decem partibus Veliternorum, vix una superfuerit. Fuit olim antiquitate & potentiâ clarum, uti ex Romanâ historiâ constat; Nunc antiquitatum pauca visuntur vestigia, quamis amplum & frequens sit oppidum & ædificijs excultum satis. Ager eius fructuum omnis generis nunc etiam ferax est, ut olim propter Urbis Romæ vicinitatem villis & hortis nobilium expolitus haud dubiè fuit. Numerat quidem inter generosa sui temporis vina Veliternia Plinius, lib. 14. cap. 6. quæ tamen nunc degenerârunt, ac auctoritatem amisêre suam; quia propter cruditatem, austeritatemve coqui aheno solent; Quapropter haud falso palam esse contendit idem, sua quibusq; terris tempora esse, sicut suus rerum proventus & occasus. 8.

6. Prandij. 486. SARMONETA, vulgò *Sarmineta*, Latij in Viâ Appiâ oppidulum, situm in latissimis campis sed malè cultis; â quo non procul, ni fallor, *Tres Tabernæ* fuêre in Appiâ Viâ, celebris quondam mansio XVII. ab Aricia lapide, & ab Urbe XXXIII. velut antiqua Romanorum itineraria, & ipsa locorum distantia demonstrant. D. Lucas in Actis Apostolorum, cap. ult. vers. 15. scribit, quosdam Christiana Religione iam initiatos fratres ab Urbe per Appiam Viam, ad Tres Tabernas, quosdam ad Appij 15.

Forum usq; occurrisse D. Paulo Apostolo, cum à Portio Festo procuratore, sub custodiâ militum, reus è Iudæâ mitteretur Romam.

487. *Setiam*, Latij oppidum, vulgò *Sezza*, in monte à sinistris vidimus, ob vini nobilitatem, à veteribus Poëtis celebratum; de quo Martialis;

Pendula Pontinos, quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab Vrbe cados.

Cænæ. 488. PRIVERNUM, vulgò *Piperno*, Latij in Appiâ Viâ oppidum, olim in planitie, nunc monti impositum, quod Amasenus fluvius lambit, unde contemplari licet à longè Thyrreni Mediterranei maris littora, & velut à continente avulsa Promontoria, oppidis præclaris quondam exculta, nunc pene deserta. Abundat optimo Vino, quod Plin. Natur. hist lib. 14. cap. 6. inter generosa annumerat; Ex huius opposito Castellum est vulgò 12.

489. *Rocca Secca*, in quo D. Thomas de Aquino per integros tres annos à matre incarceratus fuisse dicitur, propterea, quòd habitum monachalem fratrum, Prædicatorum deponere nollet.

490. *Abbatiam di fossa nuova*, ad sinistram reliquimus, aliàs *Cantica Canticorum* appellatam, & D. Thomæ Aquinatis nomine valdè celebrem.

Prandij. 491. *Taracina, alias Tarracina, & Tarricina*, vulgò *Terracina*, vetus fuit Romanorum colonia, prius Volscorum, in Campaniâ, non procul à Caieta & Amyclis, ut est Autor Servius apud Virgilium 10. Æneid. ante Trachyna, id est, aspera, à loci asperitudine; *Anxur* primùm appellabatur, vel Volscorum linguâ, ut quidam volunt, vel Græcâ potius, ut plures opinantur, à Iovis Anxuri fano celeberrimo & antiquissimo, quod ibidem constituisse Spartanos tradunt, ut & Feroniæ DEÆ in Pomptinis campis, apud Circeios & Rutilos: cum ob duras Lycurgi leges, excessissent patriâ & post longos errores, in his Italiæ maritumis oris sedem fixissent, ut Dionysius Halicarnassæus Romanar. Antiquit. lib. 2. memoriæ prodidit: Livius lib. 4. Decad. 1. inquit; 12.

Anxur

Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt, Urbs prona in paludes, editum occupat collem; Martialis;

Sive Salutiferis candidus Anxur aquis.

Meminit Iovis Anxuri & Virgilius in 8. Æneid. his verbis. Circeiumq; jugum, queis Iupiter Anxurus oris Præsidet.

Quem locum Commentator Servius sic explicat; Circa tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνευ ξυρȣ̃, id est, sine novaculâ, quia barbam nunquam rasisset; Et alio loco; Feroniam Iunonem Virginem, ait existimatam fuisse; veluti Iovem Anxurum, vel sine novaculâ, & perinde non abrasum, qui coleretur Tarricinæ, quæ etiam aliquando Anxur dicta fuit. Allusisse ad saxosum Urbis asperumq; solum videtur Horatius Poëta, eundem Appiæ Viæ tractum pulchrè describens Sermonum lib. 2.

Ora manusq; tuâ lavimus Feronia lymphâ
Milia tum pransi tria repsimus, atq; subimus.
Impositum saxis latè candentibus Anxur.

Ad tertium igitur miliare à Feroniæ fano, inter. Appiam & Circeium Promontorium, posita Tarricina est, quam mari circumfusam olim fuisse testatur Solinus; Nunc oppidum est frequens, sed exiguum. Ager latere maritimo fœcundus & amœnus admodum est, olim ditium Romanorum Prætorijs, villis, prædijs, ac hortis frequentibus excultissimus; quorum multæ sparsim visuntur adhuc reliquiæ atq; ruinæ, quemadmodum & celebris illius portus ab Antonino Pio sumtuosissimè refecti.

Cercello montem in mari situm ad dextram reliquimus. Hinc duab. turibus ad mare Tyrrhenum relictis, ad tertiam Regni Neapolitani fines sunt; ubi moles ex marmore erecto cernitur, hac inscriptione:

Hospes hic sunt Fines Regni Neapolitani, si amicus advenis pacata omnia invenies, & malis moribus pulsis, bonas Leges, Anno 1568.

Monticello oppidum ad finistram reliquimus.

492. Hinc per Appiam Viam, filice stratam, ad oppidum *Fundi*,
Cœnæ. vulgò *Fondi*, in Latio, parvum quidem, sed situ jucundum & in planitie positum, perreximus; quod ex ruinis antiquæ eiusdem nominis Præfecturæ surrexit, cuius adhuc cernũtur in vicinis paludibus vestigia prope lacum Fundanum. Cæterum Fundi nunc, ut Germani Poëtæ cuiusdam versibus obiter dicam:

Collibus hinc, atq; inde lacu. simul æquore cinctum,
Citria cui florent hortis, & littore myrti,
Hesperidum decus, & benè olentia culta Diones.

Nostro quidem seculo hoc oppidum insigni est adflictum calamitate per Archipyratam Caradinum Barbarossam Turcicæ Classis Præfectum; qui illud subitâ incursione cepit, ac civibus omnibus in servitutem abductis, & ædibus sacris profanatis, totum diripuit.

Tractus omnis Româ ad Fundanum territorium ferè, est sub Romani Pontificis potestate;

Fundi verò in Regno Neapolitano situm, paret Hispaniæ Regi, sicut & reliqua Regni oppida.

Hic *gladios*, ligulis adstrictorijs vel cruralibus *balthæo alligare oportet*, ne mulctam quis solvere cogatur.

Itri oppidum transivimus.

8. 493. *Mola*, Regni Neapolitani, in littore Maris Tyrrheni 10.
Prandij. oppidulum, in loco amœnissimo positum, non procul à *Caieta*
494. Urbe munitissimâ, vulgò *Gaëta*, ubi & portus & arx est, quam in angulo Promontorii versus orientem, posuit olim Ferdinandus Arragonum Rex, pulsis ex Regno Neapolitano Gallis. Nostrâ memoriâ Carolus V. Imp. & Rex adiecit rupem vicinam ponteq; sublicio iunxit arci superiori; Atq; ita moles turribus ac propugnaculis adauctas duplicavit, & promontorio toto simul incluso, Urbi fossâ murisq; connexuit. Servantur arces selectissimo Hispanorum militum præsidio, nec ignotis peregrinisq; datur in has accessus; imò nec civibus aut inquilinis.

Marca-

Marcano, Honorato, Traetto, castella ad sinistram reliquimus.

Liris fluvius, vulgò *Garigliano* paludi similior ob summam tranquillitatem, pontonibus hic traijcitur; 9.

Apparent quoq; hic aquæductus, Theatri & Amphitheatri ruinæ.

Santa Maria Piana cœnobium; non longè ab hinc ut viæ peregrinantibus planiores redderentur, colles & monticuli saxosi mira industria, pergradiculariter excisi sunt, pontesq; egregiè super amnes interlabentes strati.

Cœnæ. 495. CASCANO Vicus, propè Auruncorum Campaniæ felicis in Regno Neapolitano oppidum *Suessam,* ubi *Palatium Ducis Suessani* visu dignum; Ubi egregia & plana via, Capuam usq; se extendens videtur.
496.

In itinere, in Caietanâ, quæ ad Appiam ducit, viâ, occurrunt sepulchrorum ædificia magna & antiqua, sed ruinosa; Et in angulo, quâ se via in Appiam fundit, M. *Tullij Ciceronis sepulchrum* ostendunt Campani Antiquitatum studiosi, ex Ioviniani Pontani sententiâ, cuius ætate volunt ibidem repertum fuisse fragmentum Epitaphij Ciceronis; Non tamen tantæ videtur antiquitatis monumentum illud esse; quod rotundum opere lateritio concameratur, mediâ columnâ testudinem sustinente; Et ad dexteram introitus per scalas lapideas, patet ascensus ad superiora, quæ dumis & arbustis obsepta sunt. Cæterum meminit Suessæ Plin. Natur. hist. lib. 3. cap. 5. & lib. 7. cap. 17. Et Dionysius Halicarnassæus autor est lib. 4. Rom. Antiquit. Suessam Pometiam à Pometinis Pometiâ deletâ inde pulsis, vocari ceptam. Posteà & *Auruncorum* Suessa dicta, teste Livio, lib. 8. Decad. 1. cum Aurunci à T. Manlio Consule Sidicinis opem ferente victi, cum liberis & uxoribus eò patriâ desertâ confugissent. Posita quidem Suessa in agro Vestino ad montem Massicum in Appiâ Viâ & in regione amœnâ atq; fertili; quæ aliquandiu Volscorum inter præcipuas Urbes nominata, tandem Romanis cessit, factaq; colonia est, circa annum Urbis Conditæ *CCCCXLII.* ut ex Livij lib. 9. Decad. 1. colligitur.

9. Prandij. 497. CAPUA, totius olim Campaniæ felicis, vulgò *Terra di lavoro*, caput, insolentis arrogantiæ proterviæq; vitio ob copiam & rerum omnium affluentiam laborans, hodiè posita est nova ad Volturni ripam, altero lapide ab antiquæ ruinis, quæ ingentes adhuc cernuntur, juxta D. Mariæ Gratiarum Ædem; utpote portarum Urbis, theatri, aquæductuum; aliæq; moles immensæ templorum, porticuumq;, thermarum, atq; ædium amplissimarum; Item subterraneæ concamerationes vastæ, & aquarum castella, visunturq; in vepribus ac dumis columnarum ac marmorum omnis generis infinita fragmina, ex quibus potentiam ac superbiam veteris Capuæ quilibet colligere facilè potest, quamvis magnas eius reliquias, Nova Capua, vicinæq; Urbes inde distraxerint. Strabo Capuam appellatam tradit ab agro campestri, eâdemq; ratione P. Virgilius Maro Campanam Urbem, & Tullius, Liviusq; frequenter, eius *Cives & Incolas Campanos* nominare videntur à camporum uberrimorum cultu. Diodorus eam M. Genutio Agrippâ, & Curtio Chilone Coss. conditam tradit; Liv. Decad. 1. lib. 4. à Capy Samnitium Duce dictam existimat; Alij à Falcone, sub cuius augurio condita est, qui priscâ Tuscorum linguâ *Capys* dicebatur; Virgil. lib. 10. Æneid. à Capy Æneæ commilitone, qui eam condiderit, dictam mavult; Cuius sententiæ subscribit & Suetonius in Cæsare Dictatore, Urbis huius originē & nomenclaturam ad *Capyn* conditorem referens; in cuius sepulchro æneam tabulam inventam tradit, quæ Cæsari necem denunciabat. Strabo quoq; inde dictā existimat, quod esset duodecim Campaniæ Urbium caput, hoc est, quod ipsa duodecima reliquis undecim præesset. Hoc certè constat, Campaniæ felicis Urbium potentissimam fuisse & Punici belli tempore Romanæ Urbis æmulam; agri autem bonitate, nulli terrarum posthabendam, unde & *divitem Capuam* vocat Virgil. 2. Georgic. Talem dives arat Capua &c. 15.

Plin. Natur. hist. lib. 3. cap. 5. à campo dictam vult. M. Tullius Cicero luxus infamia notans Capuam, luxuriæ & superbiæ domicilium esse ait, in Oratione de Lege Agraria, contra

Rullum;

Rullum; Item in Oratione post reditum in Senatu, ubi multa de Urbis Capuæ laudibus.

Cæterum quo tempore, Nova Capua ex antiquæ ruinis excitata, quove auctore ad secundum ab istâ lapidem, traducta fuerit, non satis constat. Est quidem verisimile, quod vi, metuq; barbarorum pulsi atq; dispersi cives tandem eò confluxerint, atq; sensim extra desertæ Capuæ ruinas sedes fixerint, ibidem ad Volturni ripam; ubi nunc *novam Capuam* in Urbem peramplam atq; potentem emersisse videmus: de qua Iulius Cæsar Scaliger Poëta, non minus sallè quàm obscurè cecinit:

Flammea si valeat superare superbia fastum,
Pinguem luxuriam deliciosus amor;
Hoc mollem pinges Capuam, Capuaq; colonos,
Et qua alijs visa est, nec sibi meta fuit.

Per agrum Stellatum indè, camposq; Leborinos, pergimus 8.
498. AVERSAM, Campaniæ felicis in Regno Neapolitano oppidum, quod historiæ Neapolitanæ scriptor, Pandulphus Collenucius lib. 3. Adversam prius appellatum fuisse contendit, eò quod ibidem olim Normanni castra in ruinis Attellæ veteris munierint, adversus Capuam, Neapolimq; medio itinere novi huius oppidi initia firmantes, ubi duarum potentium Ur-
499. bium vires ex eo loco divellerent. Fuit quidem *Attella* vetus, ab antiquissimis Oscorum populis conditum oppidum, famosum inprimis ac celebre quondam Satyricis fabulis, lascivis ridiculis, atq; dicacibus, quæ ab ipso dicuntur Attellanæ; Et hæ quidem iocis, ac salibus ridiculis, eam auctoritatem nactæ sunt postmodum, ut è municipalibus ludicris irrepserint etiam in theatra Romana; Nunc temporis autem illustrium aliquot Palatijs atq; Prætorijs Suburbanis excultum est oppidum.

Attella vetus. Oscor. oppidū.

Cœnæ. 500. NEAPOLIS, vulgò *Napoli*, Campaniæ felicis 8.
Urbs clarissima, Regni Neapolitani Caput ac Metropolis, Regis Hispaniarum imperio subiecta, à Cumanis condita, & Parthenope quondam, ab una Sirenum in eo loco sepultâ,

fuit

fuit appellata; Quæ cum ob singularem loci amœnitatem, plurimum frequentaretur, Cumani veriti, ne Cumæ omnino desererentur, Parthenopen, habito concilio sub verterunt, quo facto, mox immani pestilentiâ vexati, oraculoq; admoniti, ut Urbem restituerent, instauratam protinus, tanquam Urbem novam, dixere Neapolim; Spatium complectitur magnum, posita inter amœnissimos colles, à Septentrione & Oriente, & Maris sinum, à Meridie & Occidente, è cuius portu, Misenus Mineruæq; Promontoria, celebresq; antiquitus insulæ, Capreæ, Ischia, & Prochyte sereno cœlo conspicuæ sunt; Mœnibus firmissimis munita jussu Caroli V. Imp. placidissimum aërem jucundissimum agrum, delicatissimos fructus, saluberrimas aquas, Baijs & Puteolis erumpentes habet. Extra civitatem omne frumenti genus, summamq; vini abundantiam agri ex se fundunt & gignunt. Plin. lib. 3. Natur. hist. cap. 5. huius loci ubertatem pro miraculo celebrat. Tanta collium hic est feracitas, venationis, Aucupijq; commoditas, hortorum elegantia, dulcissimorum rivulorum præstantia, sepimentorum reticulatorumq; parietum, omni florum, fructuumq; genere vestitorum pulchritudo, ut hæ commoditates simul omnes, Romanos olim in hanc Urbem pellexerint, qui studior. & ætate confectâ, quietis, otijq; causâ deliciarum etiam, voluptatisq; gratiâ, Neapolim se contulêre. Itaq; hic vitam degisse reperimus, P. *Virgilium Maronem*, Poëtarum omnium principem, quem Servius Georgica hic conscripsisse asserit; T. *Livium Patavinum*, *Horatium*, *Claudianum*, *Franciscum Petrarcham*, *Antonium Beccadellum* cognomento *Panormitanum*, *Laurentium Vallam Romanum*, *Blondum Forolivien*sem, & alios; Quinetiam Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Equitum, Baronum, ac Nobilium hominum, adeò plena hæc civitas est, ut Nobilitatis nomen quasi jure sibi vendicet; Quorum frequentiâ factum, ut quamplurimis Regum ac Principum Palatijs, fortissimis arcibus, amplissimisq; ædificijs, splendidissimis templis & sepulturis hæc præ cæteris Italiæ Civitatibus sit exornata.

Visus

Visu & notatu digna hic sunt:

I. *Templum Cathedrale*, quod Episcopium vocant.

In gradibus, ubi ad sanctuarium D. Ianuarij ascenditur ad latus sinistrum, præter cætera, quæ marmori incisa videntur, cernitur etiam *effigies maris & fœminæ nudæ*, stando Veneri operam dantes, dignum templo spectaculum. Fuêre deniq; Philippi II. Regis Catholici in tabulis depicti triumphi & victoriæ insignes in templo appensæ, ubi videre libuit, quos sibi populos & regiones, terra mariq; in suam potestatem redegerit, & potentia sua subegerit, videtur quoq; in pariete cædes illius, qui primus vini Græci usum in regnum invexit; hic cùm aliquot amicos invitasset, illisq; hoc vinum, quod fortissimum est, bibendum proposuisset; illi postquam ebrij facti, mentis impotes redderentur, putaverunt illum toxicum illis præbuisse, illumq; interemerunt.

II. D. *Claræ templum*, sacrâ Virginum societate & clarissimorum hominum sepulturis nobile; liberaliter extructum opus ab Hispanâ Sanctia Reginâ, Roberti Regis conjuge, quam Agnetem alij vocant.

III. D. *Dominici fanum*, ubi simulachrum Crucifixi visitur, quod D. Thomam Aquinatem, his verbis affatum esse dicitur: *Benè scripsisti de me Thoma.*

In sacristia huius monasterij, hæ cernuntur sepulturæ:
Regis Alphonsi I. *Anno* M. CCCC. LVIII.
Ferdinandi I. *Anno* 1494.
Regis Ferdinandi II.
Reginæ Iohannæ IIII. *Anno* 1518.
D. *Isabellæ Arag. Du. Mediol.* 1524.
Dn. Mariæ Arag. Marc: Vasti 1568.
D. *Ferdinandi Avalos de Aquino.*
Dn. Aloysij Caraffæ Prin: Stilliani.
Dn. Ferdinandi Ursini Ducis Grau. 1549.

Antonij Montalti Ducis, Maria Arag: F.
Dn. Petrus Arag: primogenitus Ducis.

Ad ianuam huius sacristiæ, ad latus dextrum hæc scripta sunt;

In cinerem cuncti redeunt, primæq; parenti
Quod tulit assignat, mortua facta caro.
Tunc aurum, stultos tunc quisq; relinquit honores,
Et quas in toto tempore iunxit opes.
Ergò animis mansura pijs celoq; petamus,
Mentibus ex nostris sit procul omne fugax.

IV. Augustissimum *Fratrum Montis oliveti delubrum*, ubi Alexander ab Alexandris sepultus est.

V. *Templum* D. *Ioannis* in Carbonariâ, quibusdam tamen S. Mariæ de Carbonâ, fratrum Eremitarum, in quo magnificentissimum Roberti Regis & Ioannæ primæ sororis monumentum, ex marmore candido, cum eorum imaginibus artificiosè factis, supra summam aram conspicitur;

VI. *Templum* D. *Laurentij*, fratrumq; minorum;

Sunt antiqua monumenta *Roberti d' Artois*, & *Iohannæ uxoris ipsius*. Item *crucifixum ex ligno integro* sculptum, & *imago Christi resurgentis*, quæ à milite, qui pecuniam ludendo perdiderat, gladio percussa & violata fuit, ex qua sanguinem effluxisse, manusq; effigiem commovisse, nobis pro verissima historia referebatur.

In Colosso cuiusdem sepulchri hæc leguntur:

Quid? omnia.
Quid omnia? Nihil.
Si nihil, cur omnia?
Nihil vel omnia.
Leon Follerius IC.

Caroli Ducis Duratij sepulchrum. In circuitu verò eiusdem templi, hoc legitur Epitaphium:

Hospes quid sim, vides,

Quid

Quid fuerim, nosti,
Futurus quid sis, cogita.
Erico Ruderico, Franciscus Filius.

Propè hoc templum est *forum*, in quo quis *famulos conducere* potest, nam in magna frequentia & multitudine advenientes heros ibi exspectant.

In templo *S. Mariæ nova*, in sacello propè ianuam, requiescit corpus B. Iacobi de Marchia, qui anno 1426. mortuus est, & nondum adhuc consumatus, eiq; *ungues & capilli indies crescunt*, ut illi abscindere cogantur.

In monasterio *S. Severini* cernitur sepultura ex marmore albo, trium fratrum ex illustri familiâ, hac cum inscriptione:

Hic ossa quiescunt Iacobi Sanseverini Comitis Sapontariæ veneno miserè, ob avaritiam necati, cum duobus fratribus eodem fato, eadem hora commorientibus.

Hic situs est Ascanius Sanseverinus, cui obeunti eodem veneno iniquè ac impiè commorientes fratres nec alloqui, nec videre quidem licuit.

Iacet hic Sigismundus Sanseverinus, veneno impiè absumpto, qui eodem fato, eodem tempore pereuntes Germanos fratres nec alloqui nec cernere potuit.

In sacristia huius Monasterij, videntur hæ reliquiæ, argento circumdatæ:

Capilli S. Mariæ Deiparæ virginis & *Iohannis Baptistæ*. Reliquiæ aliquot D. Placidii, Clementis Papæ & Martyris. *Crux argentea*, quæ in medijs flammis non consumpta fuit. Zachariæ Prophetæ, S. Iacobi Minoris, S. Antonij, Augustini & Severini brachia. Ad fores huius sacristiæ est splendidum Epitaphium ex marmore albo Cicari.

VII. *D. Francisci templum*, cum aliis, quæ omnia recensere nimis longum foret.

IIX. Addatur superioribus, *Ædes sacra* Annunciatæ *Virginis Mariæ*, quam vocant, multâ religione celebris, donariisq;

locuples; ubi etiam multæ insignes ac raræ Djvorum *reliquia* ostenduntur, & inter alias *infantum innocentum* ab Herode Rege, Christo Servatore nostro nato in Bethlehem occisorum *corpuscula duo sesquipedalia adhuc integra* cute contecta; in quibus vulnerum patent hiatus in unius capite & alterius pectore.

IX. *Hospitium pauperum* templo junctum, magnitudine atq; structurâ Municipij perampli instar; in quo supra duo millia pauperum, omnis generis, ægroti, senes, debiles, & ad operandum impotentes aluntur, atq; curantur pro cuiusq; conditione, ætate atq; valetudine; Plusquam octingenti utriusq; sexus orphani & expostititij, in eodem ab infantiâ, & vnguiculis primis educantur, literis imbuuntur, ac artibus varijs, pro ingenio ac indole cuiusq; diligenter instituuntur, ad ætatis usq; maturitatem:

X. *Gymnasium* sive *Academiam* omnium disciplinarum habet, à Friderico II. Imp. fundatam.

XI. *Forum Vrbis pracipuum* formâ quadrata est, spatiosum admodum, non tamen stratum lapidibus; in medio illius furca & proscenium ijs extructum, qui ultimo supplicio afficiendi sunt; Præterea Sacellum è cuius regione fons labrum capacissimum habens.

In foro, *Il Mercato*, dicto, est quoddam humile sacellum, quo in loco Fridericus II. Marchio Badensis & ratione matris hæres Ducatus Austriæ capite truncatus, cum Conradino Duce Sueviæ, & hærede Regnor. Apuliæ & Siciliæ, à Carolo Andegavensi Anno Christi 1268. in illoq; loco vestigia guttarum sanguinis videntur, humidusq; locus prorsus adhuc apparet.

XII. *Palatia* præ cæteris amplissima sunt:

1. Vicarij Regis cum adiuncto equili, in quo generosorum equorum armenta selecta stabulantur atq; domantur.
2. Principis de Layena ex Calabriâ.
3. Principis de Scalea, Siculi:
4. Principis Salernitani; nunc templum Iesuitarum ex illo exstruitur:

5. Prin-

5. Principis de Bisignano;
6. Principis Ursini;
7. Princip. Caraffiorum, in quo inter alias antiquitates est Scipionis Africani simulacrum & caput equi ænei.

XIII. Illud inter præcipuas huius Urbis dotes connumerandum meritò, quod *singulæ propemodum domus fontes habent* copiosâ ac saluberrimâ aquâ scaturientes, nec est ulla alia Urbs, in universâ Italiâ, quæ (quod ad aquarum copiam attinet) cum hac conferri possit.

XIV. *Plateas habet angustas, exceptis tribus,* quæ ut satis latæ, ita miræ longitudinis sunt; Superior ex his la *Vicaria* dicitur, altera *Capuana*, tertia est *è regione arcis* & ad forum usq; patet. Capuana Capuam ducit, quæ Urbs in Iure civili valde celebris est, maximè in materia Contractuum: In porta huius plateæ monumenta plurima conspiciuntur, tum constructa, cum per eam Carolus V. Rom. Imp. & Neapoli Rex, primus omnium mortalium ingrederetur; id quod in simili portâ deinceps Antuerpienses imitati sunt. Ante portam Oceanus erat & Thetis, deinde per plateam ipsam, commodis in locis Hercules Atlas, Perpetuitas, Religio & alia multa, quæ in triumpho Neapolitano commemorantur.

XV. Sunt præterea Neapolis *quatuor* *σοαὶ* ut Græci nominârunt, Latinis *porticus*, sive *ambulacra* quadratæ formæ, circumcirca sedilia habentes, quas sedes appellant; Capuana, Nidensis, Montana, Diviq; Gregorij; In his, certis anni temporibus, Principes, Duces, Marchiones, omnesq; cæteri ordines, ad consultandum communiter de rebus publicis convenire solent. Conveniunt in ijs quoq; Mercatores singulis diebus, contractuum celebrandorum caussâ, quemadmodum fieri consuevit in Angliâ Londini in Bursâ, de qua suprà. & Venetijs, nella piazza del rivo alto.

Hieronymus Megiserus in suis delitijs Neapolitanis, numerat harum sessionum quinq;, ordine sequente;

1. Primo loco ponit Capuanam, & eius insignia esse dicit Equum cum freno aureo in campo rubro.

2. Nidensem, cuius insignia equus niger, absq; freno in campo aureo; Sed huic effreno equo Conradum Regem Anno Christi, 1253. frenum imposuisse scribit hoc disticho adiecto:

Hactenus effrenis, Domini nunc paret habenis,
Rex domat hunc aequus Parthenopensis equum.

3. Montanam, cuius insignia, quinq; montes aurei.

4. Sessionem Portus, cum signo Satyri in campo argenteo. Et

5. Sessionem Portae novae, cum signo Portae aureae in campo caeruleo. Vide eundem in suprà allegat. delitijs Neopolit. cap. 5. pag. 42. cum seqq.

XVI. *Arces tres* numero habet, quarum duae ad mare sitae sunt Vetus scilicet, ac Nova, tertia in altissimo monte Urbi incumbente posita.

1. *Castrum Novum*, ut nunc appellant, ante trecentos amplius annos extructum à fratre D. Ludovici Francorum Regis, Caroro I. Neapolitanorum Rege & Andium Comite, ut Urbi & portui adversus maritimos hostium insultus esset praesidio.

Instauravit proavorũ memoriâ Rex Arragonum, Alphonsus I. Gallis expulsis, Regnoq; subiugato, maximisq; operibus ampliatum adeo munivit, ut inter Italiae firmissimas arces nunc celebretur; cum maximè proximi Reges, Carolus V. Imp. & Philippus eius filius, nostro seculo hanc & alias eius Urbis, annonâ, praesidio militari valido, nec non omni apparatu bellico, ad hostes propulsandos necessario firmârint abundè.

2. *Castrum Ovi*, quod propter formam ovalem scopuli marinis undis insulae in modum circumfusi, in quo positum est, illud nomen accepit. Conditam arcem illam Collenucius prodit à Gulielmo III. Normanno & inde Normannorum appellatam diu fuisse: Restauravit hanc item Alphonsus I. Arragonum Rex, ornavitq; plurimum. Ad scopulum veteres Graecâ voce Myagram vocitasse ferunt, vel à plantae Sylvestris nomine, vel ob loci

ob loci atq; situs conditionem, difficilesq; elapsus, quasi captorum muscipulam.

Ex opposito in colle fuit habitatio M. Luculli, nunc cuiusdam Marchionis Trevico. Intra novum & Ovi Castellum videtur quædam antiqua turris rotunda, ex quadrato saxo exædificata, ex qua Gallos tres menses se defendisse, referunt, nunc est Carcer eorum, qui patrum bona dissipant, parentibusq; inobedientes sunt.

3. *Castrum Santeremense* longè munitissimum, quod in vertice vicini Montis positum despectat, ac detegit Urbem, littora, portum atq; Maris insulas. Extruxit autem illud Caroli II. filius Robertus Rex, ante annos ducentos quinquaginta; Auxit propugnaculis magnis, reddiditq; quasi inexpugnabile Carolus V. Imp. Aug. atq; Rex. At verò Philippus eius filius, his annis præterlapsis ampliato pomœrio coniunxit Urbi, eamq; prolatis mœnibus atq; Castellis magno spatio novis ædificijs suppleto adauxit. Medio clivo in adscensu montis occurrit pulcherrimum atq; sumtuosissimum templum, cum cœnobio Carthusianorum peramplo, D. Martino sacrum, è quo amœnissimus prospectus est cum in Urbem tum in ipsum Mare. Nec poterunt satis admirari, qui prius Castrum non viderunt peregrini, summis impensis atq; laboribus opera è saxo vivo excisa; plura nimirum propugnacula, atq; castella, cuniculi Viæ scalæq; iumentis æqué ac hominibus commodæ; Machinarum item atq; armorum vis ubiq; magna, nec non annonæ copia inæstimabilis; tormenta bellica prægrandia ex ære & ferro monstrantur.

XVII. Extra muros Australi parte, *moles in Mari* conspicitur, ad portus tutelam, navibus ex omnibus orbis partibus perpetuò pleni;

XVIII. Perlustranda quoq; extra Urbem, sumtuosissima *Regis Equilia*, ubi contemplantium oculos atq; animos detinent equor. pulcherrimorum pernices in stadio cursus; rotationes agillimæ, tolutim glomeratis hinc inde circulis; multiplicati

ad Vir-

ad virgulæ rectricis nutum saltus in altum quadrupedantes.
XIX. *Horti in prædijs* suburbanis, præsertim littoralibus illustrium Virorum elegantissimi; Primùm enim aquæ copiâ abundant, eo studio aut industriâ ad profluendum factæ, ut etiam ex arboribus aliquando prosiliat, in vasa marmorea; in quibus nunc Neptunus navigat, aquam tridente velut undas Maris percutiens, nunc Naiades aut Æolus cernuntur; Adsunt & *Fauni* & *Satyri*, ex conchis marinis facti, eâ arte, ut sculpti, pictivê putentur magis quam compositi è tesserulis, ita omnia in ijs nativum colorem referunt; Nec desunt *Labyrinthi*, in quibus aqua per varios anfractus decurrit, modo hac modo illac *Fontes* autem in illis ad formam specus constructi sunt è lapidibus à salsugine aquæ marinæ exesis, ut aqua per eos paulatim stillet, quod admodum jucundum aspectu est: Habent enim ipsi lapides colorem nivis aut glaciei, tum etiam ornantur aliis rebus vermiculatis, gorgonia, margaritiferis ac herbis quarum semina ab humore nutrita inter medios lapides pullulant. Decurrit etiam aqua è fontibus in hortos per canales pavimenti, quod marmoreum plærumq; est, vel ex tesserulis constructum, sed nihil lædit pavimentum. Sunt & ipsi canales ampli ac patuli, ut tàm piscibus conservandis, quam refrigerando potui inserviant; Iuxta fontes *aviaria* sunt, in quæ ex canalibus artificiosè prosilit aqua, quam commodissimè excipiunt aviculæ; Continent autem pulcherrimas aves peregrinas ac sonoras. Inde deambulatoria, & in his topiaria, naves, ædificia, Centauros & alia genera animalium repræsentantia; Extra hæc variæ herbæ, aliquando in modum Labyrinthi positæ, Laureta, Cupresseta, vineæ; Non raro Labyrinthi è buxo, hederâ, ac Myrto, præterea Palmæ dactyliferæ ac aliæ arbores raræ. Deniq; ut nihil addam de statuis, & monumentis, ea adest copia selectissimorum fructuum, is odor, ea voluptas, ut ne in Hesperidum quidem hortis, ulla maior aut gratior esse potuerit; Itaq; meritò Paradisus Italiæ dicatur.
XX. *Portus amplissimus* à tempestatibus præmunitus est aggere latissimo per quingentos plus minus à littore passus in Mare, brachij

brachij incurvi formâ procurrente. Is quidem vestitur atq; in altum evehitur è Mari quadrato saxo immani. Per medium aggerem fons aquæ dulcis ab Urbe tubis subterraneis deductus, in capite molis solet erumpere, cuius crater marmoreus ibidem adhuc extat; Aggeris istius initia posita constat fuisse, annos ante ducentos octoginta, à Carolo II. Rege, Gallo. Adampliavit maiorem in modum, operibus maximis adiectis Alphonsus I. Hispanus; qui Rex eius Urbis ædificia publica magnificentissimè provexit, & exornavit, sicut etiam Carolus V. Imp. & eiusdē filius Philippus Rex splendidissimè munierunt, excoluerunt, & adauxerunt; Stant sæpè in portu triremes ferè quadraginta, exploratorijs, navibusq; alijs onerarijs exceptis; Exspatiari hinc licet in Prætoria per sinum Maris, quem Strabo craterem vocat à formâ, ad cognoscendum disciplinam atq; labores servorum navalium, & ad perlustrandum obiter vicina littora, circumjacentes insulas ac promontoria; Misenum, Prochyten, Pitheiusas, Capreas, Herculaneum, ac Athenæum sive Minervium, ubi Sirenum quondam sedes fuit, Test. Plin. Natur. hist. lib. 3. cap. 5. Promontorio nomen est, quod Ulysses ædem sacram Minervæ dedicârit in eius ora, cum Sirenum insidias evasisset ut Strabo memorat.

XXI. *Neapolis hyemem* vix duobus mensibus sentit, puta mense Ianuario & Februario; frequētes habet pluvias sine nive tamen, ac in æstate ferventissimum æstum, unde rara sunt ibi ædiū tecta, ut noctu sup ædificijs obambulare liceat, corporis refrigerandi gratiâ. Vocant hanc vulgari linguâ, *gentilem*, hoc est, nobilem, ut Romam amplam, quidem quoq; *sanctam & antiquam*, Venetias *divitem*, Florentiam *pulchram*, Mediolanum *magnam*, Genuam *Superbam* &c. ad imitationem, ni fallor Græcorū, qui ipsi quoq; præcipuas Urbes Epitheto aliquo decenti ornare solebant. Credo autem Neapolim vocari nobilem, propter multitudinem nobilium, qui in eâ habitant, & propter luxum; Non enim alibi ullo in loco Italiæ reperire licet tantam copiam generosissimorum equorum, quibus festis potissimum diebus, ad ostentatio-

nem utuntur, quantam ibi. Sed ut equum indigenam inde extra Regum hoc ducas, decumam ſolvas oportet; Venduntur autem in eâ non tantum equi & omnis generis merces; verùm etiam mancipia utriusq; ſexus & ætatis.
XXII. Ad *proprietates Neapolitanorum* quod attinet, delectantur illi non tàm Grecis, aut Latinis literis, quàm Hetruſcis, & ſuâ dialecto, irrident Calabros, Calabri Apulos. Utuntur autem oratione plenâ factus & iactantiæ, unde aliorum conſilia reſpuunt, & ſua cæteris omnibus præferunt. Satis eſt eorum mercatoribus dediſſe fidem, ſed ſi datam fallas, ſtrenui ultores ſunt injuriæ illatæ, quemadmodum acceptorum beneficiorum maximè memores. Splendidiſſimè victitant, & aliquando plus ſaccari quàm panis inſumunt, Anglos & Siculos imitantes. In veſtitu ſuperbi ſunt, & nimios ſumtus faciunt, belli ac pacis temporibus. Optimè adoriuntur hoſtem, & equos habent ad bellum aptiſſimos, quibus optimè inſident, & quos ſummâ corporis dexteritate regunt; Perditiſſimè amant, ſed eas tantum, quæ & facie pictâ & animo elato ſunt, quibus duabus rebus illorum mulieres apprimè ſtudent; Alioquin rem familiarem diligenter curant, & amatores ſuos religioſiſſimè colunt. Deniq; *humani* ſunt Neapolitani *erga peregrinos*, & amant eos, ſi quid in ijs vident eximium aut excellens, ſi nihil tale vident, parui eos faciunt.

Portæ hìc *non clauduntur*, ſed Caſtella multos præſidianos milites habent Hiſpanos.
XXIII. Extra Urbem ex eâ parte quæ Pauſilypo adverſa eſt, cernuntur *putei regales*, vulgari linguâ *pozzi reali*, vel Pogium regale, pulcherrimi ſanè & digni, qui videantur; Eſt eius generis locus Romæ & Ferrariæ, *Il bel vedere* vulgò, hoc eſt, locus æſtivus, ædificiorum, hortorum, ac rivulorum, proſpectus item ſitusq; amœnitate elegantiſſimus. Hoc autem ædificium & Palatium ampliſſimum extructum eſt olim à Rege Ferdinando I. Arragonio, quo ſe recipere ſolebat, à laboribus quieſcere, animumq; recreare cupiens, tanquam è negotiorum fluctibus in portum

portum tranquillum. Eſt formâ quadratâ & oblongâ, in cuius parietibus antiquiſſimæ picturæ conſpiciuntur. Media area eiusdem ſub dio ad lavandum deſtinata eſt, à qua tribus gradibus deſcenditur, quaſi in labrum quoddam, ubi aqua pro libitu intromittitur, & totam illam aream porticus amœniſſima ambit. Cum hoc *lavacrum* adhuc eſſet integrum, & nondum à Gallis corruptum, credibile eſt, nullum vel magnificentius, vel amœnius eo fuiſſe in Vniverſâ Italiâ. E regione huius Palatij, aliud ædificium aut Palatium eſt, & locus è quo aqua per canales, in ipſam Urbem deducitur. Inde itur in hortos, in quibus alia porticus, ante quam locus ſpatioſus & amplus, neglectus tamen ac arundinibus, vepribus & dumetis repletus. Hinc rurſum tranſitus eſt, in alios atq; alios hortos, ac tandem ad fontem Aquæductum amœniſſimum, limpidiſſimumq; ſaluberrimis aquis ſcaturientem; Fuerunt juxta hunc caveæ, quibus varia genera animalium includebantur, ſed illæ quoq; à Gallis confractæ ſunt. Ex hoc igitur loco, per ædificia olim familiæ aſſignata, ad primum redire licet, ubi fonticuli & blandiſſima aquarum præterlabentiũ murmura, ſylvulæ ac fructuum aſpectus jucundiſſimus; Conſpiciuntur inde veſtigia Urbis Paleopolis, cuius Livius mentionem facit, lib. 8. Decad. 1. Paleopolis Urbis veſtigia.

XXIV. Eſt quoq; *prope Neapolim locus alius* non minus amœnus, quarto lapide ab Urbe, in pede montis Veſuvij, in quo monte Plinius Naturalis hiſtoriæ ſcriptor & Claſſis Auguſti Præfectus, inter cineres perijt; id quod Plinius ſecundus in Epiſtolâ quâdam teſtatur, cum idem mons paulò ante arſiſſet inſtar Ætnæ in Siciliâ; Naſcitur autem ad radices huius montis vinum græcum, quod alij Pompeianum vocant, optimum & multorum auctorum ſcriptis celebre. *Palatium*, quod ibi extat à vicino pago nomen accepit, & *Pietra biancha* vocatur, nos Leucopetram dicere poſſumus, intus totum marmoreum, & opere vermiculato in ipſis cubiculis ornatum; Eſt in eo Nympha dormiens ac incumbens urnæ, è quâ ingens copia limpidiſſimæ aquæ profluit, quæ per canales marmoreos poſteà dilabitur, nec ullam

Veſuvij Montis radices.

Pietra biancha Palatium Neapoli.

partem pavimenti lædit, cum ijdem canales etiam piscibus inserviant, quasi parva quædam Vivaria; Proculdubio veteres talia *ædificia* vocarunt *Nymphæa*, tam Romani quàm Græci, licet hoc recens sit, & à quodam Consiliario Caroli V. Imp. circa annum Christi, ut aiunt, 1530. extructum; Habet ab unâ parte vicinum Mare, ab alijs planiciem, cuius mira fertilitas frumenti, olei, vini, & fructuum omnis generis. Difficile est credere, tamen verum, reperiri ibidem *vites*, quarum *una* interdum *proferat metretas vini* X. vel XII. hoc est, nostræ mensuræ urnas V, aut VI. vel etiam plures. Sed & illud mirum videri potest, quod quidam literis mandavit, spirante Aquilone propelli in agrum Neapolitanum ex Africâ, inprimis autem in Insulam Capream, triginta miliaribus Italicis saltem ab Urbe Neapoli per mare dissitam, tantam copiam *coturnicum*, ut & glomeratìm in ædes Mari vicinas cadant, & sine ullâ difficultate manibus apprehendi queant. Quin etiam inter volandum illas sæpè in triremes incidere, vi ventorum ac longo itinere defatigatas.

Cæterum si quis plura de claris & eximijs hominibus, qui non modò huic Urbi, sed & Orbi universo, decori, ornamentoq; fuerunt, cognoscere; Imperij etiam Gubernationisq; huius Reip. formam scire desiderat, is Campaniæ descriptionem legat apud Fr. Leand. in descript. Ital,

13. Prandij 501. PUTEOLI, vulgò *Pozzuolo*, oppidum Tyrrhenorum, de quo Plin. lib, 3. cap. 5. Campaniæ felicis in Regno Neapolitano Civitas, ab aquæ calidæ putore dicta, ut inquit Festus, licet alij putent à multitudine puteorum, earum aquarum gratiâ factorum; Vetusti scriptores *Dicaarchiam* appellant à justitiâ administrationis. & Gubernationis; A Samis conditam vult Eusebius, eo tempore, quo Tarquinij à Bruto sunt expulsi. De situ huius, licet aliqui contenderint, putarintq; eo in loco olim fuisse, ubi nunc sunt ruinæ, nimirùm in radice collis, vel paulò remotius, tamen descriptio veterum errorem hunc convincit; & verius est, in colle fuisse, in quo etiam hoc tempore adhuc sunt præcipua ædificia; quanquam fieri potest cæteras ruinas partem 8.

aliquam

aliquam illius fuisse, vel suburbia, aut loca Suburbiis vicina. In ipso oppido nihil ferè visu dignum, præter *templum*, quod *antiquissimum* est, ac eà industriâ extructum, ut facilè agnoscas Ethnicum fuisse. Sunt præterea ei insculpta nomina Architecti, ac illius cuius in honorem ædificatum fuit, quemadmodum porticus in frontispicio tituli fragmentum testatur, his verbis;

L. Calpurnius, L. F. Templum,
Augusto, cum ornamentis, D. D.

In pariete Templi sinistro;

L. Coccejus, L.
L. Postumi, L.
Auctus, Architect.

Non tempus edax rerum, non hostiles injuriæ tot seculorum spatio, soliditatem eius ædificij convellere potuerunt; Nam ex quadris marmorum trabibus ita compactum est, ut uno ex saxo videatur, & vix juncturas ostendat; At terræmotuum impetus crebri nonnihil illud conquassârunt, ut tympani sive tecti dexter deciderit angulus, cum tituli parte, & scissuræ quædam videantur. Aliæ, quæ plures ibidem ædes sacræ fuerunt, vel funditus interiêre, vel graviores passæ sunt injurias. Cernuntur & *ossa* ibidem *prægrandia* corporis humani, quibus Pomponius Lætus diligentissimus indagator antiquitatis hanc inscriptionem fecit:

Huc quicunq; venis, stupefactus, ad ossa Gigantum
Cur sint Hetrusco condita, disce, solo.
Tempore, quo domitis iam victor agebat Iberis
Alcides, captum longa per arva pecus.
Colle Dicarchæo, clavaq; arcuq; Typhones
Expulit, & cessit noxia turba DEO.
Hydruntemq; petit pars altera, & altera Thuscos,
Interijt victus, terror uterq; loco.
Hinc bona posteritas, immania corpora servat,
Et tales mundo testificatur avos.

Antequam Neapoli digressi, Puteolos veniremus, transe- Pausily-
502. undus nobis prius fuit *Pausilypus*, mons arduus quidem vi- pus
neis tamen pulcherrimis excultus, & villis etiam olim, ut ex Pli- Mons.
nio & alijs constat, opulentis habitatus, qui instar Promontorij procurrit in Mare Siculum, viamq; inter Neapolim & Puteolos præcludit, atq; summo cum labore, molestiâq; viatoribus superandus erat, vel ambitu longo circumeundus, priusquam maiorum industriâ perfoderetur; At verò per imas radices, atq; intima viscera pertusus, viam itinerantibus recto tramite planam, atq; facilem aperire cepit. Hinc quidem ab antiquo Græci non inepto videntur montem insignisse nomine, παυσιλυπον, appellantes, velut ademptorem molestiarum atq; laboris; quo cognomine & Iovem ipsum celebrârunt Græci veteres, ut apud Sophoclem legimus. Mons quidem pertusus est ad passus plus minus mille, viaq; per fodinam illam patet lata pedes XII. ac totidem alta; qua, sicuti Strabo testatur, duo contraria plaustra, simul commeare & transire possunt; Speluncam appellat ipse; Seneca cryptam Neapolitanam, item carcerem longum & obscurum appellat, in quo nil aliud, quàm ipsas tenebras videre est, vulgò *Grotta di Napoli*; Asserit tamen Strabo, per crepidinem montis olim fenestras plures varijs locis ex alto lumen infudisse; Quibus omnibus demum, vel terræmotu, vel negligentiâ temporum obturatis, tenebras profundas, speluncam longissimam illam obsedisse non est mirum; Hoc quando contigerit, in obscuro nunc item est. Petrus Rassanus Siculus, Episcopus Lucerinus, ante sua tempora, scilicet ante annos CL. plus minus, *foramina* quibus lumen admitteretur, in eâ cryptâ fuisse *nulla*, testatur; Obstructas item ferè ruinis atq; vepribus utrinq; fauces; ut ingressus absq; lumine cunctis esset perhorrendus. Tunc Arragonum Regem Alphonsum I. in potestatem provinciâ redactâ, complanasse, dilatasseq; viam ac fauces; perforasse montis dorsum, atq; duas aperuisse fenestras, quæ lumen obliquum in mediam speluncam ex adverso nunc infundunt. Tanquam nix quædam insparsa solo, lux illa transeuntibus apparet à longè

resplen-

resplendens in obscuro, priusquam fenestræ videri possunt. Est item in tenebrosæ viæ medio *Sacellum* exiguum excisum in pariete saxeo, in quo nocte dieq; lampas ardens viatoribus æternæ lucis memoriam suggerit, nec non in tabulà pictà nostram Salutem è Virgine matre D. Mariâ natam ostendit. Adampliavit opus immortalitate dignum, restauravitq; magnificè nostrâ memoriâ, *Petrus Toletanus,* dum Caroli V. Imp. auspicijs Regnum Neapolitanum administravit. Itaq; nunc tàm recto tramite via per montem ducta est, uti cryptam intrantibus lumen à longé, veluti sidus quoddam per ostium, adversum resplendeat, ad quod euntes in tenebris iter dirigant; quibus item facile atq; jucundum est, obvios quosq; per lumen illud in speluncam intrantes, tanquam *pygmæos* procul, vel *equites,* vel *pedites* cernere; Quisnam primus animo Xerxeio tam immensum opus aggressus fuerit, aut quo tempore factum sit, feruntur variæ eruditorum sententiæ. Vulgò putatur, si quis in hoc specu occidat aliquem, eum nullo modo posse egredi, idq; usu compertum aiunt.

Occurrit exeuntibus crypta, paulatim *Sulphureus odor,* per aëra sparsus, ex diversis terræ cavernis hinc inde promanans;

503. Nec diu post conspicitur *Lacus Anianus,* Amphitheatri in modum circularis, & collibus undiq; conclusus, atq; per apertum ferro montem videntur immensæ Maris undæ, excisi rupium parietes, caviq; specus, ad piscium stabula atq; recessus facti, sed arenis & limo nunc, ædificiorumq; ruinis oppleti; Fundum in medio non reperiri refert Fr. Leand. Lago di Agnano Ital.

504. Nec procul inde monstrantur *Cellæ Sudatoriæ D. Germani* concameratæ, sub quibus è solo calidi vapores erumpunt vehementes, ut si quis vel nudus introierit, repentè sentiat extrahi è corpore sudores quam maximos. Itaq; consulunt hæc *vaporaria* plurimum podagricis, evacuantq; noxios & nimios humores, ulcera interiora sanant, & *valent ad multiplices corporum morbos.* I bagni del Lago di Agnano vulgò.

Est in ijsdem collibus & littore locus, puem Itali vulgò vocant

505. vocant *La grotta del Can*, nos antrum caninũ possumus reddere, *specus* plenus *lethalis aeris*, & qui nullum animantium genus vivum ferat. Eius altitudo pedes VIII. aut IX. latitudo circiter VI. nec ultra passus IIII. in ipsum collem protenditur, ac deorsum paulatim declinat, calidum humidumq; spiritum exhalans, quod vel manu immissâ deprehendere licet. Accepit ex eo nomen, quod, quicunq; illuc veniunt, experimenti caussâ canem aliquem in illum protrudere soleant; quem cũ mortuo similem confestim extrahant, & aquâ perfundant è vicino lacu sumtâ, vitæ & vigori pristino restituunt. Plin. Natur. hist. lib. 2. cap. 93. ait, in Suessano, Puteolanoq; agro reperiri specus, quos *spiracula* vocent, alij Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes, quorum hic unus esse potest.

Non procul ab hoc loco *planicies* ampla conspicitur figuræ circularis, *sulphure tota flavescens*, quæ ipsa quoq; lacum peculiarem habet, sed non magnum. Cum ergo soli illius materia ex mero sulphure constet, eademq; accensa ebulliat Strabo *Forũ*
506. *Vulcani*, illum locum appellavit, vulgò *La Solfataria*; alij Campum Phlegri nominàrunt, ut Virgilius. Propè lacum cernuntur *Tuguriola* aliquot, *è frondibus* constructa, & juxta ea fornices, in quibus sulphur coquunt. Ab his, si ad lacunas ipsas, quis progrediatur (vix enim merentur nomen lacus) videt illas densissimum fumum evaporare, & *aquam ferventissimam* ebullire. Fama est, nec à vero dissentit, si animal aliquod in eas projicias, & parvâ morâ interpositâ, idem inde rursum eximas, præter ossa nihil reperiri. Conspiciuntur autem circa has lacunas, *infinitæ cruces ligneæ*, quas in extremâ illorum orâ, quasi metas quasdam, instar columnarum Herculis, posuerunt audaculi quidam, cum accessus ad eas valdè periculosus sit. Nam quocunq; incedas, percipis auditu subterraneam concavitatem, è qua ex improviso interdũ erumpunt sulphureæ flammæ, & pœnam sumunt de audaculis istis; quia levis & arida est illius soli superficies, nec ubivis in eâ expatiari licet. Notum est, Plinium Naturalis historiæ scriptorem, multis quidem suspectum, quod Græcorum

corum more falsa veris miscuerit; At qui ista vidit, maiorem ei fidem adhibet, de his aut similibus rebus differenti. Verissimum enim est, quod ille alicubi præclarè ait, diffusam per omnia naturam, subinde aliter atq; aliter, tanquam numen quoddam erumpere.

Cum ex hâc amplâ ac profundâ planitie in collem reditur, videntur in radicibus eiusdem amœnissimus locus, & ad littus maris *Puteoli*, de quibus suprà. Incolæ huius oppidi, omnes ferè sunt piscatores, & magnum quæstum percipiunt ex ijs, qui videndarum Antiquitatum caussâ eò veniunt. Locant enim illis operas suas, & monstrant antiquitates in toto illo tractu Maris. Extra oppidum sunt *Monasteria* aliquot, & *Palatia* Nobilium satis elegantia. Conspiciuntur quoq; vestigia antiquissimorum ædificiorum Romanorum; cum certum sit Urbis Romanæ Proceres, in his & vicinis locis, de quibus hactenus dictum, & adhuc dicendum est, delitias suas habuisse, ut patet tam ex Epistolis Ciceronis, quàm ex Polybio, Dionysio Halicarnassæo, & Livio.

507. In horto Franciscanorum visu dignus est *Terminus*; juxta oppidum *fornices, & concamerationes* sunt aliquot, quas putant *thermas* fuisse. Si ascendis ad Monasterium vides *tres egregias columnas*; Sin ex eodem descendis, *Amphithearum amplissimum*, formâ ovali, foris Romano illo corruptius, intus integrius; Nam & sedilia habet, quamvis aliquibus in locis, terrâ vel arbustis obruta, & ambitum muri integrum valde altum. Non longè ab illo est aliud *ædificium concameratum* miræ arti, ac structuræ, multis cellulis distinctum, unâ subinde in alias ducente. Habent enim singulæ cellulæ portas IV. per quas in coniunctas *Antiquitates Puteolis circa Monasterium Franciscanorũ.*

508. & vicinas itur, unde suspicari licet, olim *Labyrinthum* fuisse, Itali vocant, *le Camerette* Cernuntur præterea in sinu Puteolano, *ingentes pilæ maximi pontis*, à littore Puteolano, in oppositum littus Maris constructi, à Caligulâ Imperatore, ut scribit Dion Nicæus in Vitâ Caij Caligulæ, & Suetonius in Caligulâ, cap. 19. his verbis: Novum præterea, atq; inauditum genus *Pons Puteolanus Caligulæ Imperat.*

spectaculi excogitavit. Nam Baiarum medium intervallum & Puteolanas moles, trium millium & sexcentorum ferè passuum, ponte coniunxit, contractis undiq; onerarijs navibus, & ordine duplici ad ancoras collocatis, superiectoq; aggere terreno ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultrò citro commeavit biduo continenti &c.

Detinent hìc *peregrinum spectatorem* non immeritò tanta rerum miracula, passim occurrentia. Nam exeuntibus ad littus, apparent à longè, tanquam alti in undis tumuli, vel colles aliqui, Gigantea veteris portus opera; Pilæ nimirum vastissimæ, XIII. turrium quadratarum instar, è mari exurgentes, fornicibus densissimis connexæ pontis in formam quondam omnes quæ fuerunt. Nunc verò tempestatibus, ac vetustate, structuræ tam stupendæ soliditas divulsa est, & concamerationes collapsæ, multis in locis pilas ab invicem separârunt, ut ab unâ nunc in aliam non pateat transitus. Universum opus lateritium est, testudinesq; spissas ac fornicatas è lateribus coctis in quadrum bipedalis latitudinis citius credere est terræmotum quam fluctuum vehementes impetus dissolvisse. Latissimi pontis formâ procurrisse constat in Mare, & circumflectendo se nonnihil arcu in modum, littus atq; Auernum respexisse; Atq; ita defendisse portum, adversus tempestates & æstus aperti Maris; cuius impetum periculosum spissitudo pilarum facilè coërcebat. Fornicibus idcircò concavum ac pervium opus, antiquitas fecisse videtur, ut fluxu atq; refluxu continuo, limum expurgarent undæ marinæ, quem rivi & aquæ pluviales, è continenti & vicinis collibus defluentes in portum ingerunt; qui alioquin congestus ibidem, annorum paucorum intervallo profunditatem illius adimpleret, nisi per meatus undæ, inter pilas ingruentes, limum ac terram è solido Maris fundo discuterent & everrerent; Quod sanè vitium in Neapolitano portu & in multis alijs aggere continuo septis, nunc primùm agnoscitur.

Portus antiquus Puteolanus.

Cæterum cum *pulveris Puteolani* hinc inde apud Autores, ob raras eius virtutes, frequens fiat mentio, placuit ex Vitruvij

lib. 2.

lib. 2. cap. 6. hæc paucula saltem de eo hic adjicere verba; Est etiam genus pulveris, inquit, quod efficit naturaliter res admirandas: Nascitur in regionibus Baianis, & in agris municipiorum, quæ sunt circa Vesuvium montem, quod commixtum cum calce & cæmento, non modo cæteris ædificijs præstat firmitates, sed etiam moles quæ construuntur in Mari, sub aquâ solidescunt &c.

509. Porrò in sinu Puteolano conspicitur etiam *Caprea Insula*, vulgò *Caprij*, ultra Surrentum Campaniæ Urbem circiter passuum octo millia sita, coturnicum multitudine nobilis, quæ ex Italia volantes, illic principio Autumni capiuntur; in quam Tiberius Cæsar, cum plebis conspectum fugiens solitudinem quæreret, se recepit, Tacitus memorat lib. 4. Annal.

Illud silentio prætereundum non est, quod in eo loco agri 510. Puteolani, quem *Tripergulam* vocant, & juxta quem *Academia* seu villa *Ciceronis* olim multorum opinione fuit, ante paucos annos patrum memoriâ, nimirum Anno Christi 1538. in fine mensis Septembris cum ferè biennio totus ille regionis tractus crebris terræmotibus fuisset concussus; Mons quidam eruperit *Mons* è terrâ, qui adhuc extat, & in ambitu circiter quatuor millia pas- *Novus.* suum continet; De quo Simon Portius Philosophus Neapolitanus ita scribit: Puteolorum regio fuit biennio ferè magnis terræmotibus agitata, ut nulla in eâ superesset domus integra, quæ proximam minabatur ruinam. At die 27. & 28. Septemb. Anno Christi 1538. perpetuis diebus & noctibus terra est commota; Mare passibus fere 200. recessit, quo loco Accolæ ingentem piscium multitudinem ceperunt, & aquæ dulces erant. Die verò 29. magnus terræ tractus qui inter radices montis *Gauri*, (quem *Barbarum* vulgò appellant) & Mare juxta Avernum jacet, sese erigere videbatur, & montis subitò nascentis imitari figuram. Eo ipso die, horâ noctis 2. hic terræ tumulus aperto veluti ore, magno cum fremitu, miros evomuit ignes, pumices, lapides, cinerisq; fœdi tam magnam copiam, ut quæ adhuc extabant Puteolorum ædificia operuerit, herbas omnes texerit, arbores fre-

gerit, pendentemq; vindemiam, ad sextum usq; lapidem in cineres verterit, aves & nonnullas quadrupedes bestias interemerit. Fugientibus per tenebras Puteolanis cum natis & uxoribus, magno eiulatu Neapolim sese recipientibus, cinis propè voragineus erat siccus, longè verò lutosus & humidus cecidit. Sed quod omnem superat admirationem, mons circum eam voraginem, (nunc dicitur *Mons novus*) ex pumicibus & cinere plusquam 1000. passuum altitudine, unâ nocte congestus aspicitur, in quo multa inerant spiramenta, è quibus nunc duo supersunt, alterum juxta Avernum, alterum in medio montis. Averni magna pars operta cinere. Balnea ita tot seculis celebrata, quæq; tot ægris salutem præstabant, cinere sepulta jacent; Durat hoc incendium usq; ad hanc diem, cum aliquâ tamen intercapedine. Hactenus Portius. Præcesserunt hunc montem per aliquot dies, continui terræmotus, ut ante dictum, & incendia materiæ sulphureæ, illiusq; liquoris, quem vulgò *Oleum Petræ* vocant. Postea excrescente igne in justam flammam, & materiâ aliquantulùm consumtâ, secutæ sunt eiaculationes cinerum & lapidum, importunissimi venti, & tanta aëris perturbatio, ut tota Mundi machina ruitura videretur.

Porrò mons iste *Tripergulanum vicum* peramplum, cum
511. celeberrimis balneis, penitus absorbuit & *lacum Lucrinum* totum, à lucro, propter multitudinem piscium, qui ibi capiebantur, sic dictum, Averniq; magnam partem saxis, cineribus, & terrâ complevit. *Lacus Lucrinus.*

512. Ad *Lacum* verò *Averni* quod attinet, is veluti in secessu quodam est, collibus verius quam montibus septus, figuræ orbicularis iustæ magnitudinis, in quo nautæ negant fundum reperiri posse. Accepit autem nomen, à gravissimo exhalationum odore, qui ex ipso ascendit, & avibus perniciosissimus esse dicitur, ut Virgil. 6. Æneid. annotavit, cum ait; *Lacus Avernus.*

Inde ubi venêre ad fauces graveolentis Averni
Tollunt se celeres; *Et paulo post:*

Quam

Quam super haud ullæ poterant impune volucres
Tendere iter pennis; talis sese halitus atris
Faucibus offundens supera ad convexa ferebat,
Vnde locum Graij dixerunt nomine Avernum.

Mare mortuum nunc appellant Av.rnum, quod eius faucibus oppletis arena stagnum vel palus videatur;

Est autem Averno vicinum, & ut Virgilius ait 6. Æneid. ad sinistram lacus:

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in Antrum, *Antrũ*
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum, *Sibyllæ*
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ. *Cumeæ.*

513. Et paulò pòst eodem lib:

Talibus ex adito dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroq; remugit
Obscuris vera involvens &c.

Descendendum ad radices montis, ubi tenebrosus ingressus in specum, in quem nos funalibus accensis ingrediebamur, Mercurium nostrum sequentes. Erat is ingressus initio satis latus & altus, pòst aliquantò fiebat angustior, tandem rursùm se dilatabat in planitiem, cuius longitudo LX. passuum ferè, latitudo X. Inde via in concamerationes aliquot miras, & centùm illis superioribus prorsùs dissimiles; maiores enim sunt & altiores. Prætereà alio ordine, & inæquali soli planicie inter se distant, habent aditus nunc acclives, nunc declives, parietes vetustate corruptos & squalidos, unde totus locus aspectu horridus. Est inter has sive cellulas, sive concamerationes una, quam Sibyllam inhabitasse perhibent, quadratâ formâ olim Musejario opere ornata, ut Bacchi templum juxta Romam. Ac licet tesserulæ emblematum omnes propemodum inde exemptæ sint, ab his qui cognoscendarum antiquitatum studio istic fuêre; conspiciuntur tamen in eâ adhuc passim vestigia quædam veteris ornatus, quo argumento moti, Sibyllæ eam tribuunt; quia omnium elegantissima est, & loco Averni vicina, undiq; conti-

nua cæteris cellulis, unico ostiolo patens. E regione autem ostij arcus est in muro vel pariete, eâ formâ ac si caminus fuisset, qui tamen eo in loco esse non potuit. Porrò ex hâc cellulâ itur in aliud conclave quasi in aululam quandam, cuius longitudo passuum circiter viginti duorum, latitudo octo; in quâ cum tantam copiam vespertilionum inveniremus, ut glomeratim parietibus adhærerent & conspecto funali nobis molesti essent, pedem inde retroferre cogebamur, eademq; viâ reverti, quâ ingressi eramus has sive cellulas sive concamerationes. Mirum autem quantum illæ iudicium spectatorum perturbent, ut vix idæam aliquam totius huius ædificij mente concipere possint; Erant harum quoq; haud exiguus numerus in istâ cellulâ, quam ob copiam aquæ, quæ ibi reperitur, *balneum Sibyllæ* vocant. Cæterum sunt in his cellulis interdum parietes intermedij, in parte superiore aperti, & in aliquibus illarum reperitur subinde terra congesta, ut in alijs centum cellulis, de quibus paulò post dicendum erit. Verùm, totum hoc ædificium medio in monte extructum, lumine cælesti planè caret; itaq; nullâ conjecturâ, nullis argumentis assequi potuimus, quidnam aliquando fuerit, aut in quem usum constructum.

Hæret adhuc nunc temporis opinio apud Campanos atq; vulgus imperitum, ab Averno, vel inferis istâc, *Christum Servatorem nostrum*, morte per mortem domitâ *retulisse spolia opima*; sanctorumq; patrum animas ex infernis carceribus extractas per montem, Averno & novo Monti vicinum traduxisse, qui propterea *Christi Mons* nunc etiam appellatur. Suffragan- *Mons*
514. tur huic opinioni veteres, item Poëtæ quidam de balneis *Christi.*
Puteolanis scribentes, ut Alcadinus;

Est locus, effregit quo portas Christus Averni,
Et Sanctos traxit lucidus inde Patres.

Item Eustasius de Matera;

Est locus australis, quo portam Christus Averni
Fregit & eduxit mortuus inde suos.

Quin-

Quinetiam creditum fuit, ob propinquas circumquaq; ferventium aquarum scaturigines, lacum istum ex aquis Stygijs vel infernis Acherontis fluvij venis ortum suum habere, ideoq; vocari quoq; paludem Acherusiam; Nec ab eadem opinione Maro Poëta discrepare videtur canens;

Quando hic inferni ianua Regis
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso.

Sed hanc auxêre vanam credulitatem tam locorum conditio, quàm naturæ rara miracula vulgò stupenda; quod abruptis ferè montibus cinctus in profunda valle lacus olim sylvarum densitate tenebrosus, horridus & incultus, accessum vix admitteret, ventisq; difficulter pervius, tetros ab imo sulphureosq; exhalaret odores, quibus supravolantes aves, ut suprà dictum est, enecabantur;

515. Extra hæc montium aut collium septa, quæ Averni lacum ambiunt, Puteolos versus, Academia Ciceronis villa olim fuit, porticu & nemore insignis; nunc eo in loco sunt Thermæ eiusdem *Ciceronis* nomine celebres. Cœperunt autem hæ post obitum illius, sub Antistio quodam successore, in eâdem villâ; olim i bagni di Frittole à frictione seu fricando, nunc di Tritole corruptè vulgò dictæ; quas versibus celebravit Laurea Ciceronis libertus in honorem patroni, ut Plin. Natur. hist. lib. 31. cap. 2. scribit his verbis: *Digna memoratu villa* est àb Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore, quam & vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis, in quâ & monumentum sibi instauraverat, ceu verò non & in toto terrarum Orbe fecisset. Huius in parte primâ exiguo post obitum ipsius, Antistio vetere possidente, eruperunt fontes calidi perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureæ Tullij, qui fuit è libertis eius, ut protinus noscatur etiam ministerium eius ex illâ maiestate. Ponam enim ipsum Carmen dignum ubiq; & non ibi tantum legi;

516.

Academia Ciceronis Villa.

Thermæ Ciceronis.

Quo

Quo tua, Romanæ vindex clarissima linguæ,
Sylva loco melius surgere jussa viret;
Atq; Academiæ celebratam nomine Villam,
Nunc reparat cultu sub potiore vetus;
Hic etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore levant;
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit; hâc fontes nunc patefecit ope,
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis, quæ medeantur aquæ.

Situs harum Thermarum amœnissimus est, & ad radicem collis domus aliquot positæ, aliæ alijs elegantiores, plæræq; humiles, & bonâ ex parte desertæ; Mense tamen Maio incoluntur; Confluit enim tum temporis ad eas magna multitudo hominum, sanitatis conservandæ caussâ, vel etiam recuperandæ, eò quod saluberrimæ sint propter varietatem metallorum, sulphuris, nitri, salis ac bituminis, quo titulo etiam Plinius præallegato loco eas commendat, & addit quasdam solo vapore prodesse.

517. A Ciceronis Academiâ non adeò procul distitam fuisse Romanorum doctissimi M. Terentij *Varronis Villam*, ex Academicarum quæstionum exordio colligitur, sed locus ubi fuerit, ignoratur. *M. Varronis Villa.*

518. Distant à Thermis Ciceronis *Cumæ*, tertio propemodum lapide, de quâ quidem Urbe verè dici potest id, quod in proverbio est; Cuma fuit. Nam ex tam amplâ ac celebri Urbe nihil ferè nunc restat, præter ruinas, quas pauci aliquot piscatores inhabitant, & monumenta quædam, sed vetusta admodum ac consideratione digna, præsertim in eo loco, quem *Locavallo* vulgò nominant. Est ibi arcus triumphalis satis integer, & *templum Apollinis*, de quo ita Virgil. 6. Æneid.

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendaq; procul responsa Sibyllæ &c.

Livius testatur lib. 8. Decad. 1. hanc Urbem à Cumæis Euboiæ populis & Chalcidensibus extructam; Strabo vero lib. 5. non tam ab eo seculo illam commendat, quo strui cepta est, vel ab ipsis fundatorib⁹; quàm à monumentis & Antiquitatibus. Ait enim sumtu atq; copiâ præcelluisse omnibus alijs Siciliæ & Italiæ Civitatib⁹; Quo minus falsum illud est, quod Blondus scripsit, unâ Româ exceptâ nullibi in Europâ reperiri tot sumtuosissimorum ædificiorum ruinas, quot intra Cumam & Baias; Nec dubiũ quin opulentiss. ac populosissima olim hæc Urbs fuerit. Constat enim Parthenopen vel Neapolim ex eâ cepisse missis inde in hanc civibus, ut suprà videre est. Sed placuit hic Iacobi Sannazarij de Cumarum ruinis sequentes asscribere versiculos, ex lib. 2. Elegiar.

Hic ubi Cumeæ surgebant inclyta famæ
Mœnia, Tyrrheni gloria prima Maris;
Longinquis quo sæpè hospes properabat ab oris,
Visurus tripodas, Delie magne tuos.
Et vagus antiquos intrabat navita portus
Quærens Dædaliæ conscia signa fugæ;
(Credere quis quondam potuit, dum fata manebant?)
Nunc sylva agrestes occulit alta feras.
Atq; ubi fatidicæ latuêre arcana Sibyllæ,
Nunc claudit saturas vespere pastor oves.
Quæq; prius sanctos cogebat curia patres,
Serpentum facta est, alituumq; domus.
Plenaq; tot passim generosis atria ceris,
Ipsa suâ tandem subruta mole jacent.
Calcanturq; olim sacris onerata trophæis
Limina; distractos & tegit herba DEOS.
Tot decora, artificumq; manus, tot nota sepulchra,
Totq; pios cineres una ruina premit.
Et jam intra soliuq; domos, disjectaq; passim
Culmina setigeros advena figit apros, &c.

Cæterum nos his ruinis relictis continuum montium tractum in eodem litore sequentes, pervenimus ad montem, in quo
519. iterum *thermæ* erant. Is cum intus haud dubie vehementer ardeat, foris tamen nihil tale præ se fert. Ingrediebamur autem in ipso, primùm amplam & præaltam *Cameram*, cuius parietes & fornix antiquo & vermiculato opere olim ornata fuêre, id quod reliquiæ illius testantur. Habet hæc Camera aditum satis amplum, & intus ad utrumq; parietem *lectisternia murata*, quibus pulvinaria imponuntur, ut qui lavarunt, in ijs quiescant. In ipso porrò ingressu duo labra quadrata, & è regione ipsas thermas duos pedes profundas egregiè temperatas, nullius gravis odoris, nec quicquam sulphuris habentes, sed nitrosas & aluminosas tantum. Est autem specus patula, è qua aqua erumpit, tam commodè excavata, ut plures simul in eâ lavare queant; verùm quanto longiùs in eâ proceditur, tanto ferventior est ipsa aqua. Ferunt *hæc balnea saluberrima* esse, præterquam quod amœna quoq; sunt propter vicini Maris undas, è quibus murmura & susurri gratissimi excitantur. Extra hanc specum *scala* est, plus minus XX. graduum, per quos obliquè ascenditur *ad sudatorium*, sic enim vulgari linguâ vocant. In illud ingressus patet, antri instar, satis altus, non tamen latus, lumen cœli passim per foramina excipiens, ut sine tædâ vel face in eo progredi aliquantulum possis. Inde duplex via, quarum illa quæ ad sinistram est, multa lectisternia muralia continet; eiusdem utilitatis cum superioribus, & tota protenditur in montis latus, ac in præruptâ quâdam eius parte desinit; altera ad viscera montis inclinat, ut verisimile sit in ardentissimis ipsi⁹ cavernis eam desinere. Nos accenso funali tantum progrediebamur in ea, quantum præ calore poteramus. Ac initio quidem solummodo teporem quendam sentiebamus, pòst ulterius in eâ progredientes calorem magnum, qui cum superiora peteret, mirè offendebat caput, atq; eò magis, quò progrederemur longius, ut humi aliquantisper repere cogeremur. Cùm igitur sudore propemodum difflueremus, licet omnibus vestibus exuti, ac funale nimio

Thermæ.

æstu

æstu liquesceret, pedem retroferre cogebamur; & eâdem viâ quâ ingressi eramus, reversi, in inferioris partis huius montis balneis, de quibus paulò antè dictum est, nos abluebamus.

520. Porrò intra hunc locum & Puteolos est *Fons aquæ dulcis*, in ipso mari, non procul à continenti adhuc exiliens cum impetu vehementi, cuius scatebra in fundo pelagi tranquilli ex arenis emicans spectaculo semper est, & ingentem cunctis præbet admirationem.

Non procul abhinc venimus ad *Viam Attellanam*, de quâ sciendum, esse eam ab utrâq; parte plenam collapsarum tabernularum, quarum forma partim quadrata, partim rotunda; & sunt in his tabernulis testudines vel arcus, in quibus loculi & urnæ conspiciuntur, ut conijceremus illa ædificia olim sepulturæ destinata fuisse, quamvis accolæ illius loci in eum usum illa extructa dicebant, ut res venales in ijs haberentur, & ex ea per-
521. suasione, vulgari linguâ vocant, *Il Mercato de Sabato*. Certum enim est demortuorum hominum corpora apud veteres comburi solita, & cineres in urnas reconditos. Illud mirum, quod quidam è socijs nostris, ex urnâ quadam eximebat partem cranij capitis humani miræ densitatis. Nam indicium erat, non cineres tantùm, verùm ossa quoq; cadaverum aliquando in hisce loculis conservata fuisse, postquàm caro illorum à Sarcophagis consumta esset. Erat ista cranij portio, contactu initio satis dura, quàmprimum verò aërem sentiret, mollescebat, & tandem in pulverem resolvebatur. Putant tamen nonnulli hunc locũ fuisse Circum, in quo olim *dies Minervæ festivi* celebrabantur, quorum solemnitas quinq; erat dierũ, cum post Iduum Martiarum diem, qui ater habebatur, cepisset, unde *appellatio quinquatriorum* facta est, quasi quinq; ab atro die; Solebant per eos dies adduci & invitari in ludos Scholastici, ac donari præmiolis, quemadmodum ex Ovidio apparet lib. 3. Fastor; Quinquatria festum Minervæ.

Discipulos attrahit illa novos.

Quæ consuetudo in quibusdam Germaniæ locis in diem

D. Gregorio sacrum rejecta est; Eo enim propemodum tempore *Quinquatria Romæ* & alibi celebrata fuerunt.

522. Inde digressi pervenimus ad *Centum Cellas*, vulgò *Cento Camerelle*, qui locus sic dictus, quod nihil aliud præter cameras vel cellulas in se contineat, unâ subinde in alias ducente. Situs eius in colle est hodiè. An autem olim quoq; fuerit, dubitari posset propter ruinas & fornices, quorum aliquot seiuncti sunt à reliquâ structurâ ædificij, ut vero simile sit, multò capacius fuisse & elegantius. Has igitur ingressi ruinas, iterum pervenimus ad ædificium amplum quadratum ac columnis quadratis ordine quadruplici constructum; ad quarum unam foramen erat, per quod dux noster inspectionis harum antiquitatum se demittebat, ut nos in eo exciperet & descensuris opem ferret. Tum verò in ambitum quendam veniebamus plenum cellulis, ut vocant, quæ ipsæ quoq; omnes formâ quadratâ erant, sed aliæ alijs capaciores. Inde in alias cellulas & ambitus patebat via; distinguebatur enim pluribus anfractibus ipsum ædificium. Erat præterea adeò intricatum propter similitudinem cellularum, ut non sine causa quidam putarint, olim Labyrinthum fuisse, è quorum numero est Antonius de Russis Calaber, quem tamen existimo formâ potius commotum, ut ita sentiret, quàm alijs circumstantijs. Nos aquarum conservandarum causa factas eas esse iudicamus; Nam per concamerationum testudines spiracula & foramina sunt, per quæ tanquam è puteis aqua in usum quemlibet hauriri poterat.

Ad sextum ab Urbe Neapolitanâ lapidem, vidimus etiam
523. locum, quem Itali vulgò, *La Piscina mirabile* vocant. Ingrediebamur molem quandam grandem, oblongam, quadrangularem, ac fornicatam, ut ita dicam, & templi formam præ se ferentem: Habebat in longitudine quatuor ordines columnarum quadratarum, quibus fornices sustinentur; & quilibet ordo continet columnas XII. ut sint numero XLVIII. diversæ magnitudinis & figuræ. Quod cum mirum videretur his, qui unà mecum has antiquitates perlustrabant; nihil mirum est, inquam,

cum

cum gravissimi autores literis mandârint, *Dianæ Ephesinæ templum* CXXIII. columnas habuisse, quarum quælibet LX. pedes alta esset. Descendebamus autem duobus gradibus undiq; continuis; sed fenestræ nullæ aderant, nec ullum aliquod illarum indiciũ; lumen Solis tamen hinc inde per rimas incidebat, alioquin ædificium ipsum satis erat integrum. Itaq; ne divinare quidem licebat, in quem usum olim extructũ fuisset, multò minus asseverare. Sunt qui putant fuisse Piscinam, cùm ex formâ illius loci, tùm ex Plinio, qui scribit Natur. hist. lib. 9. cap. 55. apud Baulos in parte Baianâ piscinam habuisse Hortensium Oratorem pro murenis, quarum unam adeo perditè dilexerit, ut exanimatam deflesse credatur. Blondus Luculli domum fuisse existimat. Alij scribunt Antoniam uxorem Drusi, murenis illud ædificium extruxisse. Quanti autem piscium vivaria, & inprimis murenarum à veteribus æstimata fuerint, ex probatissimis authoribus intelligi potest, & conjecturam intuentibus auget, quod in ipso Monte seu colle potius, illa adhuc conspiciuntur, quæ apud eundem Plinium, in allegato lib. 9. cap. 54. leguntur, dum ait; Veteres, ut Lucullum & Hortensium, montes summis impensis excidisse, quo Mare admitterent.

524. De *Marij villâ* suffragatur idem Plinius Natur. hist. lib. 18. cap. 6. Posuit, inquit, in Misenensi villam C. Marius septies Consul, sed peritiâ castrametandi, sic ut comparatos ei cæteros, etiam Sylla Felix cæcos fuisse diceret. Hæc à Lucullo possessa & ampliata fuit, Miseno proxima, quâ classis portum spectat; Scribit ita de hâc villâ Plutarchus in vitâ Luculli, Vitar. Tom. 2. Iam illa in orâ Maris, & apud Neapolim ædificia, cum exhaustâ infernè terrâ Colles pensiles effecisset, cursusq; in Mari, & piscolos transitus ædibus suis circumduxisset, habitationes in Mari extruxisset ut inspexit Tubero Stoicus, Xerxem eum togatum nominavit. Habebat & in Tusculano habitationes, ex quibus tanquam speculâ, circumspicere vicina poterat, cubiculis & ambitionibus apertis; In eas cum Pompeius venisset, reprehendit Lucullum, quod ad æstatem optimè accommodasset

C. Marij Villa, posteà Luculli.

ædes, sed ita ut hyeme habitari non possent: Cui Lucullus subridens; Adeonè, inquit, minus tibi Gruibus & Ciconijs sapere videor, ut non possim secundum anni tempus locum mutare? Hactenus Plutarchus. Suetonius in Vita Tiberij, cap. 73. memorat; Tiberium Cæsarem ingravescente vi morbi retentum paulò post obijsse in Villà Lucullianà, octavo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo Imperij, decimo septimo Calend. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, & C. Porcio Nigro Coss. Fr. Leand. in descript. Ital.

525. C. *Julij Cæsaris* autem *Dictatoris Villa* supra Baias in monte fuit, quod ex Taciti verbis colligitur, qui XIV. Annalium scribit; Agrippinam occiso Nerone, tandem domesticorum curâ, levem accepisse tumulum, viam Miseni propter & villam Cæsaris Dictatoris. Et visuntur adhuc eius insignia fundamenta supra Templum Veneris, cuius ruinæ suum vetus nomen adhuc retinent. *C. Iulij Cæsaris villa.*

526. *Magni Pompeij villam* locant in monte tertio, inter Avernum & vicinum Sudatorium Tritulinum, aiuntq; restare cognominis vestigia in loco, & repertam ibidem olim esse Pompeij Magni statuam; Scipio Mazzella de Antiquit. Puteol. cap. 21. Hercul. Prodic. &c. *Pompeij Magni villa.*

527. Visu dignum in hoc tractu quoq; est *Miseni Promontorium*, Virgiliano carmine celebriumq; auctorum scriptis famosum & immortale. Mons ille procurrens in Mare, sicut olim, ita nunc etiam, cryptis atq; cavernis multis pertusus, atq; concavus est, ut admodum apposite Poëta ingeniosus ac locorum illorum gnarus, *Aërium* prius appellatum fuisse canat, quasi propter meatus & concavitates ventosum. Insuper sub eodem, mortuo & immolato ad Avernum, ut Servius tradit, Miseno tubicini, remigiq; suo sepulchrum Æneam posuisse, qui inquit Æneid. lib. 6.

Imponit suaq; arma viro, remumq; tubamq;,
Monte sub Aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumq; tenet per secula nomen.

Insinu-

Insinuans & designans per remum ac tubam, montem illum celebrem perpetuò futurum, propter Classem atq; bellicarum navium stationem, quam ibi juxta Misenum Augustus Imperator ad tutelam Maris inferi Mediterranei tunc collocaverat primùm. Accommodavit stationem illam M. Agrippa, sicut à Dione memoratur, bello Siculo contra Sex. Pompeium, Præfectus Classis ab Augusto factus, atq; in eo sinu Maris posuit, qui inter Misenum & Cumas collibus cinctus instar lunæ corniculatæ incurvus & inflexus erat; loco nimirum capacissimo, vel maximè Classi opportuno, propter vicinos Maris sinus triplices ab altero Miseni Latere, inter Baias & Puteolos ingruente; Baianum videlicet, Lucrinum & Avernum lacus; quædam Maris otia pulchrè nuncupatos à Luc. Floro lib. 1. cap. 16.

528. Iam vero tandem BAIAS, Campaniæ civitatem pervenientes, à Baio Vlyssis socio illic sepulto sic nuncupatas, vidimus earundem Antiquissimarum pulcherrima fundamenta plæraq; pelago demersa in undis. Oppidi vix ullæ in continenti reliquiæ, balneorum atq; thermarum cavernæ & ædificia vetusta, & admirandi operis extant circumquaq; in vicinis montium clivis & radicibus. Interim multæ structuræ in cineribus incendiorum sepultæ jacent, multæ vastis terræmotuum voraginibus absorptæ sunt. Portus Bajani veteres pilas ex cocto latere maximas Puteolanæ molis instar, sumtibus immensis factas, inter fluctus scopulorum extantes formâ vidimus; sicut & claustrorum moles ac fundamenta, quæ quondam piscosos, Lucrinum Avernumq; lacus, adversus aperti Maris tempestates muniebant: Ab

529. Hercule primum *aggerem* iactum ferunt, longitudine stadiorum octo, latitudine qua duo vehicula commeare poterant, ut Strabo testatur, cum Geryonis boves traducere vellet. Grata posteritas illum ad Baulos propterea templo rotundo coluit, cuius adhuc ostenduntur reliquiæ, quemadmodum & Veneris & Dianæ templorum; Nos his ruinis relictis cymbam tandem nostram conscendimus, Puteolos reversuri. *Herculeus agger.*

530. Hic inter navigandum, viam silice stratam vulgò *Via Si-* *Via Silicata*

licata di Selci, quæ in hodiernum usq; diem pacatis & consisten- *licata di Selci.*
tibus undis passim in fundo cernitur, vidimus, cum olim isthac terrâ transiretur, ubi nunc navigio proficisci oportet; Postea nobis sese offerebant præalti montes, ad quorum radices erant con-
2 tinuæ ædificiorum ruinæ, unde facilè conijciebamus, eo in loco ingens oppidum aliquando fuisse, sed frequenti terræmotu dejectum & desertum ab incolis. Apparebat enim expressa figura devastatæ Urbis vel oppidi, vepribus & arbustis iam frondescentis; pauca ædificia inhabitabantur à pauperibus quibusdam naviculariis quod portus ibi satis tutus sit. Hæc cum videremus, venit nobis in mentem id, quod alicubi Servius Sulpitius ad Ciceronem scribit, cum ex Asiâ aliquando reverteretur, & ab Ægina Megaram versus navigaret, cadaveribus Oppidorum se circumdatum fuisse. Erant enim ante nos vestigia illius Civitatis, de quâ modò dictum est, à tergo Cumæ, ad alterum latus Baiæ, nec longè aberant Puteoli, quæ oppida cum quodam tempore florentissima fuissent, nunc prostrata jacent ante oculos. Itaq; mirabamur conditionem ac fortunam rerum humanarum, & cogitabamus, quid de nostris regionibus aliquando futurum esset, quæ neq; ita excultæ sunt, neq; tantis opibus refertæ, neq; famâ adeò celebres, ut istæ olim; eò facilius eas posse interire. Memineramus etiam illius, quod Pyrrham & Antissam Urbes circa Meotim, Elicem & Buram in sinu Corinthio Pontus abstulerit, quarum vestigia nunc in alto apparent, ut inquit Plin. Natur. hist. lib. 2. cap. 92. Et noti de his sunt versus Ovidij;

Si quæras Helicem & Burin Achaidos Urbes,
Invenies sub aquis; & adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

Evidens hoc argumentum fragilitatis humanæ, & quàm nihil stabile nec perpetuum sit in vitâ.

Cœnæ. *Neapolis*, de qua suprà. 8.

14. 531. Vidimus *Sepulchrum P. Virgilij* Maronis, faucibus Montis Pau-

tis Pausilypi, quæ Neapolim spectant, planè vicinum, imò contiguum, sub quo *laurea* sua sponte crevit; Inscriptio verò eius monumenti, quæ à Canonicis Regularib. renovata, hæc est:

Qui Cineres tumuli hæc vestigia conditur olim
Ille hoc qui cecinit, pascua, rura Duces.

Con. Reg. M. D. LIIII.

Ac verosimile est eo in loco Maronem sepultum fuisse in Sacello quodam, quod adhuc superest, sed versus in eo deleti sunt, ut hinc inde ex ijs vix literam aliquam agnoscas, monumentum verò nullum conspicitur, unde veritas manifestè depræhendatur. Suffragantur tamen huic nostræ sententiæ, plura veterum Poëtarum testimonia, nempe quòd Virgilius, cum Brundusij moreretur, corpus suum huc transferri ac sepeliri hìc voluerit. Servius Commentator illius, altero lapide à Neapoli viâ Puteolanâ propè fauces perfossæ per Pausilypum cryptæ monumentum eius fuisse scribit. Locum nunc ostentant accolæ, monstraturq; è vicinis hortis S. Severini. Monachi dicunt fuisse supra sepulchrum statuam æneam, astu sublatam à Mantuanis, & ab illis adhuc hodie asservari, quod an verum sit, dubium est. Visitur quidem Mantuæ inter alia rara, antiquissima statua, cui prædicti versus insculpti sunt, sed an illa aliundè eo translata sit, nec ne, quoq; in ambiguo est. Scribunt pari modo Ennio Poëtæ olim à Scipionibus statuam fuisse positam.

532. Non procul inde à Pausilypo, *Actij Synceri Sannazarij Poëtæ*, Virgilij æmuli, *domus* visu digna, quæ ex testamento in Cœnobium versa, Templum habet B. Virgini dicatum. Est ibi *marmoreum Sepulchrum* affabre sculptum; Hinc Orpheus seu Apollo; illinc Sibylla sive Musa, è marmore condidissimo, cum hoc Petri Bembi Cardinalis Epigrammate.

D. O. M.

Da sacro cineri flores, hic ille Maroni
Syncerus Musâ proximus, ut tumulo.

Vixit An. LXXII. obijt, Anno cIↄ. Iↄ. XXX.

18. *Neapoli*, mulis conductitijs discessimus,

Cœnæ. *Capua*, de qua suprà. 16.

Prandij. *Cascano*, de quo suprà. 15.

19. Cœnæ. *Mola*, de qua suprà. 20.

Prandij. *Fundi*, de quo suprà. 10.

20. Cum in reditu ulterius profecturi, sumto prandio hoc oppido egrederemur, *telonij custodes*, eo loci à Rege Hispaniarum constituti, nos ante portam præstolabantur, exploraturi, num quid de rebus extra Regnum hoc evehi prohibitis, nobiscum haberemus? Sedulâ autem inquisitione habitâ, cum nihil tale reperiri posset, tandem nos dimittebant. Accesserant nobis in hoc reditu comites itineris *Abrahamus à Bibran de Kitlitztreben* Nobilis Silesius, & *Ioannes à Kotteritz*, Nobilis è Marchiâ Brandeburgensi, quartanâ tum fortè febri laborans, quam cum uni ex telonij custodibus, ipsius reculas nimis diligenter perscrutanti, donarij loco offerret, Italus autem hanc additâ humilimâ

Cœnæ. gratiarum actione recusaret, nobis omnibus risum movebat.

21. *Privernum*, de quo suprà. 22.

Prandij. *Sarmoneta*, de qua suprà. 12.

Cœnæ. *Velitræ*, de quibus suprà. 15.

Prandij. 533. FRASCATO, vulgò, Oppidulum ad radices Apennini 12.

22. Montis situm, in quo Paulus III. Romanor. Pontifex, magnis sumtibus splendidum extruxit Palatium, quo se, præsertim æstatis tempore, quiescendi à laboribus & negotiorum fluctibus, ac refrigerandi potissimum caussâ, quasi in portum tranquillum recepit. Plæriq; autumant, Lucullanam hic olim fuisse villam, nec longè abhinc distantem agrum Tusculanum, M. Tullij Ciceronis quæstionibus Tusculanis immortalem.

Cœnæ. *Roma*, de qua suprà. In Sacrario Pontificis Palatio Vati- 12.

23. cani vicino & Templo D. Petri adiuncto fuimus.

Prandij. 534. TIBUR, vulgò *Tioli* vel *Tivoli*, Civitas in Sabinis, deci- 16.

24. mo sexto ab Urbe lapide, crebris fontibus irrigua, & singulari

aëris

aëris temperie commendata. Ovid. 4. Fastor. origine Græca, à Tiburto, Catillo, & Corace Amphiarai Vatis liberis, post prodigiosum patris ad Thebas interitum communiter condita, & à Tiburti nomine, qui ex tribus natu maximus erat, Tibur appellata. *Perlustrandi hìc sunt* sumtuosissimi illi *horti*, quos Hippolytus Atestinus Ferrariensis Cardinalis amplissimus ibidem in clivo montis, cum permagnifico Prætorio, statuis antiquis, picturis, & regiâ prorsus supellectile pleno, ante annos aliquot instruxerat, prisci luxus & splendoris ad imitationem.

Horti singuli in classes pulcherrimè distributi suis hemicyclis exedris & peristylijs ornatissimis sparsim distinguuntur; adeò ut ab una parte in aliam inambulantibus per ambulacra frondibus concamerata, pergulasq; & vias, hedera semper virenti tectas, inter spirantium atq; ridentium undiq; florum atq; herbarum plagas, mirificam præbeant speciem, varietateq; sua detineant atq; morentur omnium animos & oculos, dum interim nec satiare spectatorem infinita statuarum ac fontium miracula possint. Cernuntur deniq; in arborum ramis avicularum canorarum imagunculæ plures, quæ velut automata quædam plaudunt alis, cantillantq; concentu dulcissimo, quasi vivæ, per ramorum secretas fistulas arte hydraulica, ventis & aquarum motu concitatæ. Cum autem artifice procurante, prodit in conspectum ex latibulis bubo, subito conticescunt omnes, & eodem postea subducente, concinnunt deniq; suaviter. Miraberis quoq; ibi hydragulum, multis fistulis politissimis compactum organum, quod non follibus, sed aquis agitatum, reddit permultiplices sonos, musicum concentum artificiosissimum.

Visu quoq; & admiratione dignus inprimis hìc est præceps *Anienis fluvij* ex altis rupibus *lapsus*, & ut secundum illud Poëtæ. Anienis fluvij cataractæ.

Præpete cursu
Fument, ac multâ sudent aspergine cautes.

Vix unquam igitur ibi nebulæ, ventiq; desint. Et quemadmodum ascendentes à cataractis in altum nubes sudo sereno;

noq; cælo; sic & in Solem obiectæ irides frequentissimè procul intuentibus apparent. Famâ, veterumq; scriptis fluvius hic celebris est; ex monte Trebanorum oriens, tres amœnitate nobiles lacus, qui & Oppido ipsis subjecto nomen *Sublaceum* dedere, perfluit. Plin. Natur. hist. lib. 3. cap. 12. Sublaqueum dici oppidum, & inde in Tiberim deferri aquas asserit. Inde per montes & sylvas decurrens juxta Tibur, ex editissimis rupibus præcipitatur in subjectos campos, maximo cum fragore, molas aquarias plurimas varijs locis exercens. Alicubi inter scopulos & saxa delapsus, sui magnam partem recondit, quam alibi tamen in descensu largiter revomit. Quin ad montium radices per imam planiciem è gelidis venis sulphureis, per subterranea metalla derivatis spatim erumpit, quas *Albulas* vocant à colore seri lactis, cui similes videntur; Medicâ virtute multa pollere dicuntur, tam in potu quàm balneis, ut Strabo testatur. Plin. Natur. hist. lib. 31. cap. 2. eas vulneribus etiam mederi scribit. Cæterum *coluerunt* inprimis *Herculem* Tiburtes singulari religione, *velut tutelarem* ac Græcanici generis DEUM; cuius festo quotannis die, magna ibidem populi multitudo confluere ad sacra fuit solita; Et Herculis quidem templum autumant illud fuisse periti antiquitatum, quod sub monte ad viam Tiburtinam videtur. Herculis Templa. Fuit & altera ibidem ædes Herculis Saxani, sicut docet titulus antiquus marmori insculptus, qui translatus nunc extat in foro, parieti domus privatæ insertus huiusmodi;

Herculi Saxano Sacrum.
Ser. Sulpitius Trophimus,
Ædem, Zothecam, Culinam,
Pecuniâ suâ, à Solo restituit,
Idemq; Dedicavit, K. Decemb.
L. Turpilio, Dextro, M. Maëcio Rufo. Cos.
Eutychus Ser. Peragendum curavit.

Ædes autem hæc ubi fuerit, obscurum nunc est. Colligunt tamen nonnulli differentiæ caussâ Saxanum Herculem ideo nuncupasse Tiburtes, quod eius ædes in saxo posita fuerit,

non

non secus ac apud Insubres, Mediolani à situ templi, *Hercules in petra*, dictus fuit. Videndum itaq; num quæ adhuc extat in rupe posita non procul à Cataractis ædes rotunda sine tecto, sumtuosi operis, ex marmore atq; artis eximiæ; Saxani sit Herculis & culti ibidem; ut scilicet Anienis alveum compesceret & agros ab inundationibus tueretur. Huius enim DEI in tutelâ terram firmam esse putabat vetustas, qui idcircò colebatur in terrarum finibus propè portus, navalia, fluminumq; præcipitia. Quin & in Prætorio Tiburti, cum cæteris Dijs Hercules, non secus ac Romæ in Capitolio Iupiter, colebatur; nec non inter ordines concilij publici atq; sacerdotiorum, Augustales Herculanei dicti sunt ibidem, & magnæ dignitatis erant; quod ipsum per titulos & Epigraphas ex marmoribus antiquis ibi collectas, abunde probatur; E quibus exemplum unum vel alterum hîc adijcere lubet. Augustales Herculanei.

Tiburi in S. Vincentij sacrâ Æde.
Herculi Tiburt. Vict. & cæteris DIs
Præt. Tiburt. L. Minicius Natalis
Cos. Augur. Leg. Aug. Pr. Pr.
Provinciæ Moesiæ. Infer
Votis Susc.

Ibidem in descensu montis in ipsâ viâ fragmentum; C. Sextilius V. V. Tiburtium Lib. Ephebus Herculanius, Augustalis.

Item in summo templo.
C. Albius, Livillæ, L. Thymetus, Herc. Augustalis.

Illustravit item Tibur antiquissimis temporibus Sibyllarum decima, quam *Albuneam* Latini, *Leucotheam* Græci nominarunt, divinis eam colentes honoribus; ideoq; lucum cum delubro fonteq; propter aquarum albularum eiusdem cum ipsâ nominis illi sacrârunt supra Tibur in montibus, ubi natam, oraculaq; dedisse ferunt; cuius Maro Poëta Æneid. 7. & eius commentator Servius, item Horatius lib. 1. Carm. oda. 7. & eius Interpretes Dionysius Lambinus, & Iacobus Cruquius, mentionem faciunt.

In via quoq; nobis occurrit Plautiorum Sylvanorum in-

gens *mausoleum*, ex saxo quadrato constructum, juxta pontem qui viam antiquam ibi ab utraq; fluminis ripa conjungit.

Hæc verò Elogia mausoleo adscripta sunt: T. PLAVTIO M. F. SILVANO ÆLIAN. Pontif. Sodali Aug. IIIIvir. A. A. A. F. F. Q TI. Cæsaris Legat. Leg. V. in Germania Pr. VRB. Legat. & Comit. Claud. Cæsaris in Britannia Consuli Procasiæ Legat. propræt. Mœsiæ, in qua plura quam centum Mill. ex numero transdanuvianorum ad præstanda tributa cum Conjugibus ac liberis, & Principibus aut Regibus suis transduxit. Ob motum objectum Sarmatar. compressit; Quamvis parte magna exercitus ad expeditionem inarmandam misisset. Ignotos antea ut infensos P. R. Reges signa Romana adoraturos in ripam quam tuebatur perduxit, Regibus Bastarnarum & Roxolanor. filios Dacorum fratrum captos ut hostibus ereptos remisit. Ab aliquis eorum obsides accepit, per quem pacem Provinciæ & confirmavit & protulit. Scytharum quoq; Regem ac Herronensi, quæ est ultra Borusthenen obsidione summoto, primus ex ea Provincia magno tritici modo annonam P. R. adlevavit, hunc Legatum in Hispaniam ad Præfectur. Urbis remissum, Senatus in Præfectura Triumphalibus ornamentis honoravit. Auctore Imp. Cæsare Augusto Vespasiano verbis ex oratione Q. I. S. S. Mœsiæ ita præfuit, ut non debuerit in me differri honor. Triumphalium eius ornamentorum, nisi quod latior ei contigit mora titulus Præfecto Urbis, hunc eadem præfectura Urbis Imp. Cæs. Aug. Vespasianus iterum Coss. fecit.

Alia inscriptio:

M. Plautius M. F. A. N. Silvanus Coss. VIIvir Epulon. huic Senatus triumphalia ornamenta decrevit, ob res in Illyrico benè gestas, Lartianus C. N. F. Uxor A. Plautius M. F. Urgulanius Vix. Ann. IX.

Cœnæ. *Roma*, de qua suprà. 16.

Fuimus in Bibliothecâ Vaticanâ, quam commentario eruditissimo illustravit Angelus Roccha à Camerino; Item in hortis Pon-

tis Pontificis, quos *Bellvedere* vulgò indigitant, Itemq; in Monte *Cavallo* sive *Caballo* vulgò, olim *Quirinali* dicto; ubi Palatium Pontificis sumtuosissimum, cum adjunctis hortis amœnissimis, undiq; salientis aquæ copiâ irriguis perlustravimus.

27. Admissi sumus in secretius Summi Pontificis cubiculum, seu *Cameram secretiorem*, quam vulgò *Il studiolo del Pontifice* nominant; Item in Cameram, quam vulgò *Guardarobbe* appellant, ubi preciosiores Pontificis vestes, seu habitus Pontificalis asservari solet.

Vidimus insuper eodem die Palatium Farnesiorum; nec non Palatium unâ cum adjunctis hortis, Magni Hetruriæ Ducis; utraq; picturis, emblematis, statuis, pyramidibus, porticibus, Xystis, atq; regiâ supellectile ornatissima, & instructissima; de quibus, qui plura desiderat, is videat Ducis Viæ, quatriduo lu-
Novem. strandis Rom. Urbis antiquitatibus caput 8. Ex Iacobi Boissar-
1. di Vesuatini Topographiâ V. Rom. Festum Omnium Sanctorum hoc die summâ cum solennitate Romæ celebrari vidimus; formâ ac modo ferè tali; Sub exortum Solis, in Mole D. Adriani ad Tiberim, sive Castello Sancti Angeli, ut nunc vocant, primùm in omnibus tribus contignationibus infimâ, mediâ, ac superiore, displosa sunt omnia tormenta bellica, magno edito strepitu ac fragore; Secutus deinde est Campanarum pulsus in omnibus templis, quotquot Romæ, vel circa sunt; Summus ipse Pontifex Clemens VIII. à toto Cardinalium cætu comitatus, & magnâ satellitum stipatus catervâ, in sellâ curuli insigni levatus, humeris Sellariorum, id est, lecticariorum hominum in templum D. Petri in Vaticano delatus, Missæ interfuit, Cardinali Cajetano missificante; Missâ verò finitâ, Pontifex ipse, eodem comitatu, ordine & pompâ, à Sellarijs suis in Palatium suum huic templo contiguum, humeris gestatus est.

1. Canx. 535. *Monte rose* vicus, Latinis *Rosulum* dictus, vicinum habens lacum eiusdem nominis. 32.

Tran-

3. 536. Transivimus *Caprarolam* vicum, in quo Cardinalis Farnesij Palatium est magnificentissimum unà cum hortis & fontibus aquæ salientis aspectu jucundissimis. 7.

Balneo-regium literatis. 537. Non longè abhinc distat *Bagnarea* vicus, in quo itidem Palatium est Cardinalis Gambaræ, priori Palatio quod Caprarolæ est, magnificentià neutiquam cedens; Horti verò, priores illos, ob copiam aquæ salientis longo post se intervallo relinquunt. 3.

Prandij. 538. VITERBUM, vulgò *Viterbo,* Tusciæ in Italiâ oppidum, jacet amœno spatiosoq; loco, jugis Cyminijs à tergo imminentibus, plurimis haud pœnitendis operibus nitens, inter quæ fons est insignis, & maximâ cum spectantium admiratione copiosus; Videntur hic multæ antiquæ quadratæ turres, Item in Cathedrali templo hoc Epitaphium: 3.

Iohannes Lusitanus XXI. Pont. Max. Pont. sui mense VIII. moritur, M. CC. LXIIII.

Conficiuntur quoq; hic optima *calcaria.*

Cœnæ. 539. MONS FALISCORUM, sive *Phaliscorum*, vulgò *Monte Fiascone,* Tusciæ oppidum in colle, vini generosi feracissimo positum. 8.

Fuerunt autem Falisci, sive Phalisci, populi quondam Hetruriæ, uberrima incolentes pascua; unde gramen *Faliscum* à scriptoribus passim celebratur. Hi cum à Camillo obsiderentur, Magister ludi cum nobilioribus discipulis, deambulandi prætextu Urbe egressus, ad hostes eos deduxit. Quam perfidiam detestatus Camillus, hominem nudari jussit, & à pueris cæsum in Urbem remitti: Quo facto id consecutus est Camillus, ut quos armis subigere non potuerat, justitiæ administratione ad deditionem compulerit. Apud Faliscos farciminis præstantissimi genus fiebat, lucanicis non absimile, quod ventrem Faliscum appellabant; Martialis lib. 1.

Et lucanica ventre cum Falisco.

In Falisco omnis aqua pota candidos boves facit; Plin. Natur. hist. lib. 2. cap. 103.

Crescunt

Crescunt circa Montem Faliscorum, ut suprà quoq; dictum, Vina generosissima, *Muscatellina* vulgò nuncupata, quæ nullibi in Italiâ adeò suavia, dulcia & delicata reperiuntur; ex quorum nimiâ ingurgitatione, cum Sacrificulus quidam valde bibulus hìc esset demortuus, servus eius in perpetuam rei memoriam loco Epitaphij, in lapidem sepulchralem hæc verba incidi curavit; *Propter* EST EST *Dominus meus mortuus est*; Bina enim istâ vocis EST inscriptione in ædibus publicis seu diversorijs, & per servum, qui herum justo intervallo eques præcedebat, facta repetitione, vinum notabatur optimum.

Volsenitum, vulgò *Volsena* ad locum eiusdem nominis situm, transivimus.

S. Lorenzo della grotta.

4. 540. AQUILA, Ptolomæo, Tusciæ mediterraneæ oppidum, 12.
Prandij. vulgò *Acquapendente*, sub Romani Pontificis dominatu, sicut & reliqua omnia à Româ ad fines usq; ditionis Magni Hetruriæ Ducis; Fr. Leand. in descrip. Ital. Hìc in magno versabamur periculo, ob ignem in Camino prandij nostri caussâ, ab hospite accensum; quia totus Caminus inflammatus incendij metum vicinis incutiebat; sed flamma tamen DEI beneficio, tandem est extincta, & ignis sopitus.

Cœnæ. 541. *Radicofano* vulgò, Castellum munitissimum cacumini 15.
montis impositum, Magni Hetruriæ & Florentiæ Ducis; Pons
5. d' Arbiæ, Lucinano.

Prandij. 542. *Forniero* vicus ignobilis Tusciæ in Italiâ. 24.

Cœnæ. 543. SENA, vulgò *Siena*, Tusciæ vel Hetruriæ in Italia oppidum 18.
est sub imperio Magni Hetruriæ Ducis, jacet in colle, præcelsis est cinctum crepidinibus tophinis, frequentiâ nobilium ædificiorum nitet, è quibus Ædes maxima D. Virgini Matri sacra, splendidis ac sumtuosis, quæ in totâ Europa sunt, Fanis annumeranda, sive pretium marmoris, ex quo tota incrustata est, sive excellentiam operis ac artificij, quo facta, spectes; ubi sacellum quoq; videtur, in quo res gestæ Æneæ Silvij depictæ sunt.

In templo S. Dominici, Germanorum ſepulchretum.

Claret illuſtri Academiâ, atq; ob puritatem linguæ Tuſcanæ ſive Hetruſcæ, reliquis omnibus Italiæ Civitatibus antefertur; quâ de cauſsâ Nationes etiám exteræ, quæ ſtudiorum & linguæ purioris Italicæ addiſcendæ gratiâ in Italiâ peregrinantur, hunc locum, præ cæteris, ubi aliquandiu commorentur, eligunt, moti quoq; fortaſſis optimâ victus ratione, & ſalubri aëris temperie, quâ gaudet.

Porrò Senarum Civitas eſt adeò antiqua, ut eius origo apud probatos auctores nullibi reperiatur. Meminit huius Cornelius Tacitus lib. 20. Annalium, Coloniam Senenſem eam appellans; quæ verba de alia Senâ, quæ etiamnum hodiè in Piceno extat, & *Senegallia* vulgò dicitur, nequaquam intelligi poſſunt, ut aliqui falſò opinantur. Siquidem tempore Taciti & Plinij, ea Civitas Piceni, non iam amplius Sena, ſed *Senogallia* ſeu *Senogallica* vel *Senegallia* appellabatur; Quod ex verbis Plinij & Claudij Ptolomæi liquidò conſtat. Plinius enim Coloniam Senenſem lib. 3. Natur. hiſt. cap. 5. inter mediterraneas Hetruriæ Colonias diſertè enumerat, idemq; paulò poſt, etiam Senegalliam in ſexta regione Italiæ collocat. Ptolomæus verò, non ſolum in Latinis ac typis excuſis, ſed etiam in Græcis, ijsdemq; antiquiſſimis, & manuſcriptis codicibus, Senam inter mediterraneas Etruriæ Civitates, Senam vero Gallicam (ſic enim eam nuncupat) inter alias Senonum Civitates, propè Anconam & Fanum Fortunæ recenſet.

Palatium hic magnificum, in quo Prætor cum optimatibus habitat.

Hoſpitale, cuius fundator B. Soror qui per 1000. annos integer & incorruptus reſervatus, videtur.

9. Cœnæ. 544. *Bonitium*, vulgò *Poggibonzi*, q. d. *Poggio Bonitio*, id eſt, Collis Bonitius, Tuſciæ in Italiâ oppidulum, ſub Imperio magni Hetruriæ Ducis. 14.

10. Prandij. & Cœnæ. 545. FLORENTIA, Hetruriæ Metropolis, & Magnorum Hetruriæ Ducum ſedes, olim *Fluentia*, quod ad Arni fluminis fluenta 16.

enta extructa sit, sic dicta, unde Catoni & Plinio Fluentini populi, qui nunc Florentini nomine magis auspicato vocantur, ut in quadam Epistolâ Angelus Politianus scribit, vulgò *Fiorenza*. Urbs est in Italiâ omnium florentissima, ad utramq; fluminis Arni ripam sita, quatuor eximijs pontibus juncta, ab Oriente & Septentrione collibus amœnissimis, & undiq; fructiferis arboribus vestitis cincta, medij Theatri instar, Occidentali latere pulchram in planiciem incedens, Apennini aliquot brachijs contra vim externam & incursiones munita, videturq; ferè umbilicum Italiæ tenere. Nobili gente frequens perpetuò fuit, & si cui familias honestas, hinc tanquam è seminario in alias Urbes Italiæ profectas, cognoscere libebit, commentationes in Dantem Aldigerium Christophori Landini adeat, is enim operis eius initio multis hâc de re tractavit. Florentiam duplices habuisse muros, eosdemq; à Phesulanis sive Fesulanis & Barbaris esse dejectos, ac Cives desertà Urbe in vicina oppida concessisse, tradit idem Landinus; Desolatam ita Urbem, ad Annum Christi DCCCII. jacuisse, quo Carolus Magnus Româ, ubi tum Imperator Cæsar Augustus appellatus erat, in Galliam tendens, hîc dies aliquot constitit, captusq; loci conditione, mœnium novorum fundamenta, longe prioribus ampliora jussit inchoari, proposito etiam edicto, ut passim dispersi cives ad instaurandam Urbem redirent. Hoc itaq; tempore novis muris cincta fuit. Adeò splendidis magnificisq; ædificijs sumtuosissimâ structurâ ornatis tàm divino cultui, quàm Civium usui destinatis Florentia nitet, ut quemadmodum *Venetia dives, Mediolanum magnum, Genua superba, Bononia fertilis, Ravenna antiqua, Neapolis nobilis,* ac *Roma sancta,* ita Florentia tanquam flos atq; pulchritudo Italiæ, *Florentia bella* sit nominata.

Plateæ silice quadrato stratæ; factionibus, tumultu populari, finitimorum armis sæpius agitata; negotiationibus dives, opibus ampla, vestitu gravis, tota magnifica, frequens & exculta. Viri in ea facundi, mulieres pulchræ & sermonis elegantiâ Hetruscis cæteris præstantes.

Visu & notatu digna sunt hic;

I. *Nobilissima Urbis fana*, inprimis autem admirabile illud D. *Mariæ Floridæ Templum* cathedrale, totum ex marmore crustatum, cum hemisphærio stupendi operis; Ibi in templo propè januam hæc inscriptio legitur:

Qui cælum cecinit mediumq; — tribunal
Lustravitq; animo cuncta Poeta suo.
Doctus adest Dantes sua quem Florentia sæpè
Sentit Consilijs ac pietate patrem.
Nil potuit tanto mors sæva nocere Poëtæ
Quem vivum virtus carmen imago facit.

Sepulchrum Petri de Tolleto. In summitate ubi fenestræ sunt, conspicitur *foramen rotundum*, per quod Prid. Idus Iunij, Sol splendit, & definitum circulum, qui in pavimento templi est, attingit, nulloq; alio anni tempore fieri solet.

Iuxta hoc templum stat turris eximia tintinnabulorum, tota item marmorea modicoq; pòst intervallo, veterrimum Martis templum, formâ rotundâ magno ingenio constructum, & nunc D. Ioanni Baptistæ sacrum; valvas habet ex ære fusili opere, tàm raro artificio factas, eas præsertim, quæ contra fanum vel templum D. Mariæ Floridæ sunt, ut omnes omninò quibus ingenij vis est ulla, reliquâ in Europâ totâ similes esse nusquam arbitrentur; Item duæ columnæ Pisanis ablatæ, ex quibus fortunam & infortunium ipsorum conjecturare poterant. Omnes infantes nullo alio in loco, quam in hoc fano per totam Urbem & in confinio baptisari solent.

In templo S. Crucis hæc inscriptio legitur: Michaëli Angelo Bonarottio, è vetusta Simoniorum familia, sculptori, pictori, & Architecto, fama omnibus notissimo, Leonhardus, patruo amantissimo, & de se optimè merito, translatis Roma, eius ossibus, atq; in hoc templo maiorum suorum sepulchro conditis, cohortante serenissimo Cosmo Med. Magno Hetruriæ Duce, P. C. Anno Sal. M. D. LXX. vix. Ann. LXXXVIII. M. XI. dies XV.

Turrim huic templo contiguam Florentini exædificare cœperant, sed ipsis à Duce prohibitum, cum ex illâ tormentis maioribus castellum pertingere potuissent.

Circa hoc templum est *forum peramplum* & spatiosum, in quo Nobilitas Florentina torniamenta & alia Equestria exercitia exercere solet, Item Ludum quendam, *del Calcio* appellatum.

Templum della Nunctiata, vel Annuntiationis, celebre est, propter multorum Pontificum, Regum, Magnatum, aliorumq; vota, quæ ibi depicta, scripta, & appensa videntur. Hic imago Deiparæ Virginis à D. Luca depicta, cernitur; In nocte Natalitiorum hymnos aliasq; cantiones canere solent, ad quas audiendas frequens plebis accursus.

Sancta *Maria Novella*, sacellum habet familiæ de Gaddi, marmoribus & petris pretiosis clarum, ibiq; hospitale, in quo pueri nefando Sodomiæ scelere infecti servantur.

In templo D. *Laurentij*, ubi Magnorum Ducum sepulchretum, videntur vexilla appensa, hac inscriptione addita, propè ad altare.

En vexilla vides Martelli insignia Bacci,
Invictas cuius tremuerunt æquora puppes
Testis Gallorum Henricus Rex, testis Hetruscus
Dux Cosmus, certatim hunc clarum heora canentes.
M. D. LXIIII.

Pauli Iovij Novoc. Episcopi Nucerini monumentum.

Sancta *Maria nova*, hortis, & cellis vino optimo repletis, abundat, & quotannis ex vino 70000. coronatos solvunt. Ibi *cæmiterium* in quo XXIIII. horis, corpora absumuntur.

In monasterio S. *Marci* habitavit Hieronymus Savanarola, qui postea anno 1498. in foro, quod est propè Palatium publicum, combustus fuit; Sacellum hic splendidum & egregium Salviatorum. In foro huic templo contiguo, ingens columna erecta cernitur.

L' Abadia, Monasterium, quod reliqua impensis superat, à Mar-

à Marchione Brandeburgico exstructum, cuius monumentum tale habet:

VGONI, Othonis III. Imp. Affini ac Comiti, Marchioni Brandeburgēsi, Hetruriæq; præfecto, qui D. Benedicto hoc olim, & sex alia cœnobia condidit, pij huius loci Monachi de se benemerito, sepulchrum vetustate attritum instaurarunt Anno Salutis, M. CCCC. LXXXI. H.M.H.N.S. Obijt Anno Salutis Po. XII. Kal. Ianuarij.

Al monte Domini, tum temporis, Virginum monialium Musica choralis, multas alias excellebat.

II. *Misericordiæ Ædes*, uti Xenodochia, Orphanotrophia cæteraq; loca pietatis ergò constituta XXXVII. hìc esse dicuntur.

III. *Ædes* censentur *Plebanicæ* sive Parochiales XLIV.

IV. *Prioratus* XII.

V. *Conventus* virorum mulierumq; sacri LXXVI.

VI. *Collegia* puerorum IX.

VII. *Sodalitates* virorū, quas Fraternitates vocant, maximo numero.

IIX. *Bibliotheca* ad D. Laurentium instructissima habens 4800. Exemplaria manuscripta.

IX. *In foro* primario, vulgò *la piazza della signoria*, dicto, statua visitur Equestris ex solido ære, cum hac inscriptione:

COSMO MEDICO, Magno Etruriæ Duci Primo, Pio, Felici, Invicto, Iusto, Clementi, sacræ militiæ, pacisq; in Etruria auctori, Patri & Principi Optimo, Ferdinandus F. Magnus Dux III. erexit. Anno M. D. XCIIII.

In cyppo, æneæ tabulæ hæc inscripta: PROFLIGATIS hostibus, in deditionem acceptis Senensibus, Plenis Liberis Sen. PL. suffragijs Dux Patriæ renuntiatur, ob Zelum Religionis præcipuumq; justitiæ studium.

X. In eodem foro *Fons* est *salientis aquæ*, statuis æneis & marmoreis insignis.

XI. *Palatium Magni Ducis Hetruriæ* magnificentissimum, picturis, sculpturis, statuis æneis & marmoreis undiq; exornatum, in cuius Camerâ, rebus preciosis assignata, præter vasa aurea & argen-

argentea plurima, atq; magnam regiæ ſupellectilis copiam, vidimus *Pandectas Florentinas*, holoſerico rubro obductas, & fibulis atq; clauſuris argenteis ornatas, multorum doctiſſimorum virorum ſcriptis celebratas, atq; hic maximi theſauri loco reconditas. Xyſtus Principis, varijs Ducum, aliorumq; Magnatum effigiebus & ſtatuis exornatus, ubi ſphæra Cæleſtis cum globo ingentis magnitudinis. Præterea vidimus hìcin Gazophylacio Ducis, præter alias res infinitas, rariſſimi pretij & admiratione dignas *clavum ferreum* dimidiâ ex parte factum *aureum*, à Leonhardo Thurneiſſero Germano, quo experimento certitudinem artis chymicæ demonſtrare voluit. Item *Enſem* Caroli Magni, *Menſam* ſcribendo accommodatam, quæ gemmis, margaritis & lapidibus pretioſis maximi valoris exornata fuit, *Margaritam* magnitudinis & groſſitiei, ovi Columbini. Effigies quædam ex lapide Turcico vulgò Türckiß/ exſculpta. *Cornu Rhinocerotis, Cochlea* & Corallini lapides, *Cultri Damaſceni* permulti.

Guarda robba, vulgò.

Il ſtudiolo vulgò.

XII. *Palatium Pithi*, vulgò *Palazzo de Pitti*, ſumtuoſiſſimum ſic dictum à Lucâ Pitti conditore, cuius hæredes id poſteà Duciſſæ Leonoræ, Coſmi Medices, Magni Hetruriæ Ducis conjugi, pro certo pretio vendiderunt. Ingreſſo hoc Palatium à dextro latere, *duo Magnetes* eximiæ magnitudinis ſub porticu apparent. Sub alterâ verò porticu depictus cernitur *Mulus* cum hoc diſticho;

Lecticam, lapides, & marmora, ligna, columnas,
Vexit, conduxit, traxit & iſta tulit.

XIII. *Tranſitus* ex hoc Pithi Palatio, per & ſupra domus privatorum *ſecretior eſt*, in iſtud prius, ita ut Dux unâ cum familiâ à nemine conſpectus, hinc ire & redire poſſit tutò & commodè.

In *guardaroba* vel Gazophylacio Duciſſæ egregiæ & Regiæ veſtes, tegumentis ornatæ videntur: Item hortum amœniſſimum, in quo *Crater ex ſolido lapide*, in rotunditatem LX. ulnas complectentem; *Grottæ* itidem duæ *pulcherrimæ*; *Menſa ex Amethiſta Orientali*, 30000. coronatorum pretio æſtimata.

In pla-

In platea quæ vocatur *strada larga*, est *Domus Mediceorum*, cum privatæ Personæ vel cives Florentini essent; hodieq; inædificata remanet; In illa Alexander Medices quoq; interfectus fuit.

XIV. *Duas* Florentia habet *arces fortissimas*, unam in planitie, alteram in colle positam, ex quibus Civitas ab hostili impetu defendi; & si vel ipsa aliquid contra Magistratum machinari velit, in officio quoq, contineri possit.

XV. *Portæ* numerantur hic IX.

Porta
1. S. Nicolai;
2. S. Miniatis;
3. S. Georgij;
4. S. Petri Gattolini;
5. S. Friani;

Porta
6. S. Pratensis;
7. S. Galli;
8. S. Pinti;
9. S. Crucis.

Solet quoq; Magnus Dux, *Leones Leænas, Pantheras, Vrsos* alere, quibus populo interdum spectacula edere solet. In platea *di Corso* videtur *lapis*, in quo hæc quondam inscripta fuêre, quæ nunc ad murum ædium vicinarum visuntur:

ΣΥΝ ΘΕΩ.

B. Zenobius puerum sibi à matre Gallica Romam euntem creditum, atq; interea mortuum, dum sibi Urbem lustranti, eadem reversa hoc loco conquerens occurrit, signo Crucis ad vitam revocat, Anno Sal. CCCC.

Intra Pontem *Rubeconte* & *Ponte vecchio* ad murum, videtur monumentum *Equi Caroli Cappelli*, Venetor. Legati hac inscriptione:

Non ingratus herus sonipes memorande sepuchrum
Hoc tibi pro meritis hæc monumenta dedit.

Obsessa Urbe M. D. XXXII. Id. Martij.

Agli ruinati, in via *de Warde*, videtur locus, ubi nullæ ædes firmæ stare possunt, ubi hæc inscriptio legitur:

Huius montis ædes, Soli vitio ter collapsas, ne quis denuo restitueret, Cosmus Med: Florentinorum Senensium Dux I. vetuit. Octobri M. D. LXV.

Comæ-

Comœdias hic singulis noctibus, excepto quadragesimo tempore, hyeme peragere solent.

Civibus *gladios gestare* non licet, nisi Equites vel milites sint, Studiosis alijsq; peregrinis concessum.

Mola Monetaria quoq; hic visu digna, in qua imagines & subscriptiones nummorum artificiosissimè premuntur, & non cuduntur uti alibi fieri solet.

Hac quoq, in Urbe *Annum Iubilaum*, quem Romæ celebrare non potuimus, hic celebravimus; facta est sub nocte in vigilijs Natalitiorum Christi, magna ignium missilium eiectio, cum explosione & maximo boatu tormentorum, & multis aliis quæ gaudij Nuncium Populo publicabant. Clemens VI. Iubilæum, quem Bonifacius VIII. anno Centesimo celebrari jusserat, transtulit in annum Quinquagesimum; Sixtus IV. deniq; temporis interstitium contraxit, ad annos XXV. ratus vitam hominis, mille casibus & periculis expositam, rarius ad Quinquagesimum annum pervenire.

Paulò antè, Florentiâ Romam discesserat *Fridericus Dux Wirtembergicus*, quem in diversorio Angeli conspiciebamus.

Commorati sumus in hac pulcherrima Urbe, hyemis transgendæ & exercitiorum quorundam, linguæ nimirum purioris addiscendæ gratiâ, in Februarium usq; sequentis anni, per quod temporis spatium Nobilissimus Rehdigerus, sub Magni Ducis Equorum Magistro, Dn. *Rusticone* optimo viro, elegantem equitandi vel Equos domandi artem & rationem, diligentius addidicit; hæc cum in pace jucunda, in bello utilissima, imò necessaria sit, à teneris annis, Nobili viro percipienda omnino erit, ut non solum equis cum gratia insidere, eos cursu & recursu incitare, sistere, de via deflectere, per salebras ijs decurrere, deniq; in orbem agere, & ad omne opus bello necessarium usurpare sciat; sed etiam perfectè naturam equorum teneat.

12. Prandij. 546. In Palatio æstivo & voluptuario magni Hetruriæ Ducis, vulgò *Pratolino* dicto, fuimus, quod ob situs amœnitatem, stru- 5.

ćturæ magnificentiam & elegantiam, rerum ſingularium & rariſſimarum copiam, atq; fontium ſalientis aquæ abundantiam, viſu dignum & jucundiſſimum eſt.

Cœnæ. *Florentia*, de qua paulò antè. 5.

Petraia } Palatia Magni Ducis ad dextram reliquimus.
Caſtello }

9. *Prato* oppidulum tranſivimus.

Cœnæ. 547. *Piſtoria*, vel *Piſtorium*, vulgò *Piſtoja*, Civitas Magni Hetruriæ Ducis in Italiâ, quam Ptolomæus inter mediterraneas Tuſciæ Civitates ponit; Eſt enim inter Florentiam & Lucam. 30.

In ſummo templo tale monumentum ex marmore albo videtur, hac inſcriptione: Cinio eximio Iuris interpreti, Bartoliq; Præceptori digniſſimo, populus Pioſtrienſis Civi ſuo B.M. fecit; Obijt Anno 1316. *Sacellum Sancti Iohannis* rotundum ex oppoſito templi videtur.

Saravalle caſtellum ad dextram reliquimus.

Montecattini }
Maſſa } Oppidula in collibus ſita ad dextram reliquimus.
Colle }
Bugignano }

Mons Buſanus.

Borge vicum tranſivimus.

Non longe ab hinc videtur pons vetus & deſtructus, ad quem prælabens torrens Lucenſes à Dominio Magni Ducis
10. ſeparat.

Prandij. 548. LUCA, Tuſciæ Civitas in Italiâ, & libera Romani Impe-
& rij Urbs, ſub protectione tamen Hiſpaniarum Regis, à qua Lu- 10.
Cœnæ. cenſes, qui in eâ habitant, vel qui inde orti ſunt; ſic dicta à Lucumone Hetruſcorum Rege, ſecundum Strabonem lib. 5. Fuit olim unà cum adiacente regione, virorum probitate florens, & robore militari præſtans ac equitum multitudine, ex quibus Senatus militares cepit ordines.

Propugnaculis, foſſis & vallis hodie eſt munitiſſima; Duobus

bus montibus inclusa, aquis irrigua, populosa & negotiationum plena, templis ædificijsq; magnifica & splendida, plurimos Dominos exiguo tempore experta, suis legibus utitur, & libertatem à Cæsare Rudolpho pecunia emit.

11. Prandij. 549. PISA, vel *Pisa* in plurali, Tusciæ oppidum in Italiâ sub imperio Magni Ducis Hetruriæ, olim sui Iuris, felix & potens, non solùm ante rei Romanæ florem, sed etiam illâ iam vigente, ac item multis annis posteà fuit, quod docent insignes victoriæ navales quas habuit; inter *Arnum* & *Anserem* amnes à Pisæis Elidis populis conditum, qui Nestorem ad Ilium secuti, in reditu tempestate disjecti, alij quidem Metapontum, alij littus Tyrrhenum tenuerunt, ubi à nomine relictæ patriæ Pisas condiderunt; Strabo lib. 5. Virgilius Pisas Alphæas cognominat, lib. 10. Æneid. 7.

Hoc parere jubent Alphea ab origine Pisa,
Vrbs Hetrusca solo, sequitur pulcherrimus Astur.

Cui consentit illud Rutilij Numantij in 1. lib. sui Itinerarij,

Alphea veterem contemplor originis Vrbem,
Quam cingunt geminis Arnus & Anser aquis.

Visu & notatu digna hic sunt;

I. *Templum Cathedrale* sive primarium, totum ex marmore LXXXIV. columnis, Hierosolymâ post excidium eò translatis, uti fama est, intrinsecus splendidè exornatum; in quo inter alias Sanctorum reliquias, monstrantur quoq; peregrinis aliquot *lapides*, quibus S. Stephanus occisus fuisse perhibetur.

II. *Turris* huic templo vicina, non tamen contigua, tota quoq; *marmorea* & inclinata, arte & industria Architecti Ioannis ab Oeniponte Germani, velut indicat Epigraphe, Anno Christi 1174. 1. Mensis Augusti obliquè sic structa (similis inclinatæ isti Asinellorum Bononiæ, de qua supra) habens à fundamentis ad summitatem usq; CLIII. gradus.

III. Ante hoc templum Cathedrale supra columnam visitur

Olla ænea, tributi à Iulio Cæſare ibi collecti index, quemadmodum teſtantur verba ibidem inſculpta.

IV. *Templum D. Ioannis* rotundum plumbo tectum cum portis æneis.

V. *Cœmiterium Campi Sancti*, vulgò *Il Campo Santo*, porticibus plumbo tectis interius undiq; exornatum, in quo præter alia multa virorum Illuſtrium monumenta & Epitaphia, viſu dignum eſt Sepulchrum Philippi Decij Iuriſconſulti excellentiſſimi, Item *Matthæi Curtij*, *Petri Angeli* Bargæi, Poëtæ & Oratoris excellentiſs. qui mortuus eſt anno 1596. Kal. Mart. Vixit annis LXXVIII. menſ. X.

VI. *Academia Illuſtris* ante paucos annos hic inſtituta, in qua Germani præ reliquis Nationibus multis gaudent privilegijs.

VII. *Hortus Medicorum* pulcherrimus, habens in ſuperiore ædium adjunctarum contignatione Cameram ſatis amplam, rebus rariſſimis & viſu digniſſimis refertam.

IIX. *Palatium Ferdinandi Medicæi*, Magni Ducis Hetruriæ, in quod admiſſi, vidimus Ducem ipſum, unà cum sereniſſima Chriſtianâ Lotharingâ &c. conjuge, toto gynecæo & illuſtri familiâ tripudiantem, & Bacchanalia celebrantem.

IX. *Palatium Equitum Auratorum* S. Stephani Cruce rubrâ ſignatorum, quod Amphitheatri formam refert, in cuius foro videtur *marmorea ſtatua Coſmi* Magni Ducis Hetruriæ, huius ordinis Authoris, collocata anno 1596. à Ferdinando eius filio.

Hìc ſilentio non eſt prætereundum, Equites iſtos ordinis S. Stephani, qui & *Piſani* vulgò dicuntur, quotannis in feſto Bacchanalior. pugnam inſtituere pedeſtrem, in Arni fluvij, qui per Urbem labitur ponte, modo fermè tali; Dimidia illorum pars ab unâ fluminis ripâ, reliqui ab alterâ conſtituti, & clypeis ſaltem ligneis, cæteris armis omnibus ſepoſitis, accincti congrediuntur, in magnâ populi frequentiâ, ſpectante etiam ex vicinis ædibus hanc palæſtram ipſo Magno Duce cum totâ familiâ illuſtri (ſicut id fortè tum fiebat cum ibi præſentes luctam hanc ſimul

mul aspiceremus) atq; de pontis medio sive centro cominus acriter pugnant tamdiu, donec pars altera cedere cogatur. Victores applaudente populo ornantur elogijs & donarijs more ibi recepto.

Finita sic lucta, Magnus Dux choræas & saltationes in Palatio Medicæo instituere jussit, quibus interfuere Dux ipse, Ducissa, quæ est ex domo Lotharingica, Iohannes, frater Ducis, & Virginiu Ursinus.

Statua marmorea moderni Ducis, ponè fluvium à Pisanis erecta videtur, qui hanc Urbem in pristinum florem & magnificentiam sublevare studet.

Armamentarium, cum aliquot Galeris vidimus.

Optimi hic quoq; *pugiones* summo artificio & industria elaborati, conficiuntur.

Cœnæ. 550. LIBURNUS PORTUS Tuscorum, Ptolomæo lib. 3. cap. 2. vulgò *Il porto di Livorno*; Fr. Leand. in descript. Ital. Ad hunc portum, paucis abhinc annis, cum anteà Castellum solummodò hic esset, extrui ceptum est oppidum, à Magno Hetruriæ Duce Ferdinando, propugnaculis, vallis & fossis munitissimum, platearum dispositione elegantissimum, & pro ratione temporis, licet ædificijs undiq; nondum sit excultum, tamen incolis diversarum Nationum frequentissimum. 16.

Hic exsiccatis paludibus & Morum arborum insitis, aërem multò salubriorem reddiderunt, cum antea nemo ferè propter paludum fœtorem habitare illic potuerit.

Inter Pisam & Portum Liburnum sylva est perpetuo virens, arbore, ilicis folia, & structum ferente, quæ suber appellatur, plena; unde cortex subereus, Pantoffelnholtz.

12. Cœnæ. 551. *Pisa*, de quà paulo ante. 16.

14. Cœnæ. *La Scala*, publici diversorij locus solitarius. 15.

15. Prandij. & Cœnæ. *Florentia*, de qua suprà. 25.

Cœnæ. 18. 552. *Scarperia*, Oppidulum à Florentinis, postquam Pistorienses sibi subiecissent, conditum, uti Blondus autor est. 5.

Antequam huc veniremus per pontem lateritium, fluvium *Scoam* transivimus, in quo multæ auratæ aliiq; optimi pisces
19. capiuntur, sed piscari ibidem à Magno Duce severè prohibitum.
Prandij. 553. *Firenzola*, vel *Fiorenzola*, Magni Ducis Hetruriæ oppidulum in summitatibus Apennini situm. 7.
Cœnæ. 554. *Scaricalasino*, q. d. Onere leva asinum, vicus Apennini 10.
20. ignobilis, sub territorio Bononiensi.
Prandij. 555. *Casanova*, ædes diversorij publici, in territorio Bononiensi, ad radices Apennini. Hic Apenninū, plus eundo quā equitando, ob maximam nivis copiam, superavimus, & maiori cum difficultate hoc factum fuisset, si non paucis antè diebus, Illustrissimus Dux Wittenbergicus, magno cum labore & sumptibus, viam nobis aperuisset. 10.
Cœnæ. *Bononia*, de qua suprà; quibus adde, quod de eâ Mantuanus scribit his verbis; 15.

Quæ magna potensq;
Imperat Æmilio vicina Bononia Rheno.

Nos Quadragesimæ tempus in hâc studiorum Almâ ad festum Paschatis usq; transegimus, absq; omni fastidio.
Aprilis. III. Apr: Equis Bononia discessimus.
3. *Pannora* fluvium traiecimus.
Cœnæ. 556. Mutina, vulgò *Modena*, sub Imperio sui Ducis, qui inde Dux Mutinensis appellatur, Insubrum vel Longobardiæ sive potius Galliæ Cisalpinæ in Flaminiâ Civitas, Romanorum Colonia, in quâ Antonius Decium Brutum obsedit, quam tamen Hirtius & Pansa consules Antonio devicto liberârunt; Inde *Mutinensis color* dictus est à Mutinensibus lanis, ex quibus nativo colore panni fiunt & Mutinenses vestes: Cæterum Plin. Natur. hist. lib. 2. cap. 83. de portento, quod in agro Mutinensi acciderit, ita scribit; Factum est semel, quod equidem in Hetruscæ disciplinæ voluminibus inveni ingens terrarum portentum, Lucio Marcio. Sex. Iulio Coss. in agro Mutinensi. Namq; montes duo inter se concurrêrunt, crepitu maximo assultantes, recedentesq;, inter eos flammâ, fumoq; in cœlum exeunte interdiu, 20.

terdiu spectante è Via Æmilià magna Equitum Romanorum, familiarumq; & Viatorum multitudine. Eo concursu Villæ omnes elisæ, animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata sunt, Anno ante *sociale bellum*; quod haud scio, an funestius ipsi terræ Italiæ fuerit, quàm civile. Hactenus Plinius.

Porrò clades plures, easq; exitiales, labascente Imperij Romani potentiâ, barbararum Nationum inundatione, Mutinam esse passam constat, quam D. Ambrosius in Epistolâ quadam ad Faustinum, inter desertas ac ruinosas sui temporis Cisalpinæ Galliæ ad *Æmiliam viam* Urbes numerat. Opinari igitur eam à Gothis & Langebardis sæpè excisam fuisse, haud est absurdum; cum diu Langebardorum temporibus deserta iacuerit; Quibus Caroli Magni eiectis victoriâ, atq; Pipino eius filio Italorum Rege constituto, tum primùm hanc Urbem volunt (quæ nunc Æmiliam occupat, & nonnihil à veteris Mutinæ in altiore loco positæ ruinis distat) à fundamentis suscitatam fuisse à Nobilium Civium reliquijs; Qui sublato barbarico metu, novi Oppidi mœnia ac portas, suis, amicorum atq; clientum sumtibus ac labore construxêre. Meminit huius Cicero in Epist. famil. lib. 12. Epist. 5. & 6. Et Livius decad. 4. lib. 1. circ. fin. testatur, Mutinam Romanorum Coloniam crescente Imperio deductam simul cum Parmâ, Anno V. C. 570. Nec dubium quin succedentibus seculis, Romano stante imperio, floruerit admodum, cum frequens eius apud Historiæ Scriptores fiat mentio, doceantq; hoc insuper antiquæ marmorum inscriptiones; quæ plurimæ ibidem & pulcherrimæ adhuc extant.

Hinc curru discessimus *Secchia* fl. trajecimus.

4. Prandij. 557. REGIUM LEPIDI, vulgò *Reggio Lepido*, Galliæ Cisalpinæ, sive Longebardiæ aut Insubriæ in Italiâ oppidum, sub imperio Ducis Mutinensis, populo frequens, omnibusq; rebus necessarijs affluens; agro amœno, ubere, fœcundissimoq; cinctum, certat antiquitate cum alijs vicinis Urbibus; Æmiliæ viæ impositum, Romanorum est Colonia, cuius celebrem M. Tullius, Strabo & (Tacitus alijq; veteres mentionẽ fecêre; Sed quando primùm, 12.

mùm, vel quorum auſpicijs deducta ſit, non planè liquet; Quia tamen *Regium Lepidi* ab initio ſemper nuncupatũ fuerit, plures opinantur, à M. Lepido, qui Æmiliam viam Anno ab V. C. 567. ſtraverat, vel conditam vel deductam paulò poſt fuiſſe. *Linza* fluvium, ſuprà pontem lateritium admodum longum tranſivimus.

Cœnæ. 558. PARMA, Galliæ Ciſalpinæ, Inſubriæ aut Longobardiæ oppidum, ſub imperio ſui Ducis, ex illuſtri Farneſiorum familiâ oriundi, à Thuſcis, qui Longobardiam diu poſſederunt, olim conditum, ædificijs hodiè ſplendidum, opulentiâq; florens. Principum enim ac Illuſtrium familiarum Palatia atq; manſiones habet multas, & civium ditiorum multitudine plenum eſt. Ager circumquaq; eſt fœcundiſſimus ac amœniſſimus, omnium frugum atq; fructuum abundans; optimi vini, olei, lactis, & caſei copiâ, ubiq; terrarum celebris. Itaq; *Parma* non ſolùm cum vicinâ *Placentiâ*, verùm etiam cum cæteris Ciſalpinæ Galliæ præclaris Urbibus certare ſuis opibus poteſt, nec inter eas præteriri, in quibus *Dia fortuna*, rerum omnium Copiæcornu ſuum benigniter effundere videtur. Poſita eſt *Parma*, in Æmiliæ viæ plano, quinis ab Apennino paſſuum millibus, flumineq; irrigatur eiusdem nominis, quod Suburbia ad Occaſum vergentia ſeparat ab ipſâ Civitate, tranſitus tamen ponte lateritio rurſum jungitur. An vero flumini nomen Urbs dederit, an ab eodem acceperit, obſcurum eſt. Non enim memini antiquorum quempiam Parmam fluvium nominaſſe; Urbis quidem Parmæ apud Livium, Polybium, Ciceronem, aliosq; claſſicos auctores, celebris ac crebra fit mentio; Quæ Romanorum facta Colonia eſt ſimul cum Mutinâ, florente Repub. poſt V. C. Anno DLXX. Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello Coſs. deductis eò binis civium millibus in agro, qui proximè Boiorum antè Tuſcorum fuerat; iam tùm appellatam fuiſſe *Parmam* ex Livio, Polybio, cæterisq; colligere eſt. An aliud nomen anteà habuerit, nobis quidem non liquet. Qui *Chriſopolim* prius dictam volunt, neutiquam ſatisfaciunt. Itaq; magis co- 8.

gis co-

gis eorum nobis opinio placet, qui à scuti rotundi formâ Coloniam in plano positam, antiquitus Parmam nominatam putant. Cujus vocis significationē Varro ex vetustâ Gallicâ lingua prodidisse videtur, cum *Parmam* dici vult *scutum*, quo pedites utebantur, quia è medio in omnes partes par esset. A scuto igitur vel parmâ nomen aptius Urbi est; quæ colonos ac Cives semper habuit nobiles, Martios ac animosos, ingenioq; non solum ad literarum studia & ad Reip. gubernationem, ut ostendunt exempla Cassij Poëtæ & Macrobij viri ingenio & doctrinâ præstantis &c. Sed etiam ad rem militarem aptissimo. Quorum indolem ita depingit in Parmâ suâ Iulius Scaliger;

Inventum medijs praclarum nomen in armis
Pradita quo sit gens ignea Marte docet.
Ingenium rapidum facilis flammatur ab irâ,
Sed viget in patulo pectore purus amor.
Magnanimo pretium est, non displicuisse pudori,
Hoc satis, officijs cedere turpe putat.

Præterea quoq; *greges ovilli* amplissimi hîc aluntur, nobilitate vellerum inprimis laudati, de quibus Martialis;

Tondet & innumeros Gallica Parma greges.

Idem alibi.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.

Templum *Cathedrale*, Baptisterium *rotundum* & S. Iohannis *monasterium*, visu digna sunt:

Apud *Capuccinos*, in ingressu ianuæ monumentum hoc illustre legitur:

Alexander Farnesius, Belgis devictis, Francisq; obsidione levatis, humili hoc loco eius Cadaver reponeretur, mandavit, Tert. Nonas Decemb. cIɔ. Iɔ. XCII. Et ut secum Mariæ Lusitan. conjug. opt. ossa jungerentur, illius testamentum secutus annuit.

Palatium Ducis splendidissimum.

Tarum fl. transivimus.

5. *Castello guelfo* ad sinistram reliquimus.

Prandij. 559. FIDENTIA, vulgò *Firenzuola*, Ducis Parmensis in Galliâ Cisalpinâ ad viam Æmiliam, vicus haud ignobilis, quem non Fidentiam, sed *Fidentiolam* nunc esse arbitrantur quidam. 15.

Cœnæ. 560. PLACENTIA, vulgò *Piacenza*, Civitas Ducis Parmensis in Galliâ Cisalpinâ ad *Trebium* amnem, situ est amœnissima, pulcherrimisq; semper ædificijs ornata fuit, uti plures inde nominatam à placendo *Placentiam* autument. Posita est etenim juxta Padum loco perjucundo, campis & agris collibusq; cincta fertilissimis, vino, oleo, frumento, fructuumq; omnis generis optimorum copiâ abundantibus. Plana pratis & pascuis fœcundissimis beantur, manufactis viciniorum fluminum ductibus irrigua; ex quibus pecuariæ rei summa oportunitas, & quæstus uberrimus Urbi est. Cui idcircò famam non ignobilem ubiq; terrarum *Casei ibidem confecti* præstantiâ parit; qui tantâ copiâ & tàm boni saporis hinc exportatur, ut qui summum commendationis gradum caseo quærunt, eum Placentinum esse dicant. Habet idem ager *salsos fontes*, ex quorum liquore sal coquitur candidissimus. Habet *ferrifodinas*, nec desunt sylvæ, saltusq; venationibus apti; igitur ob tantam situs commoditatem, rerumq; omnium abundantiam, Urbs assiduè nobilibus Civium familijs multis excolitur, & mercatoribus frequens est. Placentiam primùm à Romanis deducta Colonia est, ingruentibus in Italiam cum Annibale Pœnis; Anno post. V. C. DXXXVI. in agro à Gallis capto, ut Livius autor est Decad. 3. lib. 7. Deduxere IIIviri, simul cum Cremona & Latinas ambas fecêre, quibus utraq; Padi ripa adversus Gallos & Transalpinos muniretur. Frequens huius Coloniæ mentio apud Livium est, & alios veteres historicos, ut stante imperio Romano plurimùm floruisse haud dubiè constet. Bellis civilibus tamen infelicior, quàm externis, ut bello Vitelliano, contra Othonem, teste Tacito Hist. lib. 2. cum in oppugnatione acerrimâ pulcherrimũ Amphitheatri opus extra oppidum conflagraret. 10.

Visu

Visu & notatu digna hic sunt.

I. *Monasterium novum* sumtuosè extructum à Philippo Hispaniarum Rege Catholico.

II. *Templa reliqua*, & magnifica Civium ædificia.

III. *Fons vetustus* & præclarus ab Augusto Cæsare nomen adhuc habens.

IV. *Muri novi, propugnacula* amplissima, quibus nunc Urbs hæc inter alias Italiæ tutissimas habetur, quæ prius varijs afflicta bellis, vi sæpius expugnata, incensa ac direpta, plurimis annis fœdè vastata jacuerat.

V. *Castrum vel Arx* unà cum aggeribus, fossis, muris, turribus, ac propugnaculis ingentis sumtus, ac operis ingeniosi, pro huius ævi solertiâ; munitiones ac structuræ ad Urbem coërcendam hostilesq; impetus propulsandos accommodatæ. Excitare cœperat hanc molem Petrus Algisius, Placentinorum Parmensiumq; Dux primus, verùm eà nondum perfectà, inimicorum insidijs circumventus ac miserè fuit trucidatus.

Ante hanc Urbem, *Columnæ duæ* positæ videntur, ultra quas, nec arbores nec vineta plantare licet.

Trebium fl. nave traiecimus secunda; Castellum ad dextram S. Georgio.

6\. Prandij. 561. *S. Ioannis* vicus, vulgò *S. Giovanni Castello*, Fr. Leand. in descript. Ital. 10.

Cœnæ. 562. *Voghera* vulgò, vicus haud ignobilis, antiquitus *Vicheria*, ab Antonino autem in suo Itenerario Vicus *Iriæ* dictus. 15.

Tortona oppidum cum castello transivimus. *Scrivia* fl. trajecimus.

7\. Prandij 563. SERAVALLE, *Castello* vulgò, Oppidulum Liguriæ Cisalpinæ in Italiâ, ad fauces & angustias montium situm, & inde sic denominatum, quasi *Serra Vallis*, ferrifodinis & ferrarijs officinis atq; gladijs ibi fabrefactis est nobile. 15.

Cœnæ. 564. *Pedagio*, Vicus ignobilis Liguriæ in Italiâ. Montes Liguriæ ascendimus. *Pozzenera* vallis. 15.

8. 565. Genua, vulgò *Genoa*, Ligurum in Italià caput, Ligustico adiacens Mari potens, superba, atq; antiquissimæ originis civitas, in radicibus Apennini montis, vel à Iano Italiæ Rege, ac deinde à Iano Troianorum Rege aucta, vel à Iano Genio Prisco, vel à Gemino Ægyptio Phaëtontis socio, vel à Genuo Saturni filio, primùm ædificata, vel deniq; à situ curvaturæ genu respondente denominata perhibetur. Situ tali est; Fronte meridiem spectat, amplissimè circa littus consurgens, dorso Septentrioni obverso, leniter in planiciem, veluti ad quiescendum descendens, montium innixa radicibus, quorum à tergo Itra sævorum Septentrionalium ventorum afflatum vallo munitur, non tota montosa, nec vicissim tota plana. Livius Decad. 3. lib. 8. scribit; quod Mago Amilcaris filius ex minore Balearium Insulâ, ubi hybernarat, Iuventute lectâ in Classem impositâ, in Italiam, XXX. fermè rostratis navibus, & multis onerarijs, XII. millia peditum, duo fermè Equitum trajecerit, Genuamq; nullis præsidijs maritimam oram tutantibus, repentino adventu ceperit atq; vastaverit; Eam tamen posteà, C. Servilius Consul restauraverit, ut refert idem Livius Decad. 3. lib. 10. *Insigni portu, fortissimâ mole*, securæ stationis caussâ præmunito, mercatuq; amplissimo nobilis est. Semper autem & in negotiando industrios, & ad res summas, tam terrâ quam Mari gerendas, homines genuit præstantes; Qui sæpius infideles Christianorum hostes armis oppresserunt, sæpè debellârunt Pisanos, sæpè item à Venetis, alijsq; potentissimis populis atq; Regibus spectabiles retulerunt victorias, ut aliquando ad Tanaim usq; fines imperij sui produxerit, Theodosiã (quæ hodie *Caffa*) suæ ditionis effecerint, *Cyprum, Lembum, Chium* insulas & *Peram* Thraciæ Urbem in potestatem suam redegerint: de quorum elogijs vide libellum Oberti Foglietæ, in linguâ vulgari Genuæ editum: Vnde tantis incrementis, tum populi ac ædificiorum quorundam integrè ex marmore constructorum, tum opum crevit hæc Civitas, ut nomen adepta sit *Genua Superba*. Hodie toti *Liguriæ & Corsicæ* insulæ imperat. Variam Reip. formam diversis temporibus 15.

Prandij. & Cœnæ.

habuit,

habuit, nunc Hispaniarum Regem agnoscit patronum; & à Duce annali electione designato, gubernatur ac regitur.

Fortè tùm temporis cum hic essemus, processio solemnis ad Divorum templa habebatur, cui intererat ipse *Dux Genuensis*, à dextero latere ab Hispaniæ Regis Legato, à sinistro autem à Principe Massæ comitatus, & holosericà veste rubrà talari indutus, reliquis Senatoribus omnibus holoserico nigro, ad talos usq; amictis, subsequentibus, in magno populi concursu.

Visu & notatu digna hic sunt;

I. Templa.
1. *S. Petri* in Arena;
2. *S. Nicolai*;
3. *S. Marci*;
4. *S. Laurentij*;
5. *S. Catignagni*;
6. *S. Bartholomæi.*

II. *Palatium publicum* sive Domus Senatoria, in quà præsidij loco, semper sunt quingenti milites Germani, unà cum Capitaneo & signifero; Ducis Genuesis est sedes.

In conclavi ubi Consilium habetur, aliquot *Ducum statuæ* videntur, ubi etiam statua Principis Doriæ cernitur, hac inscriptione:

Andreæ Doriæ, quod Rempublicam diutius oppressam, pristinam in libertatem vendicaverit, patri proinde patriæ appellato, Senatus Genuensis, immortalis memor beneficij, viventi posuit.

III. *Palatium* Andreæ *Doriæ Principis* ante portam D. Thomæ magnificentissimum, in quod admissi, in Gazophylacio vidimus res raras magniq; pretij, inter quas *Mensa* tota *argentea.*

Palatium quoq; Caroli Doriæ, egregium, situm in *strada nova*, quæ platea omnium elegantissima & pulcherrima in tota Urbe habetur, & plurimis magnificentissimis Palatijs referta, inter quæ Pallavicinorum *columnas* duas ex *Lydio lapide* habet,

Spinolarum, Grimaldorum celebre quoq. *Fæminæ hic viris præcedunt, cristasq; gestant virgines*, & varijs vestium coloribus, incolorità incedunt, quod viris huius civitatis denegatur, qui saltem nigris vestibus vestiri coguntur, sine cristis incedentibus, dextram uxorib. semper relinquentibus, & pœnæ loco Carolus V. viris indidit, qui etiam propugnacula destruxit, & in Castelli locum, Castellaccio dictum, patibulum exædificari mandavit.

IV. *Piscationes Corallij lapidis* hìc sunt frequentes.

V. *Italorum* de hac Urbe *proverbium*;

Huomini senza fede; Donne senza vergogna;
Maria senza pesci; è Aria senza uccelli;

Hoc est; Homines sine fide; Mulieres sine pudore; Mare sine piscibus; & Aër sine avibus.

VI. *Specula in Mari*, in cuius apice fax ardens in laterna de nocte conspicitur, indicij loco navigantibus ibidem accensa.

VII. *Triginta Paroeciæ* hìc numerantur, inter quas D. Laurentij Cathedralis & primaria est.

VIII. Fama est constans ultra 8000. *textores sericorum, & panni holoserici*, quos Sericarios quidam appellant, hìc reperiri.

11. Prandij. *Pedagio*, de quo suprà. 15.

Cœnæ. *Seravalle*, de quo suprà. 15.

12. Prandij. *Voghera*, de quo suprà. 15.

Padum fluvium traiecimus, Italis *Il Pò* dictum. *Gravallon* fl. traiecimus.

Cœnæ. 566. TICINUM, Nobile Insubrum, sive Galliæ transpadanæ oppidum, vulgò *Papia* & *Pavia*, Ostrogothorum & Langebardorum olim sedes, à Levis & Maricis Liguribus ad amnem eiusdem nominis, non procul à Pado conditum, ut Plin. auctor est Natur. hist. lib. 3. cap. 17. Alij à Gallis Boijs ac Cœnomannis extructum volunt, quos Eutropius & Paulus Diaconus sequi videntur. Oppidum hoc Romano succumbente imperio, primum ab Hunnis Atylà Duce; mox ab Odovacre, Herulorum Rege vi expugnatum, direptum & muris complanatis incen- 16.

ſum fuit. Poſteà Langebardi id tenuêre, ac ſedem Regni fecêre, multisq; præclaris ædificijs excoluêre, quorum Paulus Diaconus meminit lib. 15. 16. & alibi. Nunc in Ducatu Mediolanenſi, ſub Hiſpaniæ Regis imperio floret.

Viſu & notatu digna hic ſunt.

I. Divæ *Claræ Monaſterium* à Peterito conditum;

II. D. *Mariæ Perticalis ædes* à Theodolinà Reginà extructa.

III. D. *Petri, Cœli aurei Cœnobium*, à Luitprando Rege fundatum; in quo D. *Auguſtini corpus*, ab eodem Rege è Sardinià deportatum ſervatur, in monumento marmoreo.

IV. D. *Franciſci Templum*, in quo Baldi ICti effigies & monumentum cernitur.

In circuitu huius Monaſterij talis inſcriptio legitur:

D. O. M.

Capto à milite Cæſareo, Franciſco 10. Gallorum Rege, in agro Papienſi, Anno M. D XXV. XXIV. Febr. inter alios Proceres, qui ex ſuis in prælio occiſi ſunt, occubuerunt duo Illuſtriſſimi Principes, Franciſcus Dux Lotharingiæ, & Ricardus *da la Poole* Anglus, Dux Suffolciæ, à Rege Tyranno Henrico VIII. pulſus regno, quorum corpora hoc in Cœnobio & ambitu per annos LVII. ſine honore tumulata ſunt; tandem Carolus Parcherus à Morley, Ricardi proximus conſanguineus; Regno Angliæ à Regina Eliſabetha ob cauſam fidei eiectus, beneficentia tamen Philippi II. Regis Catholicj, Hiſpaniarum Monarchæ Invictiſſimi, in ſtatu Mediolanenſi ſuſtentatus, hoc qualecunq; monumentum, pro rerum ſuarum tenuitate, chariſſimo propinquo, & Illuſtriſſimis Principibus poſuit V. Septembr. M. D. LXXXII. & poſt ſuum exilium, anno XXIII. maiora & honorificentiora commendans Lotharingicis.

Viator precare quietem.

V. *Academia Illuſtris*, à Carolo IV. Romano Imperatore, Anno Chriſti clↄ. CCC. LXI. hic inſtituta.

Collegia

VI. *Collegia* aliquot sumtuosissimè extructa; inter quæ Pontificis & Can: Boromæi egregia.

VII. *Statua* celebris ac pervetusta equestris *ex ære*; quam Antonini Pij quidam esse colligunt, ex vultus lineamentis & barbæ forma.

VIII. *Castrum Galeatij* Primi Ducis; *Lancea* prævalida & longa *Orlandi.*

Pons lapideus 260. passuum supra *Ticinum*.

567. Hinc in viâ Mediolanum versus non nihil deflectentes
13. ad *Carthusianorum Cœnobium* amplissimum de rhedâ descendimus, vulgò *Certosa di Pavia*; cuius Templum ex vario precio- Certosa
soq; marmore à fundamentis excitatum, historiarum sculpturis di Pavia.
ac statuis exornatum artificiosissimis, à primâ fronte ingredientibus Religionem incutit, & introgressos Maiestate quâdam augustâ suspensos tenet; dum offeruntur oculis tot picturæ, altaria & sacraria, auro, argentoq; ditissima; ædiculæ marmoreæ, monumentis pulcherrimis decoratæ. Condidit Templum ac Cœnobium *Ioannes Galeatius* Vicecomes, primus Insubriæ Dux, atq; locupletissimè dotavit; cuius in æde sacrâ sumtuosissimum ex marmore sepulchrum cum statuâ ac imagine ad vivum factâ visitur hac inscriptione addita: IOH. Galeacio Vicecomiti, Duci Mediolanensi primo, ac priori eius uxori, Chartusiani memores, gratiq; posuere, M. D. LXII. Die XX. Decemb.

Adiunctum in tabulâ marmoreâ literis inauratis, rerum ab ipso gestarum elogium præclarum, ac lectu valdè dignum. Visu digna sunt hìc in Sacrarijs & ædiculis præciosa & rara *Principum Donaria, Divûm reliquiæ*, atq; pulcherrima quæq; *Templi ornamenta*; Item sumtuosissima ipsius Monasterij ædificia, porticus miliariæ, Sacerdotum habitacula cum hortis, pomariis, lacus, nosocomium apparatissimum & alia.

Præterea apparent in itinere vivarij capacissimi septa, aliàs *Leporarium*, vulgò *il Barco, murus lateritius*, sed magnâ ex parte, nunc dirutus & dejectus; qui milia passuum viginti in quadrum circumductus concludebat aliquando arva, sylvas & prata feris

enutri-

enutriendis destinata; in quibus olim apri, cervi, damæ, capreoli, lepores, & id genus animalia ad venatum continebantur. Autor eius operis idem Ioannes Galeatius Dux fuit, qui Cœnobium condidit. In ijsdem septis castra sua metatus erat Franciscus I. Galliarum Rex, Ticinum obsidione premens, cum à Caroli V. Imperatoris Ducibus, Lanojo & Borbonio, victus prælio caperetur cum Rege Navarræ & præcipuis Galliarum Principibus Anno post Christum natum cIↃ. IↃ. XXV.

Pinacca vicum transivimus.

Prandij. 568. MEDIOLANUM, vulgò *Milano*, potentissima Italiæ Civitas, universæ Galliæ Cisalpinæ Metropolis antiquissima, titulo Ducatus insignita, sub Hispaniarum Regis imperio, eximiæ dignitatis mercaturâ & opibus abundè florens, inter maximas Europæ totius censetur; Auctores sunt Strabo, Livius, atq; Polybius, Bellovesum Celtarum Regem, Tarquinio Prisco Romæ regnante, cum magnâ Biturigum, Arvernorum, Carnutum, Æduorum, aliorumq; populorum multitudine ex Galliâ ulteriore transscendisse Alpes, atq; pulsis Etruscis ac Liguribus, Insubrium agros occupasse; & inter duos amnes *Ticinum, Abduamq;* hanc Urbem condidisse, Celticâq; voce ab ipso situ, quod inter fluvios esset media, *Mittellandum*; vel, ut quidam interpretantur, ab agro vernante *Meylandum* appellasse; quo nomine in præsentiâ adhuc à Germanis nuncupatur; posteri vocem in *Mediolanum* mutârunt. Est autem *ager Mediolanensis* tam cœli temperie, quàm soli fertilitate, atq; affluenti rerum copiâ ditissimus; Vnde Civitas ipsa populosa, ob Alpium vicinitatem & proprijs fulta viribus, Insubrium caput semper est habita. Et quamvis frequenter internecinis attrita bellis funditus Urbs excisa, ad extremum etiam hostili aratro sulcata fuerit; floridior tamen usq; resuscitata mox excrevit in altum, ut inter potentes Urbes Italiæ nunquam postrema fuisse videatur. Romani paulò ante bellum Punicum secundum, M. Marcello & Cn. Scipione Coss. Galliæ Transpadanæ partem, quam Boij ac Insubres tenebant, in potestatem redegerunt; Insubribus atq; Transalpi- 20.

nis Germanis M. Marcelli Consulis ductu prælio ad Clastidium superatis & occiso Rege Virdumaro. Quâ victoriâ Mediolanum, Comum, Acerræ, pluresq; Urbes Transpadanæ in ditionem populi Romani tum concessêre, Galliaq; Cisalpina tota mox Provinciæ formam accepit. Itaq; Mediolanum deinceps sub Romanorum tutelâ florens, haud mediocriter crevit, maximè Cæsarum Impp. quorundam auspicijs, qui Urbis elegantiâ & opportunitate capti, quod nimirum Transalpinis Provincijs esset vicina, in quibus belli materia vix unquam deerat: ibi sedem figere, delectus habere, ac legiones inde traducere trans Alpes solebant. Constat Traianum Mediolani *Regiam* ædificasse, qui locus adhuc nomen Palatij servat; moram sæpius traxisse Hadrianum; Item Maximianum Herculeum, qui mœnibus hanc Urbem ornavit, murumq; secundum adjecit, eamq; amplificavit, & ædem Herculi in eâ posuit, quæ nunc D. Laurentio Martyri est dicata; Philippum etiam Imperatorem Christianum hâc in Urbe resedisse, & post eum, Constantium, Constantinum, Iovinianum, Valentem, Valentinianum, Theodosium, atq; ante hos, Antoninos pluresq; alios Imperatores; qui Urbem hanc ædificijs publicis exornarunt; Quemadmodum Epigrammate suo declarat Ausonius Poëta de eâ sic scribens;

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæq; domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores; tùm duplice muro
Amplificata loci species, populiq; voluptas
Circus, & inclusi moles cuneata theatri;
Templa, Palatinaq; arces, opulensq; moneta,
Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaq; marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaq; in Valli formam circumdata limbo.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt, nec juncta premit vicinia Romæ.

Floruit igitur mirificè, quamdiu Romanum stetit Imperium; sed eo succumbente, Hunnorum, Gothorum, atq; Langebardo-

gebardorum mox vastationibus paruit; ac intestinis sæpè bellis fatiscens, funditus aliquando destrŭcta est. Varia & funesta eius excidia Gibellinorum etiam & Guelphorum exitiabiles, universæ Italiæ factiones, Anno Christi, M. CCC. X. Mediolani natas. Sebast. Munst. lib. 2. suæ Cosmograph. cap. 20. recenset. Suburbia longa lataq; admodum habet, quibus plurimùm augetur, plærisq; tam ingentibus, ut cum magnis Italiæ Civitatibus certent. Urbem ipsaq; Suburbia, latæ aquarum fossæ cingunt; per quas undiq; navigijs annonæ copia defertur tam magna, nihil ut non vili hic pretio fiat. Summam mehercle admirationem habet, omnium rerum quæ sunt ad usum mortalium utiles & necessariæ, huius Urbis insignis abundantia, copiaq;. Tàm multa sunt hic, tamq; diversa artificum genera, tantaq; frequentia ut indè Vulgi sit natum Proverbium; *Qui Italiam reficere totam velit, eam destruere Mediolanum debere*; nimirum quo ex his sedibus, artificum & opificum examina per omnes Italiæ partes spargantur.

Quinetiam liberales disciplinæ hic cultæ fuerunt, siquidem Virgilius Mediolani literis operam dedit.

Visu & notatu digna hic sunt;

I. *Summum Templum* in foro, *Domum* nunc appellant vulgò; Basilica est peraugusta, sumtus immensi ac amplitudinis, artificijq; tanti, ut pauca prorsus, quæ in Orbe Christiano nunc extant templa huic conferri posse plæriq; existiment, sive magnitudinem ac architecturam ædificij spectes, sive pretia materiarum æstimes. Resplendet etenim non solum intus forisq; crustis marmoreis intecta, verùm etiam artificiosarum ex marmore Pario statuarum incredibili multitudine circumquaq; perornata est, ut integros dies spectatorum oculos artium ac historiarum varietate detinere possit. Ostenduntur peregrè advenientibus in Sacrario rara *donaria ArchiEpiscoporum, ViceComitum ac Ducum* vasa ac vestes ex auro & argento, gemmis & margaritis preciosissimis expolitæ; Reliquiæ Divorum in perornatis ac inæstimabilibus conditorijs positæ. Videtur quoq; sumtuo-

ſum *ex Lydio lapide monumentum*, Marini Caraccioli, Neapolitani, Item Medices figuris elegantiſſimis ex orichalco conflatis, exornatum. Aſcenditur deniq; in turris ornatiſſimæ huic Baſilicæ adjunctæ molem altiſſimam, unde comtemplari licet Urbis Suburbiorumq; ſitum planum, regionisq; circumvicinæ ſpatium ac conditionem. Obſtupeſcunt peregrini pulchritudine ſitus atq; amplitudine, adeò ut *Provinciam* non *Vrbem* ſe videre putent.

In conventu Canonicorum ſunt duæ *ſtatuæ Adami & Evæ*. Archiepiſcopus & Canonici, in uno eodemq; Palatio, quod in duas areas diviſum, habitant.

II. Templum D. *Virginis Gratiarum* Arci vicinum, ubi videtur *ædicula maximi ſumtus* & artificij marmorea, quam ibidem olim Dux Ludovicus Sfortia magnificentiſſimè juſſerat excitari cum ſepulchro, & ad vivum exſculptis imaginibus ipſius & Beatricis Uxoris ſuæ: Sed ut rerum humanarum exitus incerti ſunt, fefellit conſilium eius fortuna, nec condi tàm ſplendido in tumulo potuit; nam hoſtium dolo captus, ac in ulteriorem Galliam deductus, *Avarici Biturigum* fato conceſſit; unde & imperfectum monumenti opus adhuc jacet.

III. Cœnobium inſigne *Prædicatorum*, cum præclarâ Bibliothecâ, celeberrimis Italiæ totius addendâ.

IV. Ædes D. *Ambroſij* in Nemore vetuſta ac celebris, ubi olim Reges Italiæ atq; etiam Cæſares, coronâ inveſtiebantur ferreâ, tanquam ferro atq; armis Imperium eos nanciſci oporteret. Inſtituiſſe morem, volunt quidam, Oſtrogothorum Regem Theodericum, Odovacre ad Veronam devicto; Alij à Carolo Magno inventum tradunt, poſt Langebardos ſubactos, & eorum Regem Deſiderium captum. Eſt in eodem Templo gemmis decoratum ac laminis aureis veſtitum *altare*, æſtimationis XXIIX. *millium aureorum*, ab Angelberto Puſterlano ArchiEpiſcopo tantis impenſis olim decoratum, in quo D. Ambroſius divina ſæpius adminiſtravit; & eius oſſa ſub eodem in profundo puteo recondita feruntur. Item *liber vetuſtiſſimus* in papyro ſcriptus,

ſcriptus, manu, ut fertur, ipſius D. *Ambroſij*: Oſtenduntur hic inſuper variæ in Sacrario Divorum reliquiæ; atq; inter eas *aneus ſerpens*, in marmoreâ columnâ poſitus, munus à Theodoſio Aug. quondam allatum Mediolanum, cum uno clavo ex ijs, quibus in cruce Servator noſter fixus fuerat. *Clavus* autem *in* D. *Teclæ templo* ſervatur; Serpentis æneì imago habetur pro eadem, quam Moyſes in deſerto Iudæis ſuis fabricaverat.

V. D. *Teclæ* Templum, ſanctis Divorum reliquijs multis auguſtum. Vix quippiam Mediolani antiquius hoc templo; quod à Chriſtianis primùm Servatori noſtro, & D. Mariæ Virgini matri eius conſecratum fuerat, poſteà in D. Teclæ commutatum. At multis ante propagatum Evangelium ſeculis, *Minervæ Parthenon* ampliſſimum, eodem in loco ſtetiſſe aiunt; Deamq; ibidem, ut Polybius etiam ſuffragatur, præcipua antiquitùs religione cultam fuiſſe. Hinc plures opinantur, nomen olim Regioni atq; Urbi hoc templum dediſſe; ut priſcâ Celtarum, ac nunc etiam Germanicâ linguâ, Megdelandt/ hoc eſt, Virginis regio vel terra Mediolanum dicatur; Quâ quidem in ſententiâ fuiſſe Andræam Alciatum IurisConſultum, in omni diſciplinarum genere præcellentem Virum, ipſe in Emblematis hoc Epigrammate teſtatur;

Quam Mediolanum ſacram dixêre puellæ
Terram, nam vetus hoc Gallica lingua ſonat,
Culta Minerva fuit, nunc eſt ubi nomine Tecla
Mutato, matris Virginis ante Domus.

VI. D. *Laurentij* fanum ingens, in ruinis templi Herculis excitatum, quod Maximianus Herculeus, ut ſupra iam dictum, Diocletiani in Imperio Collega, ibidem in patriâ, (ut tradunt quidam) ſuâ, ſumtuoſiſſimum extruxerat, cum thermis eiusdem nominis Herculeis. Extant adhuc XVI. ſtriatæ columnæ marmoreæ peraltæ, operis magnificentiſſimi veſtigium; porticus olim ſive propilæi Thermarum, aut templi dicti reliquiæ.

VII. *Ædes D. Celſo ſacra*, à Landulpho de Carcano, Archi-Epiſcopo Mediolanenſi fundata; qui mortuus eſt, Anno Chriſti 988.

VIII. *Monasterium D. Victoris* antiquissimum, post Apostolorum mox tempora fundatum, referente Paulo Morigiâ Mediolanensi, in lib. 1. De Nobilit. Mediolani. cap. 16.

IX. D. *Eustorgij* templum; in quo *trium Magorum*, vulgò *Regum*, ab Oriente in Iudæam venientium, & recens natum puerum Iesum in oppido Betlehem adorantium *corpora*, Constantinopoli eò translata aliquandiu religiosè asservata fuisse; postea verò Mediolano per Fridericum Barbarossam Imperatorem funditus exciso, Coloniam Agrippinam delata esse, constans est fama.

X. *Curia vetus*, ubi modicum D. Gothardi fanum, nobilibus aliquot Vicecomitum sepulchris decoratum.

XI. *Xenodochium* vel *Nosocomium Suburbanum*, jugerum aliquot spatio amplissimum, quod viâ Bergomati quadratâ formâ à Sfortijs Ducibus inchoatum impensâ maximâ fuit, sed neutiquam absolutum. In quo tradunt tot habitationes ægrorum conceptas ac designatas fuisse, quot dies annus vertens complectitur.

XII. *Regium Portæ Ioviæ Castrum*, quo in Europâ nullum est famâ celebrius, ob eius magnitudinem, operum ac munimentorum amplitudinem; Iustæ etenim Urbis capacitate, Vicos, plateas, fora, palatia, fabrûm, omnisq; generis mechanicorum artificum tabernas operarias in se complectitur, nullius opis indigens externæ; sed commeatu, annonâ, omniumq; rerum copiâ, bello, paceq;, necessariarum abundans. Effundit oppidorum instar, undequaq; Vasta propugnacula; circumambiunt fossæ latissimæ profundis amnibus perfluæ & utrinq. parietibus lateritijs evectæ. Muri crassitudine stupendi fulciunt aggeres latissimos, & meatibus concameratis pervios; è quorum pinnis & fenestellis, per Castri totius & propugnaculorum circuitum exeruntampla capita tubi ænei ingentes, tormentorum bellicorum prægravia pondera, rotis ferratis imposita; qui sulphureo pulvere inflammati, globos ferreos, pondo DCCC. vel amplius evomere in hostem, vel adversam molem possunt, atq; ob-

stacula

ſtacula quæq; maximo cum fragore proſternere; Sunt hic præſidij loco, *milites* ſemper 700. *Hiſpani*; Et 40. *Satellites Germani*, cuſtodiæ Capitanei ſupremi ſive Caſtellani deſtinati. Viſu dignum in hoc Caſtro *Armamentarium* amplitudine capaciſſimum, & armorum, telorumq; omnis generis ornatiſſimorum infinitâ copiâ refertum. Prætereà *Mola aquatica* ad farinam pinſendam, in hac Arce conſideratione eſt digniſſima, cui aqua nullâ ratione demi vel ſubtrahi poteſt, ne cuniculis quidẽ; Nam foſſæ ſcaturiginibus & venis aquarum perennibus undiq; ſunt plenæ.

XIII. *Armamentarium Palatij*, in quo videntur arma multiplicia pretio, artificio & elegantiâ Principibus magnis quibusq; digna: ſunt enim non ſolum, auro argento, coloribusq; per encauſticen exornata ſed etiam cælaturâ artificioſiſſima per fabricam elaborata.

XIV. Reperiuntur *ad Ianum portæ interioris*, qua Bergamo intratur, & rurſus in porticu Baſilicæ S. Stephani plura *Epitaphia Romana*, è quibus hæc;

C. Firmius, C. L.	C. Caſſius,
Flaccus.	Sopater Linarius,
Sagarius.	Sibi Et. Caſſiæ, C. L.
Sibi. Et	Domeſticæ Linar.
Lychoridi. L.	Patronæ, Et
Fauſtæ. L. V.	Caſſiæ, Suavi L.
Fido, L. V.	Et Caſſiæ Primigeni. L.
Nymphæ, L. V.	Aliud;
Actæ, L. V.	Viva Fecit.
H. M. H. N. S.	Tito Iunio, T. L.
Aliud;	Ampioni,
P. Valerio. P. libert. Palat.	Iunia, T. L. Diſcto.
Tacito.	Sibi & Patrono ſuo fecit.
VI. Viro Seniori.	Aliud;
Et Auguſtali.	D. M.
	Kardo. Augg. Lib.
Effigies Ampionis & eti-	Ex Proc. Pantermina,

am Iuniæ, Disetonis in frontispicio saxi eiusdem, ad vivum exsculptæ sunt.

Lupula, Cum Filis,
Conjugi.
Incomparabili.

In porticu templi in Nemore S. Ambrosij est tabula lapidea, in quâ Epitaphium & formula Legati cuiusdam sic extat:

Petronio Iucundo.
VIViro, Sen.
Petronia, Mirand. Patrono.
Quæ HS. CCCC. Leg. Possessorib.
Vici. Bardomici. In; statuam.
Tuend. Et. Rosa. Quodannis
Ornandam.

Rursus à portâ Ludovicâ, non procul ante fores Palatij cuiusdam ara marmorea quadrata, in cuius uno latere *Diana Lucifera*, ut eam nuncupat Tullius, exsculpta est, cum erectâ face in manibus, quapropter & *Facelinam* eam appellavit Lucilius, Satyrarum tertio, cum dixit;

Et Rhegyna videbis
Mœnia, tum Liparas, Facelina templa Dianæ.

Nam & apud Liparitanos tali formâ colebatur DEA, ad cuius pedes item canis venaticus exsculptus sedens ac DEAM observans; in altero latere *simulachrum* est *Apollinis Medici* incumbentis tripodi, rejectâ à tergo pharetrâ, cum lauri ramo in dextrâ, unde Daphnites vel Daphnæus à Græcis appellatus est; Medicam enim vim plurimam Laurus in se habet, quam *boni Genij plantam* appellabant Veteres Romani, persuasumq; habuêre, locum, ubi *Laurus* esset, neq; à sacro ullo morbo, neq; à Dæmone infestari. Quare non solùm Apollini dedicata, sed etiam eius filio Æsculapio, nec non Hygeiæ nepti salutiferis Dijs. Quin & animantia bruta plæraq; istius plantæ vel arboris vires hominibus præmonstrare videntur. Palumbes etenim, graculi, merulæ, ac perdices, quoties ægrotare ceperint, Lauri baccâ vel folio comesto, sibi ipsæ medentur, ut & animalia plura. Deniq;

Lauri

Lauri folia rebus quibuscunq; cum immiſcentur, vel ſupernè inſternuntur, à corruptionibus & vitio diu eas conſervare, ex Demageronte Cæſar de re ruſticâ memoriæ prodidit. Ad Apollinis pedes ſtat *cythara*, in bicorni teſtudine concinnata, & adiacet involutus Python ſerpens, quæ DEI ſunt inſignia; Nam inde Pythius ac Cytharœdus à Poëtis nuncupatur. In aræ eiusdem frontiſpicio hoc votum exſculptum legitur:

Æſculapio & Hygiæ
Sacrum.

C. Oppius, C. L. LEonas.
VI. Vir & Aug.
Honoratus. In. Tribu.
CL. Patrum. Et. Liberum.
Clientium. Et. Adſcenſus.
Patroni. Sanctiſſimis
Communicipibus ſuis. D. D.
Quorum. Dedicatione
Singulis Decurionibus
II. Et III. Auguſtalibus;
Colonis, Cenam. Dedit
L. D. D. D.

XV. *Fora & Plateæ* per totam Urbem quadratis ſaxis ſunt conſtratæ.

XVI. *Portas habet* Mediolanum XXII. quarum ſingulæ, ſi forſitan ita neceſſitas poſtularet, XI. Civium millibus tutari poſſet ac defendi, neutiquam annumeratis extraneis & inquilinis.

XVI. Aprilis equis hinc diſceſſimus maximis in pluvijs.

16.
Cœnæ. 569. *Trezzo*, Galliæ Transpadanæ in Italiâ oppidulum, à Vicecomite Bernabo ad Addam fluvium, Anno Christi 1370. conditum. 20.

Addam fl. trajecimus, ubi fines ſunt Ducatus Mediolanenſis.

17.
Prandij. 570. BERGOMUM, vulgò *Bergamo* Galliæ Transpadanæ, in 10.

Italiâ oppidum, ſub imperio Venetorum, ab Arnulpho Imperatore quondam captum, teſte Luitprand. cap. 7. & Blond. lib. 2. De eius origine ſic ſcribit Plin. Natural. hiſt. lib. 3. cap. 17. Orobiorum ſtirpis eſſe Comum atq; Bergomum & Liciniforum & aliquos circa populos, auctor eſt Cato, ſed originem gentis ignorare ſe fatetur.

Arcem Bergomum habet fortiſſimam in editiore colle poſitam.

Cœnæ. 18. 571. *Paleſol*, vicus Italiæ in Galliâ Transpadanâ ignobilis, Venetæ ditionis. 10.

Prandij. BRIXIA, vulgò *Breſcia*, Galliæ Transpadanæ in Italiâ Venetorum oppidum, à Germanis in Italiam tranſeuntibus conditum, teſte Polybio & Livio. 10.

Cœnæ. 19. 572. *Guideſol*, Galliæ Ciſalpinæ & Transpadanæ in Italiâ pagus. 16.

Prandij. & Cœnæ. 573. MANTUA, vulgò *Mantoa*, Langebardiæ ſive Galliæ Ciſalpinæ & Transpadanæ in Italiâ Civitas clariſſima, in medio ſtagni, quod *Mincius* fluvius efficit, ſita, ſub imperio ſui Ducis, ex illuſtriſſima Gonzagarum, & Marchionum Montisferrati familiâ, longâ ſerie prognati; Conſtat hanc antiquitate, cum quavis Italarum Urbium certare poſſe. Ante Romam etenim non ſolum, ſed etiam ante Troiæ excidium, (quod Romæ natalem, ut Euſebius, D. Hieronymus alijq; teſtantur, annis plusquam CD XXX. præceſſit) conditam fuiſſe probat Leander Albertus, & ante Chriſtum natum annis cIↄ. C. LXXXIII. Quemadmodum igitur antiquitate præcellit alijs, ſic extra controverſiam nobiliſſima eſt eius origo; quam probatiſſimi quiq; auctores ab *Ocno Bianoro* Etruſcorum antiquiſſimo Rege conditam fuiſſe conſentiunt, conflatamq; Civitatem ab initio fuiſſe ex tribus nobiliſſimis populis, nempe Tuſcis, Thebanis externis & Venetis vicinis. *Ocnus* enim conditor Tiberini Tuſci Regis, atq; *Mantus* Thebanæ filius, eam à nomine matris ſuæ Mantuam appellavit, ut inter alios Poëtarum Princeps *Maro Mantuanus* ipſe Æneid lib. 10. teſtatur, qui nobilitatem patriæ ſuæ celebrans, 16.

celebrans, Mantuam avis divitem, gentem illi triplicem, ac populos ſub gente quaternos, ipſam caput, & populis Tuſco de ſanguine vires, ab origine fuiſſe canit; magis eam illuſtrans ingenio carminibusq; ſuis, quàm vel longa Tuſcorum Regum ſeries, vel ipſius Urbis ædificiorum magnitudo nobilitare unquam potuit; Quemadmodum Iulius Scaliger Poëta perdoctus & ingenioſus Maronem imitando, de eâdem eleganter ſcribit;

Maxima cùm veteri turgeret Etruria Regno,
Sceptraq; terrarum jungeret aucta mari;
Mole novâ tumuit, ſolijsq; excrevit avitis,
Vt premeret forti jura aliena pede.
Inde eſt in ſuperas deducta colonia terras,
Non tamen his potuit Mantua tota dari.
Clara viris, felix Ducibus, divo inclyta Cygno,
Quem vitreis aluit Mincias Andis aquis.
Mantua Dives avis magno non ceſſerit orbi;
Tota tamen parte hâc vincitur ipſa ſui.

Urbs quidem ut ſitu eſt munitiſſima, ſic & ædificijs publicis privatisq; perampla; rectis ac ſpatioſis plateis apparet admodum decora & venuſta, abundat mercibus, omniumq; rerum neceſſariarum copiâ, propter aquarum commoditatem; Etenim populus ipſe, ut ad arma, literas, artes; ita ad mercaturam, aliasq; negotiationes valde gnavus & promtus eſt.

Viſu & notatu digna hic ſunt;

I. Magnificæ ædes ſacræ, *Templa, & Porticus*;

In templo primario S. Andreæ ſacrum, *campana* videtur, quæ octo vicibus ſtudio *perforata* eſt, & tamen ſonum edere perhibent.

In templo Sancti Franciſci, ſub cuius porta *caput Virgilij è ſaxo,* hoc Epitaphium legitur:

Franciſci Gonzagæ militis & Iuris utriusq; Doctoris pro ſe & ſuis.

S. Dominici, multis memorabilibus monumentis clarum.

II. *Palatium Ducis* ſpatioſum & ſumtuoſum; in cuius Gazophylacio res raræ & preciosiſſimæ conſpiciuntur.

III. *Cæſaris Gonzagæ ædes* opulentæ, ubi Deorum artificioſæ ſtatuæ plures, & aliquæ Imperatorum marmoreæ ad vivum factæ imagines, Corinthia ſigna, ac ærea ſigilla infinita.

IV. Splendidiſſimâ *in Curia Senatus*, pernobilis ille *locus* eſt, quem *cryptam* vocant, vulgò *La grotta*, rebus precioſiſſimis refertus, expletusq; ab Iſabella Franciſci Marchionis ultimi uxore. Multa hic antiquitatis monumenta ſingularia, multa ſigna mirabilia cernere eſt.

Inter cætera *duo Cupidines* ſunt, vetuſtus unus, alter recens; hunc ſi prius videas, opus admirabile judicaveris, ſi cum primo conferas, tantùm differre videbitur, quantum à vivo animal exanime. Cum maximo etiam gemmarum, & precioſiſſimorum vaſorum ex auro argentoq; numero, *cornu* inſigne cernitur *Monocerotis*, præcipuâ proceritate mirabile, paululum tamen ad extremum caput arroſum; Sunt etiam hic *Organa muſica* ſolido *ex alabaſtro* peringenti ſumtu facta, ſuaviſſimam harmoniam edentia.

V. *Prætorium Andreæ Mantengæ* famoſi artificis nobiliſſimis picturis decoratum; in quo cernuntur ſeptem eius tabulæ peramplæ, in quibus Cæſaris Dictatoris Triumphus Gallicus arte tàm excellenti depictus eſt, ut inter celeberrima præclariſſimaq; ſummorum pictorum opera meritò cenſeri queant.

VI. *Armamentarium* omnis generis armis inſtructiſſimum, in quo *lancea Rodomonti* & magnum teſtudinis *operimentum*.

VII. *Stabulum* & Equilia Ducis.

VIII. *Villa Suburbana* ornatiſſima, quam *Teiam*, ni fallor, vulgò vocant, à primo Duce Mantuanorum Friderico, quem Carolus V. Auguſtus inauguraverat, ſumtuoſè conſtructa. Vidimus amœniſſimum illius loci tractum, vineas & hortos excultiſſimos; ac deniq. *Prætorium* ampliſſimum; in quo præter picturas, incruſtationes, ornamentaq; cætera exquiſita, admirationi eſt peram-

peramplum concameratum atrium, in cuius laqueato cœlo, Iovis & Deorum adversus Gygantes prælia figuris ferè colossæis, summo cum artificio sunt depicta; Ubi insuper *Echo* tacitè ac submissè loquentium verba in parietum angulis ita plenè, ut intelligi possint, reddit auscultantibus, & aurem adverso parieti applicantibus, per passus plus minus viginti.

In alio conclavi, *historia* & facta *Iulij Cæsaris* ex gypso elaborata. Tabulæ itidem vel *mensæ marmoreæ* elegantissimæ plurimæ cernuntur.

Judæis, hac in Civitate, *Omnia vectigalia oppignorata* fuêre,
20. qui advenas & inquilinos maximo fœnore onerant.
Prandij. 574. *Sanguene*, Langebardiæ, Galliæ Cisalpinæ aut Insubriæ 16.
in Italiâ pagus.

Lagnano oppidulum ad Athesim. Hinc à via deflectimus & in salebrosa via Arquadum venimus.

Cœnæ. *Montagnano*, Galliæ Cisalpinæ sive Insubriæ aut Lange- 10.
21. bardiæ oppidulum, de quo suprà.
Prandij. 575. Arquadum, vulgò *Arquate*, Galliæ Cisalpinæ sive 10.
Langebardiæ aut Insubriæ in Italiâ oppidulum, Venetæ ditionis, in Euganeis collibus situm, Francisci Petrarchæ ædibus & sepulchro marmoreo nobilitatum cum hâc inscriptione;

Viro insigni Francis. Petrarchæ Laureato, Franciscanus De Brosano Mediolanensis, gener individuâ conversatione, amore, propinquitate, & successione memoriæ.

In superiori tumbæ parte hæc leguntur;

Frigida Francisci lapis hic tegit ossa Petrarchæ,
Suscipe Virgo parens animam, sate Virgine parce,
Fessaq; iam terris Cœli requiescat in Arce.
M. CCC. LXIII. XVIII. Iulij.

576. *Palatium* magnificentissimum, illustris *Obiciorum* familiæ, cum adjunctis hortis, vineis & viridarijs amplissimis & amœnissimis, ad Medoaci fluminis ripam consitis, paululum de viâ deflectentes, vidimus.

Cœnæ. *Patavium*, de quo ſuprà. 8.
Cœnæ. *Venetiæ*, de quibus ſuprà. 25.
24. Cum in hàc Urbe per Menſem ferè integrum ex Medico-
rum conſilio commorati eſſemus, tandem nave conſcenſà in pa-
Cœnæ. 577. triam redituri iter ingreſſi, in Oppidulum *Meſtre* vulgò, 5.
à Sabellico *Menſtra* nominatum, veſperi pervenimus; Hercu-
les Prodicius *Meſtreſium* vocat, ad *Muſonis* fluvij ripam poſitum
oppidum, non procul ab eius oſtio, & Venetorum ſtagnis qui-
bus illabitur. Opulentum quondam Emporium ſtatis nundi-
nis frequens & celebre, excultum ædificijs publicis atq; privatis,
veluti ruinæ demonſtrant; ſed ſuperiorum temporum bella im-
penſè vaſtarunt illud, ut vile iam ſtabulariorum atq; nautarum
19. municipium quoddam eſſe videatur.
Prandij. 578. TARVISIUM, vulgò *Trevigi*, Marchionatus, vulgò 12.
Marca Trivigiana, titulo inſigne, oppidum Galliæ Ciſalpinæ in
Italià, Venetæ ditionis, rerum omnium copià adfluens. Totilæ
Regis Oſtrogothorum fuiſſe patriam, Gothicæ hiſtoriæ pro-
dunt, nec antiquior eius oppidi apud veteres auctores memoria
reperitur. Quare quàm firma ſit eorum conjectura, qui ex Pli-
nij lib. 3. conjectant, à Tauriſanis populis *Tauriſium* appellari de-
bere, facilè liquet. Sedes poſteà fuit Langebardorum Princi-
pum. Ædificia quidem vetera demonſtrant, olim admodum
floruiſſe, licet aliquando Rotharis Langebardi, Acciolini Ty-
ranni, aliorumq; injurias ſenſerit.
Hic equos Auguſtam usq; conduximus.
Cœnæ. 579. CASTELLOFRANCUM, Oppidum nobile, in Alpi-
20. bus Italiæ, ad amnem Muſonium ſub Venetorum imperio.
Prandij. 580. *Carpenè*, pagus in Italiæ Alpibus. 20.
Clauſa vel *Clauſtrum*, propugnaculum in montes & ſaxa
ædificatum, & funi ſolummodo aſcendi poteſt, ubi Venetorum
Cum Germanico Imperio fines.
Cœnæ. 581. *Grimm*, Vicus in Italiæ Alpibus ignobilis. 10.
Prandij. 582. *Burgum*, in Alpibus Italiæ, ad fines Teriolanæ ditionis 10.
21. poſitum.

TRI-

Cœnæ. 583. TRIDENTUM, vulgò *Trento*, inter Italiæ Alpes oppidum ditionis Teriolanæ, Episcopatu insigne, nec non Concilio patrum memoriâ ibi celebrato nobile, ad *Athesim* fluvium situm; Incolæ huius oppidi Italiam versus habitantes, Italicâ lingua; Germaniam versus Germanica utuntur. Idem discrimen in vestitu. 20.

Templum *Cathedrale* egregium. Item D. *Petri templum*, in quo *infans à Iudæis interfectus* videtur. In templo *della Madonna*, Concilium celebratum fuit.

22. Prandij. 584. *Novoforum*, vel *Novum forum*, vulgò Newmarckt/ Comitatus Tirolensis intra Alpes oppidulum. 4.

Cœnæ. 585. POZZENUM, Blondo *Banzanum*, Italis *Bolgiano* sive *Bolsano*, Germanis Pozzen/ Comitatus Tirolensis in Alpibus municipium perlautum ac opulentum emporio; Nam statis anni temporibus celebrantur hic nundinæ, ob loci oportunitatem, quibus eò confluunt Mercatores, ex Italiâ, Galliâ, Germaniâ, & Illyrico. 3.

23. Prandij. 586. *Clusa*, vulgò Italis *Chiusa*, Germanis die Clausen/ ab angustijs viarum nomen hoc sortita. 6.

Cœnæ. 587. Beysser/ Vicus Teriolanæ ditionis ignobilis, paucis constans ædificijs, ad recipiendos tantùm hospitio peregrinantes accommodatis, forsitan à Valle Passer/ cuius Sebast. Munst. meminit, lib. 3. suæ Cosmograph. cap. 280. paucis quibusdam literis immutatis sic dictus. 3.

24. Prandij. 588. STERCINGUM, vulgò Sterzingen/ *Stiriacum* nonnulli vocant, Comitatus Tirolensis oppidum, argentifodinis celebre, non minus quam *Suacium* in Oeni valle. 3½.

Hîc incipiunt *juga Rhætica* ad radices Pyrenæi montis, quem Germani den Brenner vulgò appellant, de quo Poëta Germanus;

Cui nive tincta coma est, glacie riget aspera barba.

Exuperato *Monte Pyrenæo*, vidimus in viâ *columnam, cum æreâ tabulâ* erectam, in quâ pulcherrimè sculpturâ repræsentatur duorum fratrum maximorum Imperatorum eò loci congressus

gressus lætissimus, Caroli V. videlicet per Italiam ab Africanâ Tuneti expeditione redeuntis in Germaniam ad Imperij res post longam absentiam constituendas; & Ferdinandi Cæsaris, fratri desideratissimo, quem multis annis non viderat, cupidissimè oviam occurrentis. Mentionem huius columnæ facit Germanus ille Poëta suprà citatus in suo Itinerario his versibus: *Congressus duorum fratrum Impp.*

Hic post longa duo congressi tempora fratres,
Carolus Hesperijs victor, Ferdnandus Eois;
Cum patrijs cuperent propellere finibus hostem
Ismanum, atq; Ducum longas componere lites.

Oenæ. 589. *Steinachium,* vulgò Steinach/ Comitatus Tirolensis oppidum exiguum. 3.

25. Prandij. 590. OENIPONS, quibusdam *Enipontus*, vulgò German. Inspruck/ nitidissimum & omnium elegantissimum, Comitatus Tirolensis Oppidum primarium, *Oeno* flumine, unde & nomen habet, irriguum, in quo *Camera & Parlamentum est* eius ditionis, quo omnes aliorum judiciorum appellationes diriguntur, sedem etiam & aulam, eius regionis Principes sibi delegerunt, nec immeritò. Si etenim vicini soli fertilitatem, omne frumenti genus & præcellentis vini copiam magnâ ex se ubertate fundentis consideres, si nobilitata pascuis & irrigata fontium perennitate arva, si convalles amniculorum murmure lætas; Si deniq; Venatio te capiat atq; delectet, statim ubi deserueris oppidum, passim *Cervorum & Rupicaprarum greges* in montium jugis, in nemoribus atq; campis, venantibus occurrunt, qui canum latratu & indagantium sagacitate turbati, opimam jucundamq; insectantibus prædam suppeditant. Cumq; universus hic Comitatus, in ipsis ferè Alpibus inter Bavariam & Italiam consistat, stupendæ altitudinis hic vitiferos, illic sylvosos montes, & inaccessa hominibus juga perpetuâ nive candentia habet. Quinetiam argentifodinis hic Comitatus, inprimis apud oppidum Schwatz/ cuius superius quoq; facta est mentio, adeò dives est, ut non modò Ducatui valdè opulento præferri, sed etiam Re- 3½.

am Regno comparari posse videatur. Nam, uti Cuspinianus in suâ Austrasiâ auctor est, pendet suo Principi quotannis ordinariè *tercentum millium aureorum nummûm.* Insuper est & in eo *æris metallum omnium præstantissimum*, cum vix alibi adeò ductile reperiatur. Vix verbis exprimi potest, quanta sit huius loci, cùm amœnitas, tum fertilitas. Videtur siquidem benignissima tellus mater, hunc sibi delegisse locum, in quem omnium præstantissima dona, quæ terræ ex se viscera gignere solent, largissimè contulit. Quamobrem non immeritò Tirolensis Comitatus Domini Oenopontem oppidum, inclytam sibi sedem delegerunt, quo fit, ut passim ædes vivo ex lapide constructas, tanto artificio, decore ac sumtu ostentet, ut stuporem potius, quàm admirationem spectantibus cieant.

Visu & notatu digna hìc sunt:

I. *Cœnobium* Patrum *Societatis Iesu*;

II. *Franciscanorum Monasterium* cum Templo pulcherrimo, religionis ac pietatis opera magnifica, quæ D. Ferdinandus, Aug. è quadrato saxo, magnis impensis construxit. Præter alia huius templi ornamenta, inprimis conspicuum est in eius medio intrantibus, obvium *Imp. Maximiliani* I. *monumentum*, artificio, signis & marmorum variorum pretio sumtuosum & augustum, quod avo pij nepotes Carolus V. & Ferdinandus Augg. posuêre. Morantur advenarum atq; intuentium oculos artificiosissima signa, imagines ac tabellæ in lateribus monumenti, ex Pario marmore, in quibus eiusdem Maximiliani Augusti res pace belloq; præclarè gestæ, opere sculptili pulcherrimè repræsentantur. Circumstant ab utroq; monumenti latere per intercolumnia templi veterum *Austriæ domus Heroum*, humanâ staturâ maiores, imò decempedales *æneæ statuæ*, ad vivum in habitu atq; armaturâ antiquâ, pro more cuiusq; seculi factæ, cum titulis & elogijs suis, haud mediocrem Majestatem præ se ferentes.

Inter quæ fuere Gothofredi Bullionij, Palestinæ ac Hierosolymorum primi Christiani Regis, spineam coronam gestantis statua. Item Clodovei, Philippi, & Caroli Audacis, Ducum

Burgundiæ. In ſacello quodam fuit *monumentum Ferdinandi Imperatoris, & Philippinæ Welſeræ*, Auguſtanæ, cui Epitaphium fieri fecit, Conjugem ſuam chariſſimam appellantem.

III. *Palatium* Auſtriæ *Archiducum*, quod anteà multorum Cæſarum Auſtriacorum fuit domicilium, ubi atria, cameræ, porticus, ſacella, Xyſti ſupellectile regià, aulæis, picturis, ornamentisq; omnibus inſtructiſſimi; Et horti artificioſis fontium ſcaturiginibus amœni.

IV. *Armamentarium Palatij*, ubi per ſpatioſa tabulata monſtrantur arma, telaq; omnis generis, exuviæ, & hoſtium ſpolia inſignia, Perſici *acinaces, ſagares* (ut nunc etiam vocant) Scythicæ, *ſamateræ* Dacicæ, *ſariſſæ* Macedonicæ, Ithyreij arcus & ſagittæ, nec non pharetræ, varijs picturis & coloribus ornatæ. Sed inprimis placet hìc *Equeſtrium ſtatuarum turma* barbarorum Principum ac Ducum veris armis, ac ſpolijs opulentiſſimis inſtructa; & viſuntur in ſuo ſinguli apparatu bellico, veſtituqꝫ militari, Numidæ, Mauri, Parthi, Thraces, Theſſali, Pannones, cataphractiq; Germani.

V. *Prætorium* magnà ex parte *deauratum*, & juxtà domus laminis argenteis contecta, à Maximiliano I. Cæſare ædificata; &c.

591. Iuxta *Cirellum* pagum Auguſtana via, trium ferè horarum itinere ab Oenisponte, montes ſunt, venationibus Ibicum & Rupicaprarum oportuni, ubi imminent viæ regiæ ſcopuli in cœlum erecti abruptiſſimi, murorum ſolidorum ingentium formà, montium parietes idcircò vocant. Ad quorum radices in rupe non altà ſupra viam Principes Auſtriaci *domum* habent *venatoriam* cum porticu, unde proſpici commodè venatio à longè poteſt. Videtur non procul indè loculus in ſublimi rupis pariete, in quadrum exciſus, & in eo poſita *imago Crucifixi Servatoris noſtri lignea, altitudinis*, ut ferunt, *quadraginta circiter pedũ*, quæ ab imo cernentibus vix *bipedalis* apparet. In memoriam rariſſimi caſus ibidem poſitam eſſe, docet exemplo ſuo Maximilianus I. Cæſar, Friderici Aug. F. qui imperito prorſus ardore, juveniliq; nimià

Domus venatoria.

Locus ubi Maximilianus I. Friderici

nimia audacia, feras insectando, (ut Cacoëthes illud venandi in adolescentibus Principibus plærumq; vehementer flagrare solet) eo loci scandendo sic aberravit, ut nec pedem referre nec ulterius progredi posset, nisi in præcipitium. Stetit attonitus in abrupto loco infelix ille Princeps, temeritatem suam culpans ipse, famis diræ longâ tabe, vel morte violentâ, vitam ibidem finiturus. Stupor animum, horror & tremor artus occupavêre, & obversata est ubiq; tristissima mortis imago. Si altum respicit, nivosa cacumina & scopulorum ingentes minæ capiti imminent, ut Silij Poëtæ verbis utar: *Caligat in altis*

ci Aug. F. Cæsar deprehensus in scopulis de vitâ desperare cepit.

Obtutus saxis, abeuntq; in nubila montes.
Sub pedibus occurrunt tartareus veluti abyssus,
Et regni pallentis hiatus
Ad manes imos, atq; atra stagna paludis.

A tergo & lateribus Marpesiæ cautes, non ferro, non flammis, non aceto Punico domandæ viarum accessus occlusêre. Nec funes aliave instrumenta, quibus extraheretur è periculo, ad ipsum alicundè protendi potuêre, nec semita quæpiam lapicidarum labore menstruo parari. Stetêre hinc inde gregatim Comites ac ministri, consilij prorsus inopes, Dominumq; suum miserum à longè non sine lachrymis prospectant, quem tamen juvare non poterant. Ipse autem cum iam noctes atq; dies integros duos, in tàm afflicto statu, continuè permaneret, nec ulla salutis spes residua videretur esse, mortalis huius vitæ cupidinem pius princeps abijcere, & quâ ratione tutius beatioris vitæ cœlestem in locum transire posset, cogitare cepit. Appellat ergò magnâ voce suos, jubetq; ut quamprimum Sacerdotes *sacrosanctam Dominici corporis Eucharistiam* adferrent, & è viciniore, quo possent, loco sibi monstrarent; ut, quando corpus mortali cibo reficere non daretur, saltem oculos à longè, mentemq; immortali viatico, quantum concederetur, nonnihil muniret, Deumq; Servatorem suum præsentem adoratione postremâ sibi reconciliare posset. Satisfactum tàm pio Principis desiderio quam diligentissimè. Sed luctus intereà magnus per

Dominici corporis Sacramentū Maximiliano Cæsari ostēsum.

universam provinciam spargitur, fama tam acerbi casus divulgatâ. Deplorabant parentes dilecti ac unici filij sortem infelicem, & infaustam orbitatem detestabantur. Curia, Senatus, ac ordines universi crudeli fato spei optimæ Principem Adolescentem sibi sublatum mœrebant. Populus omnis publicè vota pro Principis sui salute suscipiebat; In Urbibus, oppidisq; singulis templa atq; ædes sacras, magna utriusq; sexus frequentia supplex circuibat, iram divini numinis deprecando. Flectere cœlestium iram, mortalia vota pia q; preces, veluti miraculo quodam tùm enituit. Cum enim iam ope destitutus humanâ, Maximilianus in scopulo curâ fragilis vitæ prorsus abjectâ, nil aliud quàm immortalitatis Deiq; Servatoris sui contemplatione semet occuparet, audit non procul à se strepitum, circumspiciensq; videt, arreptare per rupis costas juvenem quendam ignotum, habitu rusticum, dimovere ingentia saxa, & callem parare. Qui cum ad ipsum accessisset, porrectâ dexterâ; Macte, inquit, animo, virtuteq; tua Princeps, *vivit & adest, qui te servare potest*; Depone metum omnem, & me sequere, actutum te in tutiora loca traducam. Uti Sol per densas nubes clarior emergit, ita mox anxij pectoris angore deterso serenior redijt animus, confidenterq; Ducem sequitur. Et paulò post in patentiore viâ positus, semet ex Orci faucibus ereptum videt, liberatorisq; sui industriam non satis admirari potest. Ad descendentem deinde fit magnus comitum ministrorumq; nobilium concursus, ubi inter congratulantium turbas, ducem suum perdidit. Pallidus & inediâ languidus excipitur equo, domumq; cum summâ lætitiâ à suis reducitur, luctu publico confestim in maximum gaudium converso. Postero die cùm læti Patris edicto promulgato dux ille ubiq; terrarum quæreretur, quò præmio meritò posset honorari, nec diu quæsitus inveniretur, cognitũ pariter & vulgò creditum est, Euangelum custodem, bonumve Genium fuisse, à DEO missum, ut adolescentem Principem ad maxima Reip. Christianæ commoda, & ad Austriacæ domus incrementum grande ab immaturâ morte servaret. Quam opinionem posteà,

Vota pro salute Principis.

DEUS *precibus ac votis piorum flectitur.*

Quo pacto mortẽ evaserit è scopulo ereptus Maximilianus Cæsar.

postea res ab ipso præclarè gestæ plurimum confirmarunt. Ad rei memoriam pius Princeps semitam lapicidarum labore muniri, & in eodē periculi sui loco Crucifixi Servatoris nostri imaginem conspicuam è viâ poni curavit, uti peregrinantes divini auxilij gratiam ubiq; pijs esse paratam in periculis, inde cognoscerent. Hanc *Maximiliani Cæsaris fortunam*, Germanus Poëta quidam non indoctè sic attigit, in Hodœporico sive Itinerario suo;

Postera rore levi virides Tithonia campos
Sparserat ad scopulum cursu pervenimus altum.
Hic ubi sectatus ter Maximus Æmilianus
Altâ in rupe capras, finisset turpiter avum,
Ni Deus *ad maiora virum servasset, opemq;*
Auxilio agricolæ penè ipsâ in morte tulisset.

Meminit item Georgius Sabinus in Itineris Italici Hodœporico suo his versibus;

Jamq; tenebamus, qua spumifer æstuat Oenus
Ardua carpentes, sub juga montis iter.
Cuius in abrupto per noctes vertice Cæsar,
Dive tuus quondam Carule sedit avus.
Sylvestres quando Capreas, Damasq; bicornes,
Ausus in aereâ figere rupe fuit.
Culmen & adscendit juvenis temerarius, unde
Cum vellet, potuit non revocare gradum.

Immò *Maximilianus* ipse poëtico, de diversis suis periculis *edito opere*, vulgari linguâ conscripto, cui Teuerdanck indidit nomen, de suo hoc casu *testatur*; fingens invidiam & curiositatem quasi, personas quasdam comicas, quas ratione ac prudentiâ suâ vitaverit, viceritq; & prostraverit, ut olim Hercules qui relictâ voluptate, per saxa per ignes laborem est consecutus. Hercul. Prodic. Theat. Urbium.

Cœnæ. 592. Seefeldt/ Comitatus Tirolensis pagus, in cuius templo videtur locus, ubi cum quidam nobilis, maiorem & grandiorem 3.

hostiam à Sacrificulo peteret, quam alijs distribueret, eamq; Sacrificulus pro suo lubitu & mandato, nolens volens præberet, quam cum attingeret, subito in terram declinantem, manu altare apprehendit, quod etsi lapideum, digitos tamen adeò impressit, ac si ex cera illud fuisset, hodiéq; *vestigia pedum & digitorum manus ipsius* conspiciuntur.

26. Prandij. 593. Bartkirch/ Comitatus Tirolensis pagus. 6.

Cœnæ. 594. *Schongavium*, vulgò Schaga/ Germaniæ superioris oppidulum. 3.

27. Prandij. 595. Sena/ Germaniæ superioris pagus. 5.

Cœnæ. 596. LANDSBERGUM, vulgò Landtsberg/ elegans Bavaricæ ditionis in Germaniâ superiore oppidum, in editiore loco positum. 3.

Prandij 597. AUGUSTA VINDELICORUM, vulgò Augspurg/ Civitas Imperij celeberrima & pervetusta in Germaniâ superiore, post funestam Varianam cladem subactis Vandalis *ab Octaviano Augusto* expugnata, restaurata, aucta, & tribus Romanorum millibus ad habitandum tradita. Strabo lib. 4. Hinc Augusti nomen est sortita atq; *Augusta* nuncupata. Hungari tum eam invasere, quibus ab Othone primo, gravi prælio fusis, Romano imperio restituta est. Sita est inter pisculentissimorum fluminum *Vinda & Lechi* confluentiam, & ex vetustissima Suevorum gente, quæ à Iaphet descendisse, & hanc primùm inhabitasse provinciam fertur, originem sumsisse, constanti annalium testimonio perhibetur. Politiam quàm optimè constitutam habet, de qua Achilles Cassarus Medicus, huncin modum scribit; Civitas nostra, celeberrima habet omnis generis *Panoplia*, præcipuè æneorum tormentorum, quæ bombardas vocamus, aliquot domos, elegantissimâ copiâ refertissimas, simul & publicas aliorum artificum, tum tabernas, tum officinas operosissimas, quibus non tam toti orbi usitatissima, quàm Mercatorum suorum nummosissimis monopolijs notissima, paucis retrò annis evasit: Adhæc pauperum curam unicè gerit. Extant etenim præter Xenodochia, *agrorum ac orphanorum hospitalia*, speciales adhuc 6.

ædes

ædes, quibus gratis vel peste infecti, suo foventur tempore, vel Gallicâ lue hîc laborantes curantur, vel deniq; leprosi seorsim adservantur. Deinde ingenti eleemosynâ, tum reliquos inopes liberalissimè levat, tùm studiosos pueros non parùm multos ex his domi humanioribus literis emancipat, forisq; stipendijs non pœnitendis alit. Quin vel soli *Fuggari* penuriâ laborantibus, sed frugi municipibus, Anno Christi 1519. suprà centum habitationes, tanquam justam civitatulam, de suo, apud Iacobinum Suburbium fundârunt. Iam quâ æquitate, clementiâ & providentiâ *Magistratus*, quàm politicè hîc polleat, quave prosperitate, industriâ, humanitate & virtute reliqui cives inter sese aut cum alijs, tum in negotijs vel apud *Antipodes* ac utrumq; Mundi polum gerundis, tum in educandorum liberorum honestissima liberalitate, tum deniq; in domesticæ supellectilis nitore, ad insolentiam usq; certent, nemo facile dixerit; Hactenus Cassarus.

Cæterùm præter iam commemoratā, visu & notatu digna hîc sunt;

I. *Templa*, quorum primarium Episcopale satis amplum, B. Mariæ Virgini sacrum est; Templum S. Ulrici.
II. *Curia*, sive Domus Senatoria magnifica, aliquot comitijs Imperij ibi habitis nobilitata;
III. *Armamentària*, varijs & diversis armorum generibus instructissima.
IV. *Granaria*, omni frumentorum genere refertissima.
V. Sumtuosissima Fuggarorum, & aliorum Civium illustriorum *Palatia atq; ædificia*;
VI. *Plateæ* amplæ ac nitidæ;
VII. *Machinæ horariæ* artificiosissimæ magni pretij;
IIX. *Munitiones Vrbis*, ut sunt Muri, Propugnacula, fossæ;
IX. *Introitus* in Urbem *secretior*, vulgò der Einlaß/ per quem quilibet & eques & pedes de nocte, modo nomen suum det excubias agentibus, intromittitur.

Notatu

X. Notatu quoq; digna est, singularis *Senatus huius Urbis hospitalitas & munificentia* erga peregrè advenientes, quos plærumq; vino honorario in diversorium misso excipere & dignari solet, sicuti & nobis ipsis accidit; quâ de re placuit hic asscribere ex Hodœporico Itineris Italici Georgij Sabini sequentes versiculos;

Danubij verò postquam trajecimus amnem,
Amnis in Euxinum qui mare fertur aquis.
Vindelicæ portas & celsa subivimus Urbis,
Quæ vetus Augusti mœnia nomen habent.
Hic nitidas auro, pictasq; coloribus ædes,
Ac solido tectas vidimus ære domos.
Regia quæ possint æquare Palatia Romæ,
Hinc aliquis magnas æstimet Urbis opes.
Nec formosa tibi dubitem conferre puellas
Tyndari, Vindelicæ quas peperere nurus;
Summus Agenoreâ pro virgine Iuppiter optet
Has, magis & raptâ Gnoside Bacchus amet.
Ignea sidereis contendunt lumina stellis,
Purpureas vincunt ora colore rosas;
Collatum flavis hebetatur crinibus aurum,
Sithoniam superant candida colla nivem.
Tanta puellares commendat gratia formas,
Tantus inest castis virginibusq; decor.
At novus his quando succedit mœnibus hospes,
Qui genus à priscis nobile ducit avis:
Aut quicunq; caput per honestas extulit artes,
Principis aut aliquod nomine munus obit;
Hospes ut adventum primoribus indicet Urbis,
Legibus Ædiles constituere suis.
Ergo salutatos cum nos exceperat hospes,
Sanguine quo nati simus, & unde, rogat.
Audit ubi claris nos esse parentibus ortos
Consulibus, quales simus & unde refert.

Ad nos

Ad nos continuò missis de more Senatus
Vina satellitibus multa ferenda dedit.
Duximus ad mediam læti convivia noctem.
Siccaq; perluimus pectora nostra mero.

XI. *Fons aquæ salientis* fortè tum temporis *in foro*, quod vinarium vulgò vocant, splendidissimè incipiebat extrui.

Alius deniq; *fons salientis aquæ ante ipsam Curiam* positus videtur, cum Augusti ænea statua alijsq; simulachris & statuis additis, cum hac inscriptione:

IMP. CÆS.	ANNO A
DIVI F.	COL. DED.
AUGUSTO	M. D. CV.
PARENTI	IOAN. VEL-
COLONIA	SERUS
AUGUSTA	IIVIR PRO-
VINDEL.	BAVIT.

Videtur quoq; *machina trusatilis*, ubi per tubos plumbeos, aqua in altum truditur & attollitur, & in quoddam receptaculum recipitur, ex quo deniq; aqua per totam urbem perducitur, vulgò der Wasserthurn appellatur.

XXXI. Maij curru hinc discessimus.

Prandij. 598. Brugk/ vel Prugk/ oppidum Bavaricæ ditionis in Ger- 5.
31. maniâ superiore.

Cœnæ. 599. MONACUM, sive *Monachium*, vulgò München Germa- 4.
nicè, Ptolomæo *Abadiacum*, oppidum Bavariæ præclarissimum, & totius Germaniæ, quorundam opinione nitidissimum, ab *Alterno* conditum, ab Henrico IV. ampliatum, juxta *Isaram* vel *Isaurum* fluvium (qui non procul à Pletlingio, Istro sive Danubio associatur) situm. Sunt tamen, qui primitus Anno Christi M. C. LXXV. muro hanc Urbem investitam fuisse ab Othone Duce Bavariæ, scribant. Habet situm amœnissimum, & Arcem in plano ornatissimam, Ducum Bavariæ sedem, ubi continuò nutriuntur Leones, & Leænæ catulos parere solent.

Visu & notatu digna sunt hìc præter templa;

I. *Collegium Societatis Iesu* unà cum templo adjuncto, adeò magnificum & sumtuosum, ut nullum huic simile neq; in Italiâ, neq; Galliâ nobis videre contigerit, licet & illud, quod Romæ Cardinalis Farnesius magnis impensis extrui curavit, sit visu & admiratione dignissimum, ob summum splendorem & magnificentiam.

II. *Principis Gazophylacium*, magnâ rerũ rarissimarum & preciosissimarum copiâ refertissimum. Ubi inter alia vidimus *hyderam* item *nucleum*, in quem C VII. capita insculpta & excisa erant, multæ deniq; Urbes artificiosissimo opere sculptili adumbratæ erant.

III. *Ædes privatorum*, picturis ornatissimæ, & justâ Symmetriâ, sibi invicem ita correspondentes, ut non facilè domus una ab alterâ discerni queat.

IV. *Plateæ* nitidæ & amplæ.

V. *Pomœrium Urbis* valdè amœnum, fortè tum temporis un-
Iunij. diq; pervium, ob festum corporis Christi, quod ibi maximâ cum
2. pompâ ac solemnitate, in magnâ populi freqvẽtiâ celebrabatur.

Prandij. 600. Hohekummern/ Bavaricæ ditionis in Germaniâ pagus. 4½.
Pfaffenhofen/ vicum transivimus.

Cœnæ. 601. Reichartshofen Bavariæ pagus in Germaniâ. 3½.

Prandij. 602. INGOLSTADIUM, vulgò Ingelstadt/ Bivaricæ ditionis 3.
3. in Germaniâ oppidum, initio non magnum, formâ ferè in oblongum quadratâ, nimirum ijs limitibus circumscriptum, quos hodiè quoq; *turres vetustæ* tres; *Campanaria*, in D. Virginis Cœmiterio; *Strigilaria*, malefactorum custodiæ addicta, & *Iudæa*, uti vulgò nuncupantur; Item *Arx antiqua* evidenter demonstrat. Anno Christi, M. CCC. XII. prolatis primùm pomœrijs in duplum fermè ampliatum fuit, figurâ ferè ovali inductâ, nisi quà à meridie, angulus unus & alter incurrit. Inde verò cum sedem & Domicilium eo in oppido haberet Illustrissimus Princeps *Ludovicus*, cognomento *Barbatus*, Bavariæ Dux & Comes Morta-

Mortanij, opus istud ampliati mœnium circuli, tandem ipsius dominatu absolutum est, Anno Christi, M. CCCC. XX. Idem anno pòst quinto, die Maij XVIII. primum lapidem D. Virginis templo, ut nova esset Parochia, extruendo ipse collocavit, donarijsq; illud preciosissimis hodiè quoq; extantibus locupletavit. Anno Christi, M. CCCC. LXXI. Ludovicus Dux Bavariæ, Comes Palatinus Rheni, Princeps suo seculo belli pacisq; artibus longè clarissimus, Magniq; nomen, non magis corporis proceritate, quam ingentibus rebus gestis promeritus, idem oppidum fundato liberaliter Gymnasio publico, omnium disciplinarum studijs exornavit, ædem quoq; D. Virginis Canonicorum Collegio aucturus, nisi ei operi iam penè consummato mors ipsum eripuisset. Arcē novam à parte Orientali huius filius Georgius Princeps opulentissimus incredibili impensâ adiecit, domicilium, ob multas insignes commoditates, amœnitatesq;, quovis profectò Monarchâ dignum. Huius quoq; ætate rivulus, è Danubij proximiore alveo, distante ab oppido paulùm ultra passus mille, qui & maior erat, ad mœnia defluens, paulatim ita ampliatus est ob evidentes oppidanorum utilitates, ut iam annis plurimis, hic tertius fluminis alveus, sit omnium maximus, solusq; navigabilis. Demum verò Illustrissimus Princeps Wilhelmus, utriusq; Bavariæ Dux & Comes Palatinus Rheni, Anno Christi, M. D. XXXVIII. idem oppidum eâ munitione circumvallare cepit, ac sumtu incredibili opus perfecit, cuius similem rerum periti in Europâ extare non putant. Oppidi situs undequaq; in plano est, præterquàm quod Danubium versus à meditullio aliquantum in declive vergit. Regio item adjacens universa planiciem habet, nisi quod in Septentrionem, quacunq; abeunti, emenso ferè miliari Germanico uno, collis non excelsus, ad Sylvestria subeundus est, rivo seu fossâ verius eadem ex parte benè profundâ & limosâ, aquâ voraginosâ, ad millia passuum duo ab oppido intercurrente.

Præter Collegium Academiæ amplum & magnificum, visu quoq;

ſu quoq; dignum hîc eſt *Societatis Ieſu Collegium*, ſplendore ſuo iſtud longè ſuperans, unà cum adjuncto Sacello.

Hinc Danubio ſecundo nave Ratisbonam deſcendimus.

Cœnæ. 4. 603. RATISBONA, German. Regenſpurg/ Reginoburgum alijs, inſignis & vetuſta Imperij in Bavariâ Urbs, ad ripas Danubij ſita in commodiſſimo loco, ubi quatuor concurrunt flumina. Supra enim Urbem *Labar & Nab* ingrediuntur Danubium, & infra amnis *Regen*. Auguſtam Tiberiam à primo conditore hanc Aventinus nominat. Quondam Metropolis Romanorum militum excubantium in Imperij limitibus, unde & *Colonia Quartanorum* dicebatur, quod quarta Legio Italica hîc ſtationem firmam haberet; Quam Theod. Dux Nortgoiæ, unà cum Chriſtianis expugnatâ Ratisbonâ, Anno Chriſti 508. diſſipavit & perdidit. Deinde verò Arnolphus Imperator reſtauratam adauxit. Firmiſſimo ponte lapideo XXIV. arcuum Civitas hæc cum ſuburbio jungitur; prope quem lapidi inſculpta leguntur hæc ſequentia: D. & perpetuæ Securitati. Iul. Maurſ, eius pient: Vix. Anno XLII. Roafriti fœminæ reverendiſs. & filij filiæ obitis, & Iuliæ Nonnæ matris pient. Vix. An. LXXX, Iul. & Victorinæ Socrui, Vix. An. LX. Item vivis Aurelig. Aur. militari fil. & amicis quorum in monumento Cineſia & Ribebelca, & amici eorum ſiti ſunt, & poſt horum obitum eorum oſſa recondi in eorum ſepulchro permiſit. Marcus Aurelius militaris omnibus hæredibus monumentum extruxit, & omnibus Legion. IIII. ita vivus vivis fecit. 9.

Porrò claret hodiè *Ratisbona* Epiſcopatu & Comitijs ſæpenumerò ibi celebratis. Et hic etiam ſunt Viſu digna: *Templum Cathedrale* peramplum & magnificum, cuius ſedem Pontificalem Wolffgangus & Erhardus Epiſcopi, propter vitæ ſanctitatem & crebra miracula, olim in Divorum numerum relati, necnon Albertus Magnus ſui ſæculi in literis & Philoſophia phænix unicus plurimùm illuſtrarunt. Prope Chorum ſepulta ſunt viſcera Maximiliani II. Auguſti. S. *Emerammi monaſterium*, vetuſtate & ædificijs auguſtum, ab Arnulpho Imperatore muris in-

ris inclusum & adornatum, in quod ipse victor, à Normannorum cæde rediens, Dionysij Areopagitæ ossa transtulisse dicitur, cum libro Evangeliorum, aureis literis ornatissimè descripto. Et Pons lapideus, cuius paulò ante facta est mentio; Item Curia vel domus Senatoria.

5. Hemmau oppidulum transivimus,

Cœnæ. 604. Wildenhofen/ Bavaricæ ditionis in Germania pagus. 5.

Prandij. 605. NEOFORUM, German. Newmarckt/ elegan, Nortgoiæ 5.
6. vel Bavariæ Palatinatus in Germaniâ, Electoris Palatini ad Rhenum oppidum.

Cœnæ. 606. ALTTORFFIUM, vulgò Altdorff/ olim Bavaricæ ditionis 3.
in Germaniâ pagus; nunc sub Norinbergens. imperio, unà cum arce adjunctà, mœnibus cinctum & Civitate donatum; nec non Academiâ ante paucos annos à Senatu Reipub. Norinbergensis
7. ibi fundatâ clarum.

Prandij. 607. NORINBERGA, vel *Nurnberga*, vulgò Nürnberg/ 3.
Urbs Romani Imperij, totâ Germaniâ & Europâ celeberrima; Emporium Germaniæ amplissimum, magnificis operibus publicis & privatis ornata; *Arcem* habet *Regiam*, in colle Urbi imminente vetustissimam, ex quâ in Urbem & extra patet prospectus, à quâ Civitati nomẽ inditum putatur. Vetusti codices eam Arcem *Castrum Noricum* appellant, quod Urbs hucusq; pro custodiâ habuit. Æneas Sylvius in Europæ descriptione cap. 39. Dubium esse inquit, Norimberga Franconiæ an Baioariæ cedat. Interluit Urbem amnis *Pegnicius* cum XI. pontibus lapideis, duas Urbis partes conjungentibus. Est autem in agro sterili & arenoso condita, atq; ob eam rem industrioso gaudet populo. Omnes enim plebei homines sunt opifices ingeniosissimi, aut plærumq; negotiatores prudentissimi, repertores & Magistri subtilium operum, quæ hominibus non parùm conducunt. Habet Rempub. optimâ politiâ illustrem, & in Burggraviorum S. Imperij ordine, alterum dignitatis locum obtinet. Aptissima Imperatorum sedes, *Urbs libera* & *in medio* fermè *Germaniæ sita*; numeratur inter novas, cum nulla in eâ inveniantur anti-

quitatis vestigia, nec à veteribus mentio de eâ fiat, nisi quod Arx ipsa, tanquàm vetustatis monumentum à multis commendatur. Constat enim Nurnbergam aut Castrum eius, tempore Caroli Magni in rerum naturâ fuisse. Siquidem habent historiæ, Carolum Tassiloni Duci Bavarorum indixisse bellum, & illum tripartito exercitu oppugnasse; Unus juxta Nurnbergam & loca vicina sua firmavit castra; alius ad Danubium consedit; tertius verò, cui Pipinus Caroli filius præfuit, ad Tridentum descedit. Ferunt etiam nonnulli, hanc Urbem sub initijs eius quæ parva fuerunt, sub dominio fuisse Nobilissimi Comitis Francorum Alberti, qui per fraudem Hattonis Episcopi Moguntiens. captus, & à Ludovico Rom. Rege obtruncatus fuit, & tunc Civitatem vel locum illum in jus Imperij transijsse. Et postquàm in ditionem Imperij venit, summâ fide, constantiâ, & officio Rom. coluit Imperium, Regibusq; Romanis semper fidem servavit; In discordiâ tamen Cæsarum gravia pertulit damna, præsertim cum Henricus IV. & V. pater & filius inter se discordes essent. Tunc enim *Noricum Castrum* fuit obsidione cinctum & *expugnatum*. Posteà Conradus Suevus Rom. Rex Urbem restauravit circa annum Christi 1140. & insigne Monasterium & Abbatiam ordinis D. Benedicti ad S. Ægidium nuncupatum, in celebriori Urbis loco fundavit. Deinde temporibus Caroli IV. maiore ambitu & novis mœnibus fuit aucta. Hodiè verò munitissima est, altis scilicet mœnibus, antemurali ingenti fossâ, infinitis turribus & propugnaculis. Habet *Senatum* & Magistratum *à plebe distinctum*. Nam vetustiores Cives Rempub. administrant, & interim plebs suis rebus studet, de publicis minimè curiosa. Hercynia Sylva olim occupavit fundum Nurnbergensis Civitatis, sed temporum successu, pro magnâ parte excisa fuit; Reliquiæ virent semper hyeme & æstate. *Pegnitius* & *Regnitius* duo amnes paulò infra Urbem concurrentes, unum efficiunt fluvium, qui ad Septentrionem lapsus infra Bambergam Mœno fluvio miscetur. Regnitius quem alij vocant *Rednitium*, originem ducit à Wyssenburgo, quod oppidum ad Meridiem

est Nurn-

est Nurnbergæ. De hoc amne historici sic scribunt: Moranti Carolo Magno apud Ratisbonam propter Hunnos, persuasum est fore, ut à Rheno in Danubium enavigari posset, si intra Radiantiam (hic est Rednitius) & *Altimoniam* fluvios fossa duceretur, quæ esset capax navium; quia horum fluviorum alter Danubio, alter Rheno miscetur. Confestim Rex ad locum opportunum accelerat, ac magnâ hominum multitudine congregatâ, totum Autumni tempus in hoc consumsit. Ducta est itaq; fossa inter prædictos fluvios, duûm millium passuum longitudine, trecentorum pedum latitudine, sed frustrà; nam propter continuas pluvias & humum naturà paludosam, opus subsistere non potuit, sed quantum interdiu egestum fuerat, tantum de nocte terrà rursum relabente subsidebat. Ad hoc rumor increbuit, infideles irruisse intra limites Christianorum; quapropter Imperator discedere coactus ceptum laborem deseruit. Aiunt propè Wyssenburgum huius rei adhuc apparere vestigia. Anno Christi 1538. Nurnbergenses renovaverunt Castrum suum, dilatàrunt & muniêrunt illud fortissimis propugnaculis, in quorum fundamento posuerunt nummos quosdam magnos aureos, argenteos & æneos, tali inscriptione signatos:

Deo Opt. Max.

S. P. Q. N. muros arcis non satis firmos ad sustinendos hostiles impetus, & justâ spatiorum adjectione, & multis subinde egestis ruderibus à fundamentis, magnâ cum laude erexit ac novos fecit, Imp. Carolo V. Cæs. P. F. semper Aug. rege Hispan. catholico, Archiduceq; Aust. &c. Et Ferdinan. fra. eius, rege item Rom. Hungar. & Bohem. Romaniq; Imp. successore &c. Patribus verò P. Christophoro Tetzelio, Leonh. Tuchero & Sebald. Pfintzingo. Anno Christi M. D. XXXVIII. Mens. Aug.

Hæc omnia unum nummi latus continet.

Præter iam commemorata visu & notatu digna hic sunt;

I. *Templa*, quorum primarium D *Sebaldo sacrum* est; qui primus eius regionis incolas, ad fidem Christianam, vitæ sanctitate pellexit, post Caroli Magni tempora. S. *Lau-*

S. *Laurentij* amplissima *Basilica*: Epitaphijs hic non utuntur Patritij, sed gentilitia ipsorum arma, in clypeis ligneis depicta, muro appendunt, vel Genealogica quadam serie in tabulis quibusdam, qui hoc vel altero anno, quove mense & die mortuus fuerit, ordinatim inscribunt, ita ut quasdam tabulas reperias, quæ ante quingentos annos inchoatæ fuerunt & longa serie continuatæ.

II. *Curia* vel domus Senatoria, magnificentiæ plena; in ea sæpius totius Germaniæ Principum, ac Legatorum Comitia ac Conventus Imperatorum auspicijs convocati fuerunt, solemnes alioquin civium nuptiæ, & chorearum spectacula publica, magnâ cum hominum frequentia ibidem quoq; celebrata.

III. *Prytaneum*, in quo prandentibus quotidiè duobus Senatoribus, admittuntur etiam cives primarij, unâ cum convivis, quos honoris gratiâ secum forsitan adducunt, plebe penitus exclusâ.

IV. *Fora* in quorum primario, vulgò der Herren Marckt/ fons salientis aquæ splendidissimus visitur, statuis hostium patriæ ad vivum adumbratis, insignitus.

V. *Armamentaria*, vario ac diverso armorum genere instructissima.

VI. *Granaria*, frumento & rebus ad victum necessarijs refertissima.

VII. Numerantur in hâc Urbe 528. *plateæ & vici.*

IIX. Sunt hic 116. *putei aquarum*, & duodecim *fontes* ex truncis aquam evomentes.

IX. Sex magnæ *portæ*.

1. Lauffensis;	*Porta*,	5.	Vivariensis;
2. D. Virginis;		6.	Castrensis;
3. Hospitalis;			Duæ minores;
4. Nova;		7.	Werdensis & 8. Hallerensis.

X. *Balnea communia* tredecim;

XI. *Civitas duplici muro* cingitur, & continet in ambitu 183. *turres*; præter propugnacula.

Arx

XII. *Arx* sive *Castrum*, in editiore Urbis loco positum. de quo supra quoq; mentio facta; ubi *puteus* in vertice collis in saxa excisus, tantæ profunditatis, ut aqua visum fallat, cuius tamen aqua totis machinarijs, miro ingenio factis, magna facilitate extrahitur: Videntur quoq; calceorum ferreorum *vestigia* in saxo, qui ungulis *Equi*, *Apellis de Geilingen*, inducti fuere, qui isto equo insidens, supra latissimam fossam sua dexteritate prosilijt.

XIII. Iunij Norinbergâ curru discessimus.

Lauff oppidulum transivimus: Rotenburg arcem Franconiæ ad sinistram reliquimus.

13. Cœnæ. 608. Herßprugk/ Nortgoiæ sive Bavariæ Palatinatus oppidulum, sub potentiâ Norinbergensium. 4.

14. Prandij. 609. Sultzbach/ Nortgoiæ sive Bavariæ Palatinatus oppidulum sub imperio Comitum Palatinorum. 3.

Herschaw/ celebratum oppidulum transivimus.

Cœnæ. 610. Schutthutten/ pagus Nortgoiæ sive Bavariæ Palatinatus ignobilis.

15. Prandij. 611. Weinhausen/ oppidulum ad fines Regni Bohemiæ. 4.

Cœnæ. 612. Frawenberg/ Regni Bohemiæ oppidulum. 2.

Prandij. 613. Zockezaw/ pagus in Regno Bohemiæ. 4.

16. 614. PELSINAM vel *Pelzinam*, vulgò Pylsen/ Oppidum Regni Bohemiæ elegantissimum, in transitu vidimus, è quo paulò antè Rudolphus II. Romanor. Imp. discesserat, cum mensibus anteactis ob pestilentiæ contagium, Pragâ se eò contulisset; meminit huius Oppidi Æneas sylvius in historia Bohem. cap. 1.

Cœnæ. 615. *Rochezana* vulgò Rockezan / Regni Bohemiæ oppidulum, 4.

17. de quo Æneas Syl. hist. Bohem. cap. 45.

Prandij. 616. *Verona*, vulgò Beraun/ Regni Bohemiæ oppidum totum ferè, paulò antequam eò venissemus, exustum, Epitom. Theat. Ortel. 5.

Cœnæ. 617. PRAGA, *Bubienum* & *Marobudum* Aventino; *Casturgis* Ptolomæo dicta; Eam aggere ac muro Primislaus III. Bohemorum Dux cinxit, & cum de nomine disceptaretur, jussit Li- 3.

bussa Primislai Uxor ex artificibus, qui primo occurreret, rogari, quid ageret, ac ex primo eius verbo vocari Oppidum. Interrogatus fortè faber lignarius quispiam, quid ageret, respondit; Se *limen* facere, quod Bohemicè *Praha* dicitur, indeq; nomen Urbi datum. Sed corrupto vocabulo posteà Pragam dixere; Æneas Syl. in hist. Bohem. cap. 6.

Est autem *Praga* Regni Bohemiæ Metropolis amplissima Præsulum, Principum, ac Regum inclyta sedes, Imp. Caroli IV. Patria, ad ripam *Muldaviæ* fluminis, in amœnissima & patentissima valle, inter colles & vineta, cœlo saluberrimo sita, in tres divisa est partes, seu Civitates, nempe *Pragam veterem, Novam, & Parvam*, quæ singulæ suam peculiarem habent Iurisdictionem, suumq; proprium Senatum.

Praga vetus, dextrum latus Muldaviæ occupat; in ipsâ vallis planicie, universa magnificis adornata operibus, inter quæ celebriora habentur:

I. *Prætorium* seu Senatoria domus cum turri;
II. Læta Curia cum Templo Deiparæ Virginis;
III. *Academia* Imperatoris Caroli IV. cum alijs nonnullis collegijs;
IV. *Emporium* Pannicidarum & Pellionum;
V. *Curia* vetus, vulgò *Rychta*;
VI. *Duæ domus* quondam *Regiæ*, in quarum unâ iam cuditur moneta;
VII. *Xenodochium* apud pontem;
VIII. *Templa* alia multa, suos habentia Parochos;
IX. *Scholæ* suis insignitæ nominibus;
X. *In turri Prætorianâ* est insigne *Horologium*, cui par vix in toto orbe terrarum reperiri, multi & quidem præstantes artifices putant, quantum ad artis excellentiam attinet; nam si externa spectetur forma, elegantiora multa alia inveniri non negant. Continet autem hoc *horologium* revolutionem totius anni cum recto cursu Solis & Lunæ, numeroq; certo Mensium atq; Dierum, & assignatione Calendarij seu festorum integri anni,

anni, habens item ortum & occasum, meridiemq;, altitudinem Solis & Lunæ, Solstitia, æquationes vel æquinoctia, quantitates dierum & noctium, novilunia, oppositiones & quadras Lunæ, cum cœlesti cursu congruentes, juxta motum non solùm naturalem sed violentum quoq;, similiter ortum atq; occasum XII. Signorum Zodiaci, numerum item horarum triplicium, videlicet integri & dimidij, ut vocant, horologii, atq; horarum inæqualium seu planetariarum omni tempore concordantium: quas horas ostendit una & eadem manus seu index, qui mobilis existens cum ipso Sole, de uno signo Zodiaci aliud, per unum gradum singulis totius anni diebus transit. Infra sphæram horologij, forinsecus est alia grandis sphæra, cui inscriptum est *Diarium* seu *Calendarium*, ubi Angelus à latere collocatus, quotidiè præsentem diem virgulà longà demonstrat.

XI. Parte eà quæ magis vergit ad flumen inflexum versus Septentrionem, *Iudæi* suas fixerunt *sedes*, quæ magnitudine suà justum oppidum adæquare possunt.

Novam Pragam à Veteri distinguit fossa quædam, olim quidem profunda, & utrinq; munita muro, sed quæ iam labefactatis mœnibus, magnà ex parte complanata, in areas & hortos cessit. Hæc quoq; Civitas ampla est, & ultra aliquot nobiles colles protenditur, quorum:

I. Sancti *Caroli*, sive Monachorum;

II. Sanctæ *Catharinæ* vel Monialium;

III. S. *Apollinaris*;

IV. Monasterium *Slavorum*;

V. *Vissegradum*; appellant, in quo ruinæ veteris Arcis hodiè conspiciuntur.

VI. Habet quoq; insignem *Curiam*; Et

VII. *Sacras ædes* multas.

Parva Praga sinistrum Muldaviæ latus tenet. Est autem à Veteri Pragà in Minorem seu Parvam *pons supra Muldaviam* amplissimus ex quadrato saxo constructus, in XXIV. arcus seu fornices porrectus, habens in aditu & exitu, duas insi- Pons Pragēsis.

gnes turres pervias, quo ponte in totâ Europâ vix est celebrior alter, si robur spectes; *Longitudo* huius est, 872. cubitorum Pragensium; *Latitudo*, quantum quatuor currus, juxta se collocati, occupare possunt.

Minori Pragæ ab unâ parte conjungitur oppidulum *Augerd*; ab alterâ parte Collis, in quo præter oppidum *Hradezan*, sita est *Arx S. Wenceslai*, hodie *Regum domicilium*, Palatio magnificentissimo, & Templo B. Viti augustissimo maximè conspicua. Palatium est amplissimum in longitudine 212. in latitudine 30. pedes continens; Supernè miro artificio est camoratum, nulla intercolumnari basi seu fulcro sustentatum; Infernè pavimentum tàm firmum habet, ut aliquot centuriæ Equitum in eo consistere & hastis concurrere possint, quale certamen seu torneamen eo in loco fuit institutum Anno Christi 1549. in præsentiâ Mauritij Saxoniæ Electoris. E sublimi pendent *quatuor candelabra*, ex Aurichalco fabrefacta, magnitudine & opere illustria, *Senatus Norinbergensis* ad Cæsarem Ferdinandum *honorarium* munus. In Templi adyto sive introitu secretiore, hæc habetur inscriptio; Anno Iesu Christi salu, 923. Sanctus Wenceslaus Martyr & Dux Patriæ, post martyrium aviæ suæ Ludmillæ, primum hic B. Vito Martyri templũ ædificavit; quod S. Wolffgangus Episcopus Ratisbonensis, consecravit, & Anno 968. Boleslaus Pius Episcopi sedem fecit, cuius secundus Episcopus S. Adalbertus, Anno 998. apud Prutenos martyrio coronatus, & ex Gnesnâ Civitate huc translatus, peculiare Sacellum adeptus est; Atqui Spitigneus II. Dux, Anno 1060. post S. Procopij obitum, annis septem è templo S. Viti, ac item S. Adalberti, unum idq; augustum, construxit; Sed cum hæc omnia Anno 1142. hostili Arcis direptione corruissent, Rex Ioannes primus, Anno 1344. chori huius fundamenta jecit, atq; in Metropolitanam Ecclesiam erexit; Filius autem Carolus IV. Roman. Imp. etiam Sigismundi Regis & martyris, multorumq; Sanctorum reliquijs, Anno 1366. ditavit, & muneribus auxit; Quibus Rex Wenceslaus, eiusdem Caroli filius, Anno 1392. posteriorem templi

Augerd oppidulum.

Arx Regia.

Templũ cathedrale.

templi huius partem adiecit, deinde casu publico, Anno 1541. exusta, Ferdinandus I. Romanor. Hungariæ & Bohemiæ Rex, Anno 1555. eadem hæc & instauravit & ornavit. Hactenus Inscriptio.

In hoc templo visu digna sunt, *busta regia*, in quibus jacent Imperator Carolus IV. eiusq; conjuges; Blanca, Anna una, & altera, Elisabeth, & Filius Wenceslaus, Romanorum ac Bohemiæ Rex, necnon Ladislaus & Georgius, Bohemiæ Reges; Regina Anna invictissimi Cæsaris Ferdinandi conjunx. Deniq; Maximilianus II. Anno Salutis 1577. eò Ratisbonâ translatus. Et hæc conditoria sunt contigua. In alijs autem sacellis & diversis locis eiusdem templi extant varia monumenta Episcoporum, Principum & Regum, & in his quoq; Ottocari Regis, qui cum Imperatore Rudolpho I. Habspurgensi prælio decertans, victus & trucidatus est. Animosus sanè Rex, qui maluit cadere, quàm cedere illi, quem anteà habuit ministrum Aulæ suæ Præfectum. Adde tumulum Barbaræ conjugis Sigismundi Cæsaris, juxta quem visitur Sacellum memoratu dignum, ab Imperatore Carolo IV. magnificentissimè extructum, lapidibus viridibus & puniceis, instar gemmarum relucentibus, & auro intertexto ornatissimè variegatum, in quo Sacello Corpus S. Venceslai, Bohemiæ Ducis & martyris tumulatum quiescit. Et tanta priscorum Regum in hunc Divum tutelarem fuit observantia & religio, ut corona Regni, non alio loco, quàm in sepulchro, & super capite huius S. Martyris reposita servaretur. Atq; hæc consuetudo, ab aliquot seculorũ serie perstitit immota, usq; ad turbulentissima Ziscæ tempora, ubi cum propter civiles factiones, tumultus tumultu cumularetur, corona in Arcem Karlstein, utpote in tutiorem custodiam translata est.

Non longè ab hoc Cathedrali Templo versus Orientem Solem, situm est *Monasterium* Deo Dicatarum *Virginum*, toto Regno *vetustissimum*. Nam à Duce Vratislao, S. Venceslai patre erectum est, D. *Georgio sacrum*, in quo templo Vratislaus ipse, cum matre suà S. Ludmillâ, & nepote Bohuslao Pio quiescit.

Monasterium D. Georgio sacrum.

escit. Sacerdos, aliàs *Abbatissa*, huic Cœnobio præfecta, pastorali baculo utitur, & Principis defungitur honore, quin etiam ipsius præsentia requiritur in coronandâ Reginâ.

Est & ab aliâ Arcis huius templi parte, aliquantò remotius *Monasterium*, vulgò *Strahovv*, aliàs *Mons Sion* dictũ, quod juxta ipsa Urbis mœnia in admodum arduo colle, *Petrzin* dicto, ædificatũ, sepulturâ Vladislai Primi Bohemiæ Regis, qui ipsum condidit, celebre est & clarum. *Monasterium Strahovv.*

Nec silentio prætereundus est *hortus Regius* amœnissimus, juxta fossam Arcis altissimam situs, varijs arboribus ac stirpibus, non tantùm domesticis sed & peregrinis ex Italiâ, Hispaniâ, & alijs longinquis Regionibus huc allatis & plantatis instructissimus, opereq; topiario fragrantissimus. Hic videre licet mala Punica, Citria, Limonia & Aurantia, non infeliciter provenire, olera & herbas exurgere, intra laminas ferreas, instar literarum formatas, & apto contextu Orationem Dominicam exprimentes. In hoc horto aluntur *Leones*, intra ligneos cancellos inclusi, nec non mirandum *ex Indiâ animal*, quod anteriore parte Cervam, reliquo corpore Camelum mentitur; de quo Andreas Matthiolus comment. in Dioscoridem. *Hortus Regius.*

In penitiore huius viridarij secessu, habetur domus elegantissima saxea, ad refectionem, deambulationem & omnem prospectum concinnatissima; nam duos habet ambitus, inferiorem & superiorem; Inferior est porticus, columnis teretibus æquali interstitio, circumquaq; positis; Superior est subdialis, cuius extremitates sunt continua series lapidum, in quibus variæ imagines ex veteribus historijs & Poëtis artificiosissimè excisæ, jucundissimum præbent spectaculum. Ab hoc horto unius stadij interstitio extat *vivarium Regium*, muris longo circuitu septum; Sed non est conferendum ad novum illud, quod Serenissimus Archidux Austriæ Ferdinandus, quatuor à Pragensi Castro stadijs dissitum condidit, & spatiosissimo murorum ambitu cinxit, in cuius meditullio, magnificentissimum cultissimumq; stat *Palatium*, ad figuram *Stellæ*, fabricatum, unde ei nomen datum. *Vivarium Regiũ.* *Palatiũ Stellæ.*

23. tum. Pavimentum habet ex marmore tessellato nitidissimum,
Cœnæ. & conclavia multa picturis elegantissimis ornata.
24.
Cœnæ. 618. *Budinum*, vel *Wudinum*, Regni Bohemiæ oppidulum. 5.
25. 619. Grab/ Regni Bohemiæ oppidulum. 6.
Prandij. 620. Frawenstein/ Regni Bohemiæ oppidulum ad Misniæ fines, paret unà cum adjunctâ arce familiæ Schönbergicæ. 3.
Cœnæ. 621. FRIBERGUM, Misniæ oppidum nobile, vulgò Freyberg/ ob fodinarum metallicarum præstantiam opibus affluens, in radicibus Sudetum montium, quà parte Misniam spectant, situm, atq; à rivulo, vulgò Müntzbach dicto, intersectum; Non procul inde est *Mulda* fluvius, cuius ope ligna, rei domesticæ & ædificijs necessaria, ex Bohemiâ advehuntur. Ante portam D. Petri *fons* est *lepræ curandæ* idoneus. Primâ fundatione constructum est hoc Oppidum, ab Othone Marggravio, Conradi Marggravij filio, Friderici Oenobarbi Imperatoris temporibus, ante annos CCC. LXXVII. Imperij sui Anno XIX. Duo hoc loci fuerunt pagi, sub dominio Cœnobij veteris Cellæ; Alter *Losnitz* ab influente rivulo; Alter *Christiani pagus* cognominatus, pro quo deinde Rupsense oppidulum, Cœnobium recepit. *Venæ auro gravidæ*, & eæ quidem, non hominum industriâ & arte, sed fortunato & mirabili casu inventæ, augustissimum huic Oppido dedêre initium. Quemadmodum enim equus calce ferreâ reconditam nigri plumbi venam, in monte Goslario integumentis nudavit, ita vehiculi rota juxta hoc oppidum fortuitò venas aperuit. Quod Georgius Agricola lib. 1. de veteribus & novis metallis, his verbis describit: Ad *Salam* flumen Straboni non ignotum, est *Hala*, quæ quondam pagus fuit, hoc tempore Urbs est ampla; locus certè iam inde à Romanorum temporibus, illustris & clarus salsis fontibus, de quib⁹ Hermunduri cum Cattis certârunt. Hinc igitur, cum quidam quadrigæ, ut etiam nunc fit, salem rectà per Misniam vehunt, in Bohemiam, eius condimenti, vel hodiè non minus ac olim inopem, in orbitâ vident *galenam* torrentibus detectam, quam quia similis esset Goslarianæ, in currum conjectam apportant Goslariam;

nam 3.

nam iidem vectores, solebant ex eadem Urbe, *plumbum nigrum* evehere; ex quâ galenâ, cum multo plus argenti, quàm ex Gosslarianâ conficeretur, aliquot metallici contulerunt se ad illum locum Misniæ, in quo nunc Fribergum est oppidum. Non multo pòst tempore, hi qui Cellerfeldij fodiebant argenti metalla, & eorum Magister, qui certis de caussis Principi Vici Brunonis, gravis & acer inimicus erat, machinis ac scalis conscissis, ac relictâ Saxoniâ, cum illis coniuncti & consociati sunt. Ex quibus Fribergi pars, quam nostris etiam temporibus fossores incolunt, *Saxonum oppidum* est nominatum, sicuti vetustatis monumenta apertè loquuntur.

Visu digna sunt hìc inprimis, *Aula Electoralis*; & in primario Templo *Mausolea* trium Saxoniæ Electorum; Mauritij,
26. Augusti & Christiani sumtuosissimè extructa.

Prandij. 622. DRESA, vulgò *Dresda*, Dreßden/ Misniæ in superiori Saxoniâ oppidum, situ aspectuq; amœnissimum, valido murorum circuitu, fossis, propugnaculis, ad hostium propellendos insultus probè munitum, publicorum ædificiorum aliarumq; privatarum ædium singulari nitore, cum præcipuis Misniæ Urbibus decertat. Ab Albi fluvio irrigatur, cuius margines *pons* stupendâ ob longitudinem serie *ex saxo* durissimo *fornicatus* conjungit, habens in citeriori latere Dresam antiquam frequenti habitatione celebrem. Quod ad loci, aërisq; salubritatem attinet, eam quidem exuberans soli fertilitas, grataq; cœli clementia, tantam suppeditat, ut Illustrissimi Saxoniæ Duces, Principes Electores ad hanc potissimum Urbem commigrârint, multisq; alijs florentissimis Ditionis suæ Civitatibus relictis, in hàc perpetuam vitæ sedem & domicilium fixerint. 4.

Pons Dresensis.

Visu & notatu digna sunt hìc;

I. *Templum* Oppidi primarium D. *Petro sacrum*.

II. *Arx*, omnium sanè judicio, qui eam viderunt, magnificentissima, quadrato & secto ad regulam saxo, ingenti sumtu constructa, & oportunis ad defensionem muris, machinisq; miscè exculta atq; conspicua.

Gazophy-

III. *Gazophylacium Arcis* sive Aulæ Electoralis, in quo visuntur res ob singularem artem & ingens precium rarissimæ, Variæ horarum machinæ, picturæ & sculpturæ; quas tamen omnes pretio longè superare dicitur *Cornu Monocerotis* in tertio conclavi, catenâ aureâ trabi superius appensum.

IV. *Armamentarium* Illustrissimi Saxoniæ Ducis Electoris, omni armorum ac machinarum genere, globorum item, ac pulveris nitrati maximâ copiâ instructissimum; in quo thoraces ferrei & copiosa cataphractorum armatura, cæteraq; bello necessaria singulari diligentiâ ac curâ asservantur, quibus amplissimus exercitus contra quoscunq; motus, subitò armari ac instrui potest. Quòd si hoc loci Scorpiones, Falcones, Mortarios, Ruptores, aliaq; stupendæ magnitudinis ac ponderis tormenta muralia, eorumq; nitorem ac formas, enodatè recensere quis vellet, verendum, ne veritatis limites egressum ij existiment, qui tantum, tamq; magnificum rerum bellicarum apparatum nunquam viderunt. Illud interim constanter affirmari potest, non ullum in universâ Germaniâ Armamentarium reperiri, quod huic Dresensi non deferat palmam.

V. *Territorium* huic Urbi vicinum, ob lætam agrorum fertilitatem, quocunq; oculos verteris, amœnissimi horti, arboribus herbisq; generosis culti, exornant, in quibus parietes reticulati, variorum fructuum ubertate, magnâ cum voluptate spectantium latissimas consitasq; areas cingunt.

29. Cœnæ. *Budissina*, vulgò Bautzen/ elegans Lusatiæ superioris oppidum, de quo suprà. 7.

30. Prandij. 623. Reichenbach/ Oppidulum Lusatiæ Superioris. 4.

Cœnæ. *Gorlitium*, vulgò Görlitz/ nobilissimum Lusatiæ Superioris oppidum, ædificiorum nitore atq; frequentiâ clarum, murorum fossarumq; ambitu, situ montoso, & *Nissæ* fluminis propinquitate firmum, ex quo molitores, cerevisiarij, tinctores, alijq; eius Oppidi Cives infinitas commoditates percipiunt. Eius transitus ponte ligneo, tecto percommodè clauso, oportunè conjungitur. Præ cæteris autem tàm publicis quàm privatis ædificijs ma- 2.

gno sumtu perfectis, *Templum* D. *Petro dicatum*; & *Curia* sive *Domus Senatoria*, præclara turri conspicua, eminent. Oppidum ipsum primâ fundatione constructum, Anno post Christum natum, M.C.XXXI. eius annales perhibent. Funesto verò deinde incendio, Anno partæ Salutis M. CCC. XXXI. immitis Vulcani feritate consumtum, ut ne unica quidem domus remanserit. Post eam autem ruinam, anno ferè octavo, venustè reparatum, hoc est ab Orbe redemto, M. CCC. XL. Bohemiæ Regno subditur, cuius etiam hoc tempore dominium fideliter agnoscit. Quonam autem modo ad Bohemiæ coronam pervenerit, Ioannes Dubravius lib. 21. de rebus Bohemicis refert;

1\. Vide etiam de hoc oppido suprà *pag. 3.*

Prandij. *Boleslavia*, vulgò Buntzel/ Silesiæ inferioris oppidum; de quo suprà. — 5.

Cœnæ. *Hannovia*, vulgò Hayn/ Silesiæ Inferioris oppidum, de quo suprà. — 3.

2\. Prandij. *624.* Panthen/ Pagus in Silesiâ, uno miliari Lignicio distans, Nobilissimi Wolffgangi à Rottkirch, cum quo Argentorati & Genevæ strictam & arctam amicitiam habuimus. — 3.

Cœnæ. *Novoforum*, vulgò Newmarckt/ Silesiæ oppidum; de quo suprà. — 3$\frac{1}{2}$.

3\. Prandij & Cœnæ. *625.* Marschwitz/ Pagus in Silesiâ, Nobilissimi & Strenui Viri, Henrici à Rottkirch. — 2$\frac{1}{2}$.

4\. Prandij & Cœnæ. *Vratislavia*, vulgò Breßlau/ totius Silesiæ caput ac Metropolis; de qua suprà. — 2.


Itineris Italici & reditus in Patriam computatio efficit; — 2186.

Totius autem huius Itinerarij supputatio efficit; — 3446$\frac{1}{2}$.

GRA-

GRATIARUM ACTIO PRO CONCLUSIONE SIVE EPILOGI LOCO.

GLoria, laus & honor ſit tibi DEO Opt. Max. trino & uni, totius Mundi Opifici, & rerum omnium in eo contentarum Gubernatori liberrimo ac diſpenſatori munifico, quòd peregrinationi noſtræ benedicendo, per Angelum tuum bonum, nos eductos, per multa ac varia rerum diſcrimina, cervicibus noſtris ſæpè impendentia, deductos, ac tandem ſalvos & incolumes in patriam reductos, hactenus etiam clementer conſervare dignatus es: Da quæſumus Pater benigniſſime, ut in poſterum quoq;, verbo potentiæ, & Spiritu oris tui regamur, atq; in omnem veritatem ducamur, donec tandem, vitæ hujus miſeræ & caducæ peregrinatione piè & feliciter abſoluta, in cœleſtem Patriam traducamur, qui vivis ac regnas per omnia ſecula ſeculornm, Amen.



Index Locorum, Rerum & Verborum in hoc Itinerario contentorum Alphabeticus.

Am-

Belle

Bri-

Calca-

Cumææ

Fal-

F.

Grune-

Hungen

La

M.

Nadelöhr/

N.

O.

P.

Paulus

Port

Reichau.

S.

Sandeck/

T

Taruisium




CORRIGENDA.

Prior numerus paginam: posterior lineam ejusdem denotat.

PAgina 1. linea 7. lege Avum. 3. 14. Hohekirch. 47. destinatus 8 10. Eyslelberg 11. 6. patritiis. 12. 33. Prytanæum. 17. 20. Camberes. 17. 22. littore. 21. 7. xxxvi. 22. 23. lucus. 23. 22. curavére. 27. 17. horrore. 40. 7. exercitium 45. 16. commemorat. 48. 7. venisset. 49. 1. funus. 52. 2. contiguum. 52. 9. celebratur. 53. 3. multitudo. 53. 25. fluvius. 55. 1. Poincte. 57. 31. Aguillon. 57. 31. conspectum. 57. 19. Tarne. 57. 33. Thonunenis. 58. 15. Sabothe. 60. 18. Burdegalam. Burdegalensis. 60. 29. demissiorem. 61. 5. insit. 61. 11. Blaye. 62. 5. Chasteni. 64. 22. Isle. 64. 27. Nyort. 64. 32. ante. 65. 18. solummodò. 68. 12. habita. 68. 12. Perpetuus. 68. 20. Berengarij. 69. 19. inæquali. 69. 20. exornat. 70. 8. vicini. 70. 17. redditibus. 71. 17. Memeing. 79. 30. SanCerre. 80. 19. Maladrie. 82. 14. Cotyci. 80. 32. Auneau. 83, 9. somni. 85. 6. exit'. 85. 13. Lutetia. 85. 24. dicitur. 85. 29. altera. 87. 1. cujus. 88. 26. mathemata. 89. 4. videbitur. 90. 19. tumulum 91. 8. Senense. 91. 15. una. 92. 10. Citè. 99. 4. Cœnobium Cœlestinorum. 104. 33. columnis. 106. 13. apposita. 108. 1. præ. 110. 14. Ar. 110. 32. Bonnehiere. 112. 4. orichalco. 113. 20. Tūbridge. 115. 15. porrò. 129. 13. Guliel. Cambden. gentheil. 131. 8. Anna Bolenia. 131. 10. detenta. 132. 5. Britvvel. 133. 1. Iobaca. 133. 11. quindecim. 133. 31. nitidas. 134. 10. Camd. 144. 18. provectioris. 150. 26. locum. 151. 28 Hampton curt. 152. 32. ditissima. 153. 1. pulvinaria. 153, 6. atq;. 159. 3. Gravesenda. 163. 19. Marquise. 165. 15. Picquigny. 166. 17. potitus 168. 3. moriēs. 168. 33. Fontēbeleau 170. 22. Provins. 170. 31. fodiunt. 171. 8. Bar sur Seigne. 171. 10. Aubutre. 171 27. Digion. 172. 22. Visontium. 174. 19. Clairvou. 187. 30. oppidulum. 189. 13. Mompff. 190. 8. Dissonach. 190. 10. Rapersvila. 191. 3. Schönisz. 193. 3. Vadutz. 194. 9. Morbeng. 197. 17. Desenzano. 197. 20. Ricoltella. 217. 14. Luzzi. 260. 12. antiqui. 269. 21. Tolentinum. 371. 23. Tuderinum. 107. 28. turribus. 322. 6. Græcis. 322. 25. præsidiarios. 327. 34. quem. 329. 32. Caligulæ. 339. 16. di Sabato.


Cætera errata Typographica corrigere candidus Lector dignabitur.




Auson. Eph:

—— Hæc semita Cœli est,
Quâ proceres abiêre pii: quâq; integer olim
Raptus quadrijugo penetrat super æthera curru
HELIAS, & solido cum corpore prævius HENOCH.









BRESLÆ,
M DC XVII.

